43
32
E
28

MAG 3442

DOMINICALE EXPOSITIVUM.



DOMINICALE EXPOSITIVUM,

IN QUO

Exponuntur Epiſtola Catholica S. Judæ Thaddæi Apoſtoli, & tria Novi Teſtamenti Cantica, catenata explicatione Verſionum, SS.Patrum,aliorumque Interpretum; additis novis Reflexionibus moralibus, ſive doctrinalibus: & in quo etiam explanantur Orationes propriæ Officiorum, & Miſſarum omnium Dominicarum anni, juxtà ordinem præſcriptum apud Breviarium, & Miſſale Romanum, nempe, à Dominica prima Adventus uſque ad Dominicam xxiv. poſt Pentecoſten,incluſivè.

OPUS

Parochis, & Sacris Concionatoribus ſpecialiter utile, & generaliter omnibus celebrantibus Sanctum Miſſæ Sacrificium, & Officium Divinum recitantibus, proficuum.

DICATUM

Sanctiſſimo Salvatori, atque Redemptori Mundi

JESU CHRISTO

Domino noſtro, vero Deo, ac vero Homini, Regi Regum, & Domino Dominantium.

EDITUM

A PATRE FRATRE EUSEBIO

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO,

Miſſionario Ordinis Diſcalceatorum SS. Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Congregationis Hiſpaniæ, Matritenſi, & olim apud Regiam Curiam Matriti ſui Ordinis Procuratore Generali, bis Redemptore Captivorum, Generali Chroniſta, & pro S. Inquiſitione Hiſpaniæ Librorum Reviſore; necnon olim Romæ Theologo Sacri Romani Concilii, ac nunc Sac. Congregationis Indicis Conſultore.

ROMÆ, Apud Raphaelem Peveroni MDCCXXX.

SUPERIORUM FACULTATE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JESU CHRISTO

Æterno Deo, univerſali Regi, & Domino, ſimulque piiſſimo Salvatori, ac Redemptori Mundi.

CUI Regi, aut Domino aptiùs, ſive feliciùs, quàm tibi, poſſem ego Opus, aut Volumen *Dominicale Expoſitivum*, devovere, conſecrare, dedicare, vel offerre; imò cui æqualiter aptè, ſeu feliciter, prçter te, o Deus homo JESU-CHRISTE, Patris Æterni, & Beatiſſimæ ſemper Virginis MARIÆ Fili? Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? Non eſt ſimilis tui in diis Domine. Nos vocamus te Dominum: & benè dicimus: es etenim. Dominus univerſorum tu es, Rex Regum, & Dominus dominantium. Tuum eſt Regnum, & ipſe dominaberis gentium: ideò confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quia ſic jubemur confiteri Domino dominorum. Es Dominus excelſus terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram. Tu es Rex noſter ante ſæcula, qui operatus es ſalutem in medio terræ: Rex Dominus exercituum, Omnipotens, & Rex potens. Itaque in manu tua, Domine, ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicis, qui es Dominus Rex noſter, Deus deorum es, & Dominus Regum: es Dominus, qui das verbum evangelizantibus: es Rex gloriæ, Dominus virtutum: & propterea debemus jubilare in conſpectu Regis Domini. Sed, quamvìs tuus ſit dies, & tua ſit nox; dies quidam certus, & determinatus eſt ſpecialiter tuus, à te, atque à Dominatione tua nominatus, dictus, vocatus, ſive appellatus; nempe, dies Dominica (à Sancta Eccleſia quinquagies, & bis per tempus anni cujuslibet ad colendum de præcepto nobis propoſi-

Digitized by Google

ta, atque in Miſſali, ac Breviario Romano celebrata;) eſt dies peculiariſſimè tua: quia hæc eſt dies Domini, & dies, quam tu feciſti, Domine, ut exultemus, & lætemur in ea: & tu Domine ſalvos nos facias, tu Domine benè proſpereris tua accidentali gloria; ſiquidem es benedictus, qui veniſti in nomine Domini, cui jubemur occurrere, & iter facere tibi, qui aſcendis ſuper occaſum: Dominus nomen eſt tibi, qui per ſanctam Reſurrectionem tuam, reſurgendo in Dominica die, mundum lætificaſti: ac mortem, quam pertuliſti, reſurgendo calcaſti, & unde in Paſſione occubuiſti, inde majorem tuam gloriam reſurgendo manifeſtaſti: ut in Reſurrectione tua, Chriſte (toties ejus glorioſa, ac jucunda memoria in quinquaginta duabus Dominicis diebus cujuslibet anni repetita,) cœli, & terra lætentur: & aperiantur nobis portæ juſtitiæ, atque ingreſſi in eas confiteamur Domino, ſcilicet, tibi; quia portas mortis, & ſeras pariter tu, Salvator noſter, dirupiſti: deſtruxiſti quidem clauſtra inferni, & ſubvertiſti potentias Diaboli: ideòque, dum es Sanctus Iſrael Rex noſter, tua Domine eſt aſſumptio noſtra, celebrata in quavis anni Dominica. Ideò etiam ego aſſumpſi tibi Domino Regi, qui in die Dominica reſurrexiſti, dedicare librum propriè tuum (videlicèt, *Dominicale Expoſitivum*, à te mihi dato miſericorditer tempore, & conceſſis ſalute, & viribus ad exarandum hoc Opus, quod habet titulum à Dominicis, ſive diebus Domini, nempe, tuis, derivatum,) ac propterea omninò tibi dedicari debitum. In omnibus, quæ hìc exponuntur, centum quinquaginta ſex Orationibus propriis Dominicarum, in Miſſali Romano appoſitis, pro earum Miſſis celebrandis (tribus Orationibus, nempe, prima, ſecreta, & poſtcommunio, cuilibet quinquaginta duarum anni Dominicarum in Miſſa correſpondentibus,) tu, o Jeſu dulciſſime, Dominus acclamaris; ſive Orationes ipſæ ad Patrem tuum Æternum, ſeu ad te ejus Unicum, atque conſubſtantialem Filium dirigantur. In Epiſtola Canonica Sancti Apoſtoli tui Judæ Thaddæi, quæ in hoc ipſo libro explicatur, manifeſtè Dominus vocaris, & qui te ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum non credunt, & confitentur, acerrimè reprehenduntur. In tribus Novi tui

Teſta-

Teſtamenti Canticis, *Magnificat*, *Benedictus*, *& Nunc dimittis*; quæ in hoc ipſo volumine explanantur, expreſsè nomen tuum Domini, aut tuæ univerſalis Dominationis exprimitur. Sic fiet, ut in *Dominicali Expoſitivo* continente explicationem, ſive expoſitionem Orationum, Epiſtolæ Canonicæ, & Canticorum, confiteamur tibi Domine Rex, & collaudemus te Deum Salvatorem noſtrum: laudent uſque ad mortem animæ noſtræ te Dominum: laudemus nomen tuum aſſiduè, & collaudemus illud in confeſſione. Accipe ergo, precor te humillimè, pro tua infinita benignitate parcens indignitati, ac parvitati meæ, meum munuſculum, Domine: & quia es Dominus Rex magnus, ſalvum fac populum tuum Catholicum Romanum, Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

Domine mi, Deus meus.

MAJESTATIS TUÆ DIVINÆ

Humillimus, & indigniſſimus Servus
Fr. Euſebius à Sanctiſſimo Sacramento.

Digitized by Google

Benedicta ſit Sanctiſſima Trinitas.

Fr. Michael à S. Joſeph, Commiſſarius Generalis per Italiam, Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Primitivam Regulam profitentium.

POteſtate à noſtro P. Fr. Alexandro à Conceptione Majori, ac Generali Miniſtro, necnon Venerabili noſtro Generali Diffinitorio ad id nobis ſpecialitèr impertita facultate, tenore præſentium concedimus, ut Liber, cujus titulus eſt: *Dominicale Expoſitivum*, à Patre Fr. Euſebio à Sanctiſſimo Sacramento, Sacri noſtri Ordinis Sacerdote Profeſſo, compoſitus, & elaboratus; quoniam à Sacri noſtri Ordinis Theologis recognitus, & accuratè perlectus eſt, & nihil in eo inventum, quod ſacræ noſtræ Fidei, aut bonis moribus contrarietur, verùm plurimas contineat valdè utiles ad virtutes ſectandas, vitiaque fugienda inſtructiones, Typis mandari poſſit, ſervatis ſervandis, cæteriſque ad id facultatibus neceſſariis obtentis.

In quorum fidem hac præſentes dedimus, manu noſtra, & Secretarii noſtri Chirographo ſubſcriptas, ſigillique noſtri Officii impreſſione munitas, Venetiis in hoc noſtro Hoſpitio. Die decimanona Maji anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimoquinto.

Fr. Michael à S. Joſeph, Commiſſarius Generalis.

Loco ✠ ſigilli.

Mandato P. noſtri Commiſſarii Generalis.
Fr. Joſeph à Sanctiſſimo Sacramento, Secretarius.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Epiſcopus Bojanen. Viceſg.

APPRO-

APPROBATIONES.

EGregium ſanæ doctrinæ opus, ſublato quocumque verborum involucro, ſtudio, ac labore P. Euſebii de Sanctiſſimo Sacramento, Miſſionarii ſacri Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Congregationis Hiſpaniæ, &c. exaratum, & in longè excellenti titulo inſcripto: *Dominicale Expoſitivum*, ſubtilium equidem authoritatum Sanctorum Patrum, oraculorum Sacrorum Interpretum, catena verè aurea contextum, colligatas genuinas complectens explicationes Epiſtolæ Catholicæ Divi Judæ Thaddæi Apoſtoli: in quo Author ſaluberrimum mei Melliflui Doctoris documentum ſectatus: *Tantùm lucere, vanum: tantùm ardere, parum: lucere, & ardere, perfectum*. lucet ſimul, & ardet Author in qualibet ſui operis linea, deque eo cum prælaudato Doctore æquum eſt enuntiare: *Sal eſt in omni ſermone, aures mulcet, dulcorat ora, corda recreat, & inflammat, colloquia condit, impinguat preces, ad orandum ſolicitat*; ſi uberiora ſeſe offerunt hortamenta ad virtutem, excitationes ad pœnitentiam; eumque indubium adeſſe ſcopum Authoris, totius Operis textura ad oculum oſtendit, cui Nazianzeni monitum occurrit: *Pulchrum, & Divinum eſt per Divinarum rerum commemorationem ad Dei amorem perpetuò extimulari*, dum obſcuras, claras congerit explicationes ad Deificam dilectionem impellentes, atque de theſauro Expoſitorum adamuſſim protulit nova, & vetera; argumentoſam apem ſequutus, Doctorum ſublimium viridarium circumvolavit utrumque, veterum unum, novarum alterum explicationum odoramenta ſugendo. Hinc religioſiſſimus Euſebius omnigenæ eruditionis peritus, glorioſam ſui nominis famam nedum ſatis definit commendatam, verùm & feliciſſimo ratiocinii ſui fætu æternum ſibi conſtruit monumentum. Tantum ergò opus authoritatum robore, graviſſimoque expoſitionum pondere colligatum, prævio juſſu Reverendiſſimi P. Jo:Benedicti Zuanelli Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri, mentis jucunditate ſedulò revolutum, nec in eo contineri quidpiam, vel piis moribus diſſonum, vel Fidei regulis abſonum, proſpexi. Quarè librum adeò utilem pro Chriſtianæ perfectionis incremento in lucem exire, quàm juſtiſſimum arbitror. Salvo &c.

Serm. in Nativ. S. Jo: Bapt. ſer. 8. in Cant.

Epiſt. 150. ad Innoc. II. juxta nov. edit. Pariſ.

Orat. 26.

Ex Monaſterio S. Bernardi de Urbe die 5. Maii 1728.

D. Joannes Baptiſta Fiorentini Abbas Ex-Generalis, ac Sac. Congreg. Indicis, & Rituum Conſultor.

Reverendiſſimi Patris Magiſtri D. Gaſparis Oliden, Sacræ Religionis Clericorum Regularium, Theologiæ Lectoris, Concionatoris Regii, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultoris.

IN *Dominicali Expoſitivo*, compoſito à R. P. Fr. Euſebio à SS. Sacramento, Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Congregationis Hiſpaniæ, ejuſdem Religionis Miſſionario, olim Procuratore Generali in Matritenſi Curia, bis Redemptore Captivorum, & Chroniſta Generali, necnon pro Supremo Tribunali Sanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum, librorum Reviſore: & à me-

me ſtudioſè introſpecto, ac examinato ex commiſſione Reverendiſſimi P. Mag. Fr. Jo: Benedicti Zuanelli, Ordinis Prædicatorum, Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri: Vidi, juxtà conceptum S. Bernardi, *quemadmodùm ſibi invicem jejunium, & oratio ſocientur*. Quatuor ab hinc annis edidit fæcundiſſimus iſte Auctor ſingulare illud Opus de Jejunio Eccleſiaſtico quatuor anni Temporum: in quo promiſit explicationem ſententialem Orationum omnium pro Dominicis in Miſſali, ac Breviario Romano deſignatis. *Pretioſa, tunc, nobis promiſſa donavit pretioſi ſpiritus vir eruditus*: ac promiſſa complens effundit modò dona ſibi à Deo data ad omnium utilitatem. Singulariter pro Eccleſiaſticis, & Sacerdotibus cenſeo nedum utilem, ſed omninò neceſſariam lectionem aſſiduam Scripti hujus verè Euchariſtici: eo ſenſu, quo legitur de præſenti in Eccleſiaſtico: *Lingua Eucharis in bono homine abundat*: & de futuro apud Card. Hugonem, congruiſſimè pro meo munere exponentem: *Lingua Eucharis in bono homine abundabit, doctrina utili, & fructuoſa*. Sic cenſeo: ſalva in omnibus ſuperiori cenſura. Romæ in Domo S.Andreæ della Valle, Ordinis Clericorum Regularium die 15. Maji anno 1728.

S.Bern. ſerm.4. in Quadrageſ.

1. Petr.1. 4. Proverb.17. 27.

Eccli. 6. 5. Hug. Card. hic.

D. Gaſpar de Oliden Cler. Regul. &c.

Dominicale *Expoſitivum*, diligentia maxima, interrupto labore, ac ſtudio exacto ingenioſè compoſitum ad Adm. Rev. P. Euſebio de Sanctiſſimo Sacramento, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis &c. de mandato Reverendiſſimi P. Fr. Jo: Benedicti Zuanelli Sac. Apoſt. Pal. Mag. attentè pervadi, atque nil in eo, ſeù Orthodoxis Dogmatibus contrarium, ſeù Chriſtianis virtutibus obſonum, inveni; imò potiùs omne, quod ad Theologicam Fidem corroborandam, quod ad inflammandum affectum per Spem, & Charitatem accendit, quodque ad ſingulas virtutes proſequendas amore, devotè ſimul, ac efficaciter movet, reperi. Condigno quoque titulo eſt inſignitum; catenis ſcilicet, ſed aureis Sanctorum Patrum, Sacrorumque Interpretum auctoritatibus colligatum, fortiter, & ſuaviter ligans legentium animum adeò, ut captivus ſolvat vincula colli ſui, & veram libertatem filiorum Dei adipiſcatur, liberatus proindè à miſerabili ſervitute, veſte nuptiali gratiæ indutus poſſit cum vera devotione ad Divinæ Menſæ nuptias accedere, admirabili Miſſæ ſacrificio (ut par eſt) intereſſe, ac Dominicam Cœnam condignè manducare. Talem ſibi Auctor, vel ob hoc tantùm maximoperè commendandus, præſcripſit finem, atque ad ipſum obtinendum, hoc jampridem promiſſum compoſuit Opus, dignum non ſolùm Prælo, ſed & Cœlo. Ita.
Dabat in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria Romæ die 26. Septembris 1728.

Fr. Leo à S. Felice Carmelita Excalceatus, Sacræ Theologiæ Prælector, ac Sacrarum Congregationum Indicis, & Sac. Rituum Conſultor.

XXXXXX XXXXXXXXXXXXX XXXXXXXXXXXXX XXXXXX

IMPRIMATUR

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGUS

Ad Lectorem, & ratio Operis.

CUM ſtatuiſſem, imò, & in Prologo mei Tractatus de Quatuor Temporibus anno præterito 1724. hic Romæ typis mandati promiſiſſem, librum parvum me confecturum, in quo explicarentur omnium Dominicarum anni Orationes propriæ, quæ apud Miſſale, & Breviarium Romanum deſignantur, & habentur in Proprio de Tempore, & quas ut plurimùm compoſuere Vicarii Domini noſtri Ieſu Chriſti, Summi Pontifices Romani (iuxta Guilielmum Burium in ſuo eruditiſſimo Opere, quod Onomaſticon Etymologicum nominavit, & prædicto anno 1724, Patavii luci publicæ dedit, verbo: Breviarium;) poſteà decrevi promiſſæ Explicationi Orationum Dominicalium. expoſitionem Epiſtolæ Catholicæ Sancti Iudæ Thaddæi Apoſtoli, ſimulque Canticorum Novi Teſtamenti (nempe, Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis) internectere, & adiungere. Ad hoc me moverunt rationes in Capite primo huius Tractatus (dum præfiguntur proœmia ibi ad relatam Epiſtolam, & prædicta Cantica explanata) inſinuatæ. Ergo re ita ſe habente, Opus iſtud, quod aliàs Dominicale tantùm appellare poſſem, ſi dumtaxat expoſitionem Orationum pro ſingulis anni Dominicis diebus includeret, nunc decrevi titulo Dominicalis Expoſitivi inſignire. Nuncupavi illud Dominicale Expoſitivum, quia expoſitionem, ſive explanationem, quæ pro Orationibus Dominicalibus in eo inveniuntur; expoſitio litteralis, & moralis dictorum Textuum Sacrorum aſſociat. Catenam auctoritatum imbibit, quæ à Sanctis Patribus, & probatis Interpretibus Sanctæ Paginæ ſunt erutæ, & huc cum omni fidelitate translatæ, Verſioneſque etiam varias continet, quas potui reperire, diligenter eas inquirens, ut variis lectionibus ornatum, non eſſet Opus iſtud Lectoribus eruditis illepidum. Iſti habebunt occaſionem ſua benignitate utendi circa ea, quæ ex me appoſui, dum in ſingulis capitibus (quæ iuxta numerum anni Dominicarum, attingunt, nec excedunt numerum quinquageſimum ſecundum) quinque labores proprios meos, Deo dante, propoſui; quia in quolibet capite, ſeù pro omni Dominica, Reflexiones ſuper verba Sancti Judæ Apoſtoli edidi, tres Orationes (nempe primam, ſecretam, & eam, quæ eſt poſt Communionem, in Miſſali pro Dominicis ſingulis appoſitas) explicui, ac Reflexiones etiam ſuper verba trium Canticorum confeci. Itaque pie Lector, bona, quæ in his fortè inveneris, Deo, cuius ſunt, tribue; incompta, & minùs benè dicta, mihi compatiens adſcribe, & feliciſſimè per plures annos vive ſimul, atque vale. Interim non te volo immemorem ſequentium verborum Magni Caſſiodori in fine explicationis centum quinquaginta Pſalmorum Davidici Pſalterii: Hæc quantùm Dominus præſtare dignatus eſt, pro noſtra mediocritate decurſa ſunt. Vos autem Magiſtri, qui cœleſtium Litte-

rarum

rarum copioſa lectione pingueſcitis,parcite rudi,dimittite confitenti:eſtote benevoli . Difficilè opus humanum reperitur , quod non patiatur aliquam quæſtionem , Jacobo Apoſtolo proteſtante : Si quis in verbo non offendit , hic perfectus eſt vir . Cùm , ſi nonnulli Sacris Litteris calumnias parant, quid infirmis faciant , quos audacter accuſant ? Prolata ſemper ad animum dicentis aptanda ſunt : nam ſi omnia contentioſa altercatione deſtruere volumus , piam devotionem incauta potiùs contradictone damnamus . *Hucuſque Caſſiodorus .*

INDEX

INDEX

Dominicarum, & Capitum Operis.

PRo Dominica prima Adventus, Caput primum. Pagina 1.
Pro Dominica ſecunda Adventus, Caput ſecundum. 10.
Pro Dominica tertia Adventus, Caput tertium. 18.
Pro Dominica quarta Adventus, Caput quartum. 25.
Pro Dominica infraoctavam Nativitatis Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Caput quintum. 31.
Pro Dominica prima poſt Epiphaniam, quæ eſt infraoctavam ejuſdem Feſti, Caput ſextum. 38.
Pro Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, Caput ſeptimum. 45.
Pro Dominica tertia poſt Epiphaniam, Caput octavum. 52.
Pro Dominica quarta poſt Epiphaniam, Caput nonum. 60.
Pro Dominica quinta poſt Epiphaniam, Caput decimum. 68.
Pro Dominica ſexta poſt Epiphaniam, Caput undecimum. 75.
Pro Dominica Septuageſimæ, Caput duodecimum. 86.
Pro Dominica Sexageſimæ, Caput decimumtertium. 94.
Pro Dominica Quinquageſimæ, Caput decimumquartum. 103.
Pro Dominica prima Quadrageſimæ, Caput decimumquintum. 112.
Pro Dominica ſecunda Quadrageſimæ, Caput decimumſextum. 121.
Pro Dominica tertia Quadrageſimæ, Caput decimumſeptimum. 129.
Pro Dominica quarta Quadrageſimæ, Caput decimumoctavum. 136.
Pro Dominica Paſſionis, Caput decimumnonum. 143.
Pro Dominica Palmarum, Caput vigeſimum. 152.
Pro Dominica Reſurrectionis, Caput vigeſimumprimum. 159.
Pro Dominica in Albis, Caput vigeſimumſecundum. 167.
Pro Dominica ſecunda poſt Paſcha, Caput vigeſimumtertium. 175.
Pro Dominica tertia poſt Paſcha, Caput vigeſimumquartum. 183.
Pro Dominica quarta poſt Paſcha, Caput vigeſimumquintum. 191.
Pro Dominica quinta poſt Paſcha, Caput vigeſimumſextum. 200.
Pro Dominica infraoctavam Aſcenſionis, Caput vigeſimumſeptimum. 208.
Pro Dominica Pentecoſtes, Caput vigeſimumoctavum. 217.
Pro Dominica prima poſt Pentecoſten, in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, Caput vigeſimumnonum. 226.

Pro

Digitized by Google

Pro Dominica ſecunda poſt Pentecoſten, quæ eſt infraoctavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Caput trigeſimum. Pagina 236.
Pro Dominica tertia poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumprimum. 245.
Pro Dominica quarta poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumſecundum. 253.
Pro Dominica quinta poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumtertium. 260.
Pro Dominica ſexta poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumquartum. 268.
Pro Dominica ſeptima poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumquintum. 276.
Pro Dominica octava poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumſextum. 284.
Pro Dominica nona poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumſeptimum. 291.
Pro Dominica decima poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumoctavum. 299.
Pro Dominica undecima poſt Pentecoſten, Caput trigeſimumnonum. 307.
Pro Dominica duodecima poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimum. 314.
Pro Dominica decimatertia poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumprimum. 322.
Pro Dominica decimaquarta poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumſecundum. 329.
Pro Dominica decimaquinta poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumtertium. 336.
Pro Dominica decimaſexta poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumquartum. 346.
Pro Dominica decimaſeptima poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumquintum. 354.
Pro Dominica decimaoctava poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumſextum. Pagina 364.
Pro Dominica decimanona poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumſeptimum. 372.
Pro Dominica vigeſima poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumoctavum. Pagina 380.
Pro Dominica vigeſimaprima poſt Pentecoſten, Caput quadrageſimumnonum. 390.
Pro Dominica vigeſimaſecunda poſt Pentecoſten, Caput quinquageſimum. Pagina 398.
Pro Dominica vigeſimatertia poſt Pentecoſten, Caput quinquageſimumprimum. 409.
Pro Dominica vigeſimaquarta, & ultima poſt Pentecoſten, Caput quinquageſimumſecundum. 420.

DO-

DOMINICALE EXPOSITIVUM

Explicatio Orationum, quæ pro omnibus diebus Dominicis anni cujuslibet in Proprio Officio de Tempore apud Breviarium, & Miſſale Romanum apponuntur: cum quibus ſimul explicantur litteralitèr, & moralitèr Epiſtola Catholica S. Judæ Apoſtoli, & Cantica *Magnificat*, *Benedictus*, *&* *Nunc dimittis*.

CAPUT PRIMUM

Pro Dominica prima Adventus.

Proœmium ad Epiſtolam Sancti Apoſtoli Judæ.

APtiſſimam rem judicavi explicare Epiſtolam Catholicam S. Judæ Apoſtoli ad arripiendam explanationem Orationum omnium anni Dominicarum, quæ apud Miſſale, & Breviarium Romanum in Proprio de Tempore pro Miſſis, & Officiis Dominicarum ipſarum dicendę prȩſcribuntur. In his Orationibus intendit Eccleſia Sancta Catholica Apoſtolica Romana Fideles ſuos filios inſtruere, tum circa Fidem, tum etiam circa Charitatem, quando ſimul eos edocet ad Deum cum ſpe, & religione preces, ac ſupplicationes dirigere: ut in Deum credentes, in ipſo ſperantes, eumdem cuſtodia legum, & obſervatione mandatorum diligentes, atque illum etiam religioſè colentes, lucrentur iidem Eccleſiæ filii, quod in ſuis petitionibus pia eorum Mater exoptat, & ipſa de eorum remedio, ac profectu gaudeat. Ad hos ergo optimos fines plurimùm poteſt conferre Epiſtolam S. Judę Apoſtoli in medium producere, ejuſque clauſulas omnes litteraliter primò, & poſteà moralitèr explanare. Argumentum Epiſtolæ prædictæ patet ex ipſius ſummæ verbis in Biblia: quæ quidem ſunt hæc eamdem Epiſtolam præcedentia: *Monet hìc, ut firmi ſint in tradita ſemel fide adverſùs inſurgentes impios, ac laſcivos, ſubdens de eorum ſupplicio in modum Judæorum, ac Sodomorum: nam & hi nullum veriti, effrænè feruntur in omnem carnis concupiſcentiam, quos diverſis rebus comparat: & iſtos ad Enoch, ac Apoſtolorum de illis vaticinia revocat*. De hac Epiſtola ait Cornelius à Lapide in ejuſdem proœmio: *eſt ergò hęc Epiſtola perpetua quaſi invectiva in hæreticos, eoſque blaſphemos, & luxurioſos. Hortatur fideles, ut contrà eos pro vocatione, & fide ſua viriliter certent: hortatur, ut Apoſtolorum fidei, & doctrinæ conſtanter inſiſtentes, Hæ-*

reticis reſiſtant. *Denique hortatur fideles ad orationem, charitatem, miſericordiam, & zelum animarum, ut ſeductos ab Hæreticis ad fidem reducant: ac caſtitatem, vel, ut immaculatos ſe ſiſtant tribunali Judicis Chriſti.* Hucuſque Cornelius. Joannes de la Haye in Biblia Maxima dicit: *Epiſtola Sancti Judæ ſcripta eſt generaliter quidem propter exhortandos Fideles ad fidei perſeverantiam, & ſtudium bonorum operum, adverſus eos, qui fidem jactabant ſine operibus: Specialiter autem, tam contra Nicolaitas, quorum mentio eſt in Apocalypſi, quàm contra Sectam impuriſſimam Simonis Magi, quæ (tametſi Magiſtro jam extincto) cancris in morem latiùs ſerpebat, & propagabatur in nova germina.* Hæc habet La Haye. Audiamus jam S. Judæ Apoſtoli verba in ſua ſacratiſſima Epiſtola Canonica. Eſt ergo hæc.

Epiſtola Catholica B. Judæ Apoſtoli.

JUdas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, his, qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis. Miſericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur. Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: Deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei. Subintrojerunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit. Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt: majeſtatem autem blaſphemant. Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit: Imperet tibi Dominus. Hi autem, quæcunque quidem ignorant, blaſphemant: quæcunque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, & ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii. Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus causâ. Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes vos metipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos: illos verò ſalvate, de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſoli Deo Salvatori noſtro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria, & magnificentia, imperium, & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Pro-

Digitized by Google

Proponitur Textus hujus Epiſtolæ Canonicæ ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ iſtius Dominicæ primæ Adventus: qui quidem Textus eſt hic:

JUDAS JESU CHRISTI SERVUS.

Explicatio, maximè litteralis, ex Auctoribus.

VErſio Æthiopica dicit: *A Juda Servo Jeſu Chriſti.* Hugo Cardinalis ait: *Principale nomen ejus eſt Judas: Thaddæus ei impoſitum ex Religione: quia Thaddæus interpretatur Corculus, quod eſt idem, quod Cordis cultor.* Nicolaus de Lyra inquit: *Servus, id eſt, Fidelis Chriſtianus. Sic autem fuit cognominatus ad diſtinctionem Judæ proditoris.* Menochius dicit: *Hic idem Judas vocatur, ſeu cognominatus eſt Thaddæus, & Lebæus.* Cornelius à Lapide ait: *Judas cognominatus eſt Thaddæus, & Lebæus, id eſt, Leonimus, vel Cordatus. Veriſimile eſt Lebæus penè idem eſſe, quod Thaddæus: quaſi dicatur mirè cordialis, benevolus, amabilis, aut mirè ſapiens, & prudens.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in eadem verba.

NOmen hoc *Judas*, juxta Indicem Biblicum, interpretatur: *Laudatio*, & ſecundùm Sanctum Paſchaſium, valet idem, quod: *Confeſſio.* Ille ipſe, qui laudat, confitetur: ille etiam, qui confitetur, laudat; quia humilis peccatorum noſtrorum confeſſio eſt Deo noſtro jucunda, decoraque laudatio. Recuſat ergo Dominum laudare quiſquis renuit confiteri: at quicumque ad confeſsionem accingitur, ad dignam laudem Dei præparatur. Utinam Dominus labia noſtra ad confeſſionem aperiat, ut ſic os noſtrum annuntiet laudem ſuam. Ideò Judas Thaddæus appellatur Jeſu Chriſti ſervus, quia eſt Judas confitens, & quia eſt Thaddæus, quod quidem nomen etiam interpretatur: *Laudans*, ſecundùm Biblicum Indicem, ut in nomine, ac cognomine Apoſtolus noſter edoceat nos Chriſti ingenuam, & nobiliſſimam ſervitutem per confeſſionem, & laudem: & ut Redemptori noſtro obediamus, confitentes, ac ſimul ei obſequamur, laudantes. Si Thaddæus, juxta Hugonem Cardinalem, eſt nomen Religionis, & interpretatur *Corculus, quod eſt idem, ac Cordis cultor*, vocetur jurè noſter Apoſtolus Judas, appelletur & Thaddæus: nam qui, ut Chriſti ſervus, confitetur, dum Deum per confeſſionis laudem ex corde colit (juxta illud, quod dicit Joſue, ut confiteretur peccata ſua, Achan: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.*) hic taliter confitens, Deum colit, ipſi obſequens, colit, eidem placens, colit etiam, præmia laudis, atque confeſſionis merens. Cordis quoque eſt cultor quicumque benè, ritèque confitetur: quia, quando colit, vel arat cordis ſui terram per Sacramentalem Pœnitentiam aratro confeſſionis, & per conpunctionem, & dolorem ipſum cor conterentem, ac ſcindentem; tunc per eamdem confeſſionem fidelem, & pluviam Divinæ gratiæ, uberrimos fructus, & ſegetes virtutum producens, eſt idem homo pœnitens, benè confitens, agricola expectans pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum; ſimulque confortat per hanc patientiam confeſſionis, vel Dei laudis, cor ſuum. Lætetur ergo cor quærentium Dominum. Quæramus Dominum, & confirmemur: quæramus faciem ejus ſemper. Accipiat Judas Thaddæus confitens, & laudans, ut cordis cultor, præmium magnum, quod meretur, quando confeſſionem pronuntiat; quando per eam Dei, ac Domini laudi vacat; & quando ex corde colens Deum, adeò magnum exhibet, utpote bonus ſervus, Jeſu Chriſto Domino ſuo, & noſtro ſervitium. O magna verè miſericordia Dei! Voluit ipſe, ut quoties terram cordis noſtri colimus, & in ea per aratrum confeſſionis laboramus, toties per eamdem confeſſionem Dominum noſtrum laudemus, atque colamus, ac ſic pari paſſu currant erga Deum Religio, & ad ſalutem proficuam animarum humilis noſtra

Digitized by Google

confeſſio. Jungit itaque Deus res commodi noſtri illis, quæ ſunt conſacratæ ipſius laudi; quæque tribuuntur ipſi in ſignum ſui excellentiſſimi Dominii à vacantibus Religionis virtuti, & ideò pertinent ad cultum adeò magni Domini noſtri Dei. Juxta Nicolaum de Lyra, ſe vocat Sanctus Judas Thaddæus Jeſu Chriſti ſervum, ut ſciatur, eum eſſe Fidelem Chriſtianum. Erit Chriſtianus fidelis, & verus ille, qui ſervierit Chriſto verè, tum fide, tum etiam opere. Credens, ſed non benè operans, nomine Chriſtianitatis eſt indignus, ſiquidem ſua omiſſione benè operandi, vel ſua etiam mala operatione, deſtruit hoc ipſum, quod fide conſtruit. Minùs malum eſſet iſti Deum non noviſſe, quàm per fidem cognitum Dominum ſuum malis operibus, vel gravibus omiſſionibus offendere, & bona a fide provenientia peſſumdare peſſima ſua, ac irreligioſa vita: nam remiſsiùs agetur in die Judicii cum non credentibus, quia Deum non noverunt, quàm cum credentibus, & tamen malè operantibus, vel Dominum cognitum offendentibus, culpabilibus, ac gravibus omiſſionibus. Simus ergo fideles in credendo, & operando, ut boni Catholici, ac etiam verè Chriſtiani: Catholici, tenentes firmiſſimè Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ Romanæ Dogmata: & Chriſtiani, exactiſſimè obſervantes Dei, & Eccleſiæ ipſius mandata: credentes illam doctrinam, quia veram, & ſervantes iſta præcepta, quia lex eſt in illis immaculata. Audiamus diſciplinam Dei Patris noſtri, & non dimittamus legem Matris noſtræ Sanctæ Eccleſiæ, ut addatur gratia capiti noſtro, & torques collo noſtro, ſiquidem ad hoc nos hortatur Sacer Textus, & in eo Spiritus Sanctus. Secundùm Lyram etiam, noſter Sanctus Apoſtolus Judas appellatur Chriſti ſervus, ut appareat à Juda proditore diſtinctus. Judas Iſcariotes non fuit ſervus Chriſti, immò extitit mancipium diaboli, quando cum Chriſto egit (eum malè tractando, & vili pretio vendendo, ac de ipſo deſperando) adeò peſſimè, adeò etiam proditoriè. Judas proditor eſt perditus, & damnatus, quia non integrè confeſſus eſt, ut ait Sanctus Ambroſius. Ille proditor nomen confeſſionis, quia vocabatur Judas, præferebat, ſed confeſſus aliquando peccatum vendendi Sanguinem Chriſti juſti, plura facinora occultavit, & tacuit: multa peccata gravia celavit, quia nihil de furtis commiſſis, nec de eo, quod murmuraverat contra Sanctam Mariam Magdalenam ungentem Chriſtum unguento pretioſo, ille peſſimus homo in ea ſua confeſſione dixit. O proditor! Nam proditoriè agit, & agere noſcitur, qui ſtatuit ſua delicta in confeſſione non aperire, & decernit non integrè ad gloriam Dei, & bonum animæ ſuæ confiteri. Nomen Iſcariotes, quod habebat etiam Judas proditor, manifeſtat, quis iſte fuerit, & de ipſo dat teſtimonium verum, ut ſciamus, jurè fuiſſe a Deo reprobatum. Iſcariotes interpretatur: *Vir occiſionis*, ſecundùm Indicem Biblicum. Se ipſum proditor occidit, quando malè confitens, ſua peccata contexit, ſive occuluit. Duplici titulo noſcitur, quòd appoſitè vir occiſionis appelletur: nam Chriſtum occidit, à Redemptore noſtro per venditionem proditoriam auferens vitam corporalem, eum tradens ad mortem ſimul ignominioſam, acerbam, & injuſtam. & ſe ipſum etiam Judas Iſcariotes necavit, à ſe tollens animam, ac ſimul vitam æternam, quando ſe ſtrangulavit, & ut abiret in infernum, locum ſuum, infeliciter laqueo ſe ſuſpendit. Nè ergo nos Chriſtum, & nos ipſos interficiamus, ritè, & integrè confiteri peccata noſtra curemus: & ſic integrè confitentes, nobis providebimus, & eſſe contra Chriſtum proditores recuſabimus. Satagamus aſſimilari Apoſtolo Sancto Jeſu Chriſti ſervo Judæ, Thaddæo, vel Lebæo, ut ſimus leonimi per fortitudinem, & cordati per Dei, ac proximi amorem. Fortiter ſimus cordati, dantes corda jugiter, & perſeveranter, integrè, atque ſolidè Jeſu Chriſto noſtro Conditori, Redemptorique benevolo: & ſic erimus, ut Sanctus Judas Thaddæus, vel Lebæus nos nominibus ſuis edocet, mirè cordiales, benevoli, & amabiles: & ita exiſtemus etiam verè ſapientes, atque prudentes. Tales vult, exhiberi noſmetipſos, noſtra Mater Sancta Romana Eccleſia, aſpirante nobis Dei gratia, quan-

do

do in Orationibus prima, & ſecreta hujus Dominicæ primæ Adventus, deſiderat Eccleſia eadem illud, quod ex ipſis Orationibus, ſimulque earum explicationibus patebit manifeſtè cuilibet attentè, & benè conſideranti. Ait ergo.

Oratio Officii Dominicæ primæ Adventus, quæ prima eſt in Miſſa illius.

Excita, quæſumus Domine, potentiam tuam, & veni: ut ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te, mereamur, protegente eripi, te liberante, ſalvari. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus &c.

EXPLICATIO.

Poſcimus hodie à Jeſu Chriſto Dei Filio, utpote ab omnipotente ſimul, & miſericorde Creatore, & Redemptore noſtro, ea, quæ maximè conducunt, ut nos beneficium Creationis noſtræ, ac Redemptionis non perdamus, ſed potiùs feliciſſimè lucremur. Hæc nobis fient, ſi excitans potentiam ſuam, & ad nos ſpiritualiter veniens, nos protexerit, & liberaverit ille ipſe, qui nos & condidit, & redemit: creavit quidem omnipotenti miſericordia, quos poſteà miſericorde redemit omnipotentia. Intendunt flagitia noſtra, quod talia, ac tanta non lucremur beneficia; Et ob hæc noſtra ſcelera, imminent pericula peccatorum ipſorum nobis; qui ab eis non expediemur, niſi Filium Dei Protectorem eripientem, ac Liberatorem nos ſalvantem habeamus. Sunt noſtrorum peccatorum pericula imminentia, quia toties noſtra delicta nobis minas periculorum proximè incutiunt, quoties ad nos peccata appropinquant, & nos ea non fugientes, immò ad illa accedentes, in eorum laqueis capimur, atque miserè irretiti inter ipſa detinemur. Metu periculorum in peccatis percutimur, quia nos voluntate perverſa iniquitati appropiavimus. Ut itaque peccata, & pericula à peccatis procedentia elongentur à nobis, nè forte involuti in eis, pereuntes moriamur in illis; quærimus Chriſtum, qui eripiens proteget nos, & ſalvabit, liberans nos à periculis, eruens nos piè à peccatis, dum in Adventu ſuo ad nos ſpiritualiter adventans, & proximans, potentiam, qua nos creavit, & redemit, excitaverit, & obſtacula, quæ nos adventui ſpirituali gratiæ ſuæ, vel fragilitate, vel ignorantia, vel malitia noſtra poſuimus, vicerit, atque clementer abſtulerit.

ORATIO SECRETA.

Hæc Sacra nos, Domine potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; Qui tecum &c.

EXPLICATIO.

Magnam efficaciam in ſacris Miſſæ Myſteriis Eccleſia Catholica agnoſcit, quando à Domino Deo noſtro Patre omnipotente illa petit, quæ præſens oratio continet. Potens eſt virtus horum ſacrorum, ſiquidem Deus hodie exoratur, ut hæc ſacra nos potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Non ſupponimus, quòd Miſſæ Sacrificium, vel Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum in eodem offerendum, habeant ex inſtitutione, & per ſe mundare à fordibus peccatorum mortalium Sacerdotes ſacrificantes, ſive Fideles ſacrificia fieri pro ſe curantes, & etiam offerri pro aliis vivis, & defunctis Fidelibus ſatagentes, vel demùm Miſſam devotè audientes, ac eam cum Sacerdote Celebrante Domino Deo noſtro præſentantes: quia remittere peccata mortalia ex inſtitutione, & per ſe proprium eſt Sacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, necnon & perfectæ contritionis cum voto Baptiſmi in Cathecumenis, & voto Confeſſionis in baptizatis. Supponitur verò in hujus Orationis Verbis, ſacra Myſteria Miſſæ habere virtutem potentem per ſe ad nos emundandum à levibus, ſeu venialibus culpis; ad impetranda nobis auxilia pro agenda vera pœnitentia; & ad faciendum, quod

quo-

quotidiè per augmentum gratiæ ad Deum, qui eſt principium, cauſa, & Auctor Sacramentorum, puriores veniamus, & accedere magis ad eum per gratiam, munditiam, & amicitiam poſſimus. O potens virtus ea, quæ ſaltem à parvis peccatis mundat, & ſimul facit, homines appropinquare ad Deum, qui eſt noſter finis ultimus, quando etiam eſt horum ſacrorum, quæ ſiunt in Miſſa, principium! Verè principium eſt, & finis noſter ille Deus omnipotens, cui ſacra libamus: Sacrorum Myſteriorum eſt etiam ipſe Dominus finis, & principium, quia dum ea ab ipſo per inſtitutionem, & principalem operationem procedunt, etiam ad eumdem diriguntur. Ad illum quidem diriguntur, ut benè terminentur Sacrificia, vel Miſſæ ſacra Myſteria, per Dei accidentalem gloriam; quia ab ipſo orta ſunt per ſuam benignam omnipotentiam, quæ quando hæc ſacra inſtituit, dedit illis potentem virtutem ad nos homines modo prædicto emundandos: & ipſa ſacra per approximationem noſtram ad Creatorem cum majore puritate, quam exiſtentibus in ſtatu gratiæ efficiunt, nos ipſos meliorant, & feliciſſimos reddunt.

Procemium ad Cantica, *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QUamvis omnia veteris, & novi Teſtamenti Cantica dirigantur ad Dei laudum præconia propter ipſum, ac etiam ob magna ab eo accepta beneficia; tamen Cantica tria, quæ ſunt longiora eorum, quæ Novum Teſtamentum continet (nam breviſſimum eſt Canticum: *Gloria in excelſis*, quod etiam dicitur Hymnus Angelorum) nempe Canticum Beatæ Mariæ Deiparæ ſemper Virginis: *Magnificat*, Canticum Zachariæ: *Benedictus*, & Canticum Simeonis: *Nunc dimittis*, ſunt in Sacra Scriptura inſtituta ad agendas Deo gratias ob beneficia potiora, & clariſſimè reſonant mira Dei noſtri magnalia. Duo iſtorum Canticorum dulciſonorum ſunt audita in domo Zachariæ poſt Verbi Divini Incarnationem: tertium in Templo Jeruſalem, poſt Chriſti Nativitatem. Illud *Magnificat* cecinit in ſua Viſitatione Deipara Virgo, quando à Sancta Eliſabeth ſua cognata, ut Mater Dei, fuit celebrata, prædicata, atque recognita. Illud *Benedictus* intonuit Zacharias Pater Sancti Præcurſoris, & Baptiſtæ Joannis, dum Sancta Maria Dei Genitrix aderat Jeſum in ſuo utero Virginali gerens. Illud denique *Nunc dimittis* cantavit proximus morti ſuaviſonus Olor, ſeu mirificus Cygnus Simeon Sanctus Senex, poſtquam à Dei Parente puerum Jeſum Chriſtum acceperat, tenens jam deſideratum cunctis gentibus in ſuis feliciſſimis ulnis. Proferantur in medium Cantica tria prædicta à nobis poſteà explicanda. Sunt ergo iſta:

Canticum Beatæ Virginis Mariæ. Lucæ cap. 1. verſ. 46.

MAgnificat Anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

Canticum Zachariæ. Lucæ cap. 1. verſ. 68.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ: Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus: Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium, qui oderunt nos: Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis: Ut ſine timore, de ma-

Digitized by Google

manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi: In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri; in quibus viſitavit nos, oriens ex alto: Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Canticum Simeonis. Lucæ cap. 2. verſ. 29.

N*Unc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum; Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Omnia igitur tria prædicta Cantica pro reddendis gratiis Deo, & Homini Redemptori noſtro Jeſu Chriſto, vel Æterno ſuo Patri, poſtquàm ipſe Chriſtus ad nos venit per Sanctiſsimam Euchariſtiam in Sacra Miſſa receptam, & poſt perceptionem Communionis, ſunt appoſitè conſona, apta, & accomodatiſsima. Ideò eorum Canticorum explicationem Orationibus ſingulis poſt Communionem per quinquaginta duo hujus libri capitula diſtributis aptabimus, priuſquàm Orationes ipſas poſt Communionem quarumlibet Dominicarum anni brevi methodo explicemus. Incipientes ergo, prima verba Canticorum horum trium litteraliter, ac doctrinaliter explicata pandamus: & poſteà Orationem poſt Communionem Miſſæ Dominicæ primæ Adventus proponentes, ipſius Orationis explanationi incumbemus.

TEXTUS.

M*Agnificat Anima mea Dominum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat anima mea Dominum.*

GLoſſa Interlinealis ex Sancto Ambroſio ait: *Anima, & Spiritu Patri devota, & Filio: unum Deum, ex quo omnia, & unum Dominum, per quem omnia, pio veneratur affectu.* Gloſſa ordinaria ex Venerabili Beda: *Primò dona ſibi ſpiritualiter conceſſa profitetur, deinde beneficia Dei, quibus generaliter humano generi in æternum conſulere non deſiſtit, enumerat. Quaſi diceret: Tanto munere me Dominus ſublimavit, ut nullo linguæ officio explicare poſſim, ſed totum animi interioris affectum magnis gratiarum laudibus offero. Totum, quod vivo, totum, quod ſentio, totum, quod diſcerno, in ejus magnitudine contemplanda, in ejus præceptis obſervandis impendo.* Beda moraliter ait: *Quæcumque anima credit, concipit, & generat Verbum Dei, & opera Dei agnoſcit. Sit ergo in ſingulis anima Mariæ, ut Deum magnificet. Sit in ſingulis ſpiritus Mariæ, ut exultet in Deo: Et, ſi ſecundùm carnem, una eſt Mater Chriſti, ſecundùm ſpiritum, omnium fructus eſt Chriſtus. Magnificatur Dominus, non quod ei aliquid humana vox adjungat, ſed, quia magnificatur in nobis, dum anima noſtra, quæ ad imaginem Dei creata eſt, per juſtitiam ſe Chriſto conformat, qui eſt imago Patris. Et ſic, dum ipſum Chriſtum imitando magnificat, quadam participatione magnitudinis ejus fit ſublimior, ut illam imaginem, ſplendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione virtutis in ſe videatur exprimere.* Nicolaus de Lyra litteraliter explicat, dicens. *Declaratur laus Virginis, tamquam magna, cùm dicitur: Magnificat: Secundò, ut devota, ibi: Anima mea, non tantùm labia mea: tertiò, ut debita, cùm dicitur: Dominum, cui debetur laus, & honor.* Gloſſa moralis ait: *Magnificat Anima mea Dominum. Sed, ſi conſiderem Dominum Salvatorem imaginem eſſe inviſibilis Dei, & animam meam factam ad ejus imaginem, ut*

fit

Digitized by Google

ſit imago imaginis: tunc videbo, quoniam in exemplo eorum, qui ſolent imagines pingere, quando magnificavero animam meam opere, cogitatione, ſermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipſe Dominus, cujus imago eſt in anima mea, magnificatur. Sebaſtianus Barradas ad hunc locum dicit: *Magnificavit Dominus Virginem: Virgo nunc magnificat Dominum. Deus Virginem magnificavit, quia magnam fecit: Virgo Deum magnificat, non quia magnum facit, ſed, quia, magnum eſſe, & potentem, ſanctumque, prædicat. Meritò ergo ait: Magnificat anima mea Dominum, magnificat, inquam, ore, magnificat miraculis, quæ in Virgine maxima Deus patravit, magnificat ſanctiſſima vita, virtutumque decore admirando. Virgo, clariſſima ſemper voce, clariſſima ſemper vita, abſque ullius raucedinis, id eſt, peccati veſtigio, Dei laudes celebravit.* Lyranus iterùm ait: *Quaſi dicat Maria: O Eliſabeth, tu me magnificas; ſed ego totum Deo attribuens, ipſum magnifico in hoc Cantico.* Verborum ipſorum: *Magnificat anima mea Dominum,* ſunt aliæ verſiones ſeù lectiones. Perſicus legit: *Deo anima mea laudem tribuit.* Arabicus: *Magnificet anima mea Dominum.* Cajetanus: *Extollit anima mea Dominum.* La Haye in Biblia Maxima ait: *Alii legunt: Extollit, non enim cumulando gratiis, honoribus &c. ſed magnitudinem ejus, majeſtatem, omnipotentiam, & alia ejus attributa prædicando, laudando.* Eſtius dicit: *Magnificat, id eſt, magnificè prædicat, vel magnificum prædicat anima mea Dominum.* Menochius: *Magnificat, id eſt, laudibus tollo, gratias illi ago ex intimis animæ meæ ſenſibus.* Emmanuel de Sa: *Magnificat, id eſt, laudibus effert, ſeu magnoperè prædicat anima mea Dominum.*

Pro illis verbis: *Benedictus Dominus Deus Iſrael.*

LYranus explicat ſic: *Benedictus Dominus, omnium per generalem gubernationem, Deus per creationem, Iſrael, per ſpecialem cultum, & devotionem, & beneficiorum ſpecialem populo Iſrael exhibitionem.* Menochius ita: *Benedicatur, aut laudetur Dominus. Vel dignus eſt Dominus, qui laudetur, prædicetur, & cui benedicatur. Deus Iſrael, id eſt, quem Iſrael colit.* Gloſſa Interlinealis hæc habet: *Benedictus eſt, vel ſit.* Emmanuel Sa ſic explanat: *Benedictus, ſcilicet, ſit, id eſt, laudetur, ſeu prædicetur. Iſrael, id eſt, quem Iſrael colit.* Barradas ait: *Theſaurum Zacharias habebat in pectore, theſaurum, inquam, gratiæ, ac virtutum præclariſſimum. Ex hoc theſauro verba Cantici hujus, quaſi gemmas pretioſas exprompſit, ex horto illo amœno cordis flores hos collegit, ex quibus Canticum, odoriferum veluti ſertum, contexuit.*

Pro illis verbis: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.*

SYriaca verſio eſt hæc, quæ legit ſic: *Et ait: Deinceps tu dimitte.* Textus Perſicus: *Abeuntem facis, o Domine, ſervum tuum.* Sanctus Auguſtinus legit: *Jam dimittis.* Theoph: *Abſolvis.* La Haye ait: *Alii legunt: Jam abſolvis, id eſt, Græcè, diſſolvis: ut è corpore, velut è carcere, & vinculis, quibus alligatus ſum, abeam in libertatem, pacem, & quietem.* Emmanuel Sa ita explicat: *Nunc dimittis, quaſi diceret: Si nunc dimittas, in pace dimittis.* Gloſſa Interlinealis ait: *Quaſi diceret: Dimitte. Ad mortem carnis.* Gloſſa ordinaria ex Sancto Ambroſio: *Qui vult dimitti, veniet in Jeruſalem, converſationem habens in cæleſtibus veniat in Templum, imitetur exempla illorum, in quibus Deus habitat. Expectet Dominum, accipiat in manibus Verbum Dei, brachiis fidei, ſpei, & charitatis amplectatur, tunc dimittetur, ut non videat mortem, quia viderat vitam.* Lyranus litteraliter explicat ſic. *Nunc dimittis, id eſt, de cætero dimitte me de hac vita tranſire in cordis quiete.* Menochius ait: *Qui jam ſibi mortem inſtare putabat, utitur præſenti tempore. Sic Italicè dixiſſet: Adeſſo muoro contento.* Barradas dicit: *Infantem cæli, terræque Conditorem, pondus dulce, ulnis continens carus Simeon, deſiderio, & expectationi ſuæ ſatis eſſe factum, videns, imminente morte, ut olor* (ideſt Cygnus) *candidus, dulce fudit è ſenili ore melos.* Apud eum-

Digitized by Google

eumdem Barradam Timothæus in oratione de Occurſu Domini, pia meditatione verba illa: *Nunc dimittis*, exponit ſic: *Nunc abſolvar, nè hìc detinear, nè Judæorum, qui ſunt mei generis, quæ in te eſt futura, videam audaciam: nè videam ſpineam, quæ plectitur, Coronam: nè videam ſervum tibi alapas infligentem: nè videam te Cruci affixum &c.* Nicephorus in hyſtor. ait: *Cùm Chriſtum conſpexiſſet Simeon, carnis mole protinùs ſolutus eſt.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper relata horum trium Canticorum prædictorum verba.

Ille verè magnificat Dominum, qui his, quæ verbis dicit, moribus non contradicit. Ille magnificat, qui credit Deo, & attendit mandatis, atque Domino obſequens, & coram ipſius magnitudine tremens, ejus beneficiis gratum, ac in ejuſdem ſervitio curat ſe oſtendere ſedulum. Ille magnificat, qui etiam ab omiſſione culpabili toto corde recedit, & contra Dei placitum, & voluntatem nihil omnino, vel leviſsimum, advertenter, & deliberatè committit. Magnificent ergo ita animæ noſtræ Dominum, dum ipſæ animæ ſunt in manibus noſtris ſemper; ſed ſunt in eis animæ, ut legem Dei non obliviſcamur, &, quamvìs poſuerint peccatores laqueum nobis, de mandatis Domini non erremus; immò illi, qui Deus noſter eſt, & in cujus manibus ſortes noſtræ ſunt, fide, ſpe, charitate, & virtute etiam religionis placeamus in regione vivorum (ut portio noſtra ſit in terra viventium) donec aſcendamus ad populum accinctum noſtrum, & placeemus coram Deo in lumine viventium: ut imitantes juſtos viventes in Eccleſia militante, per gratiam, aſſociemur Beatis fruentibus vita æterna in Eccleſia triumphante, per gloriam. Sic erit Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia ſic viventes, & in adeò felici ſtatu perſeverantes, atque cum finali gratia vitam iſtam temporalem terminantes, benedicemus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, laudabimus, & ſuperexaltabimus eum in ſæcula, & erimus benedicti à Deo noſtro in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen noſtrum, magnificabitur ſuper nos Deus Iſrael. Sic dimittet nos ſervos ſuos Dominus, non dimittens nos è ſuis ſanctiſſimis manibus: quia juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis: viſi ſunt oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace: & non rapiet quiſquam de manu Chriſti oves hujus noſtri Redemptoris benevoli. Quia hunc Dominum verè magnificatione animarum noſtrarum, & omni laude digniſſimum; hunc benedictum Dominum Deum Iſrael; hunc Jeſum Salvatorem noſtrum, quem accepit in ulnas ſuas Simeon, hodiè in Sacra Euchariſtia accepimus; beneficia à Patre Æterno illius petimus, dum in Miſſa hodiè poſt Communionem oramus, & ſequentia verba dicimus.

Oratio poſt Communionem hujus Miſſæ Dominicæ primæ Adventus.

Suſcipiamus, Domine, miſericordiam tuam in medio Templi tui: ut reparationis noſtræ ventura ſolemnia congruis honoribus præcedamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c.

EXPLICATIO.

In Adventus tempore proximè veneramur ventura illa Solemnia Feſta Nativitatis Chriſti: quæ, quamvìs accidit multis ab hinc ſæculis, magno profectu Fidelium ipſis repræſentatur, quaſi nova, & recens, quotannis, ut habeant meritum præparationis ad recipiendum ſpiritualiter Chriſtum, augentes fidem, & ſpem, ſimulque per novum fervorem accendentes charitatem, ſæpiùs exercentes per Divinum cultum religionem. Expedit, ut paremus nos ad Nativitatem Chriſti, in cujus Feſto canit Eccleſia, dicens: *Hodie illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ.* Dignum, & juſtum eſt, ut congruis honoribus præcedamus talia reparationis, & redemptionis no-

noſtræ proximè ventura ſolemnia. Præcedat in nobis Natalem tanti Principis (Dei, ſcilicèt, & hominis Jeſu Chriſti, in Cœlo regnantis, & regnaturi, ac etiam in terra; quia naſcetur Rex Angelorum, & hominum ille, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium) magna cura, & ſolicitudo ipſum recipiendi congruis honoribus, ut nos inveniat paratos, atque benè virtutibus Chriſtianis exornatos, & inſtructos. Itaque congruis præcedet honoribus Chriſti Nativitatem Sacratiſſimam (tantò anteà effectam, & nunc poſt paucas hebdomadas religiosè ab Eccleſia repræſentandam) ille pius, & devotus Catholicus, quem fides vera Romana quotidie vivacior ornaverit, ſpes firmior erexerit, charitas ardentior inflammaverit, religio ſolicitior inſtruxerit; prudentia clarior gubernaverit; juſtitia ſeverior, & exactior correxerit; fortitudo animoſior armaverit; temperantia plenior, & integrior cohibuerit; caſtitas purior cinxerit; pœnitentia rigidior, & prolixior (ſed juxta regulas obedientiæ, & prudentiæ) frœnaverit; oratio perſeverantior, & attentior direxerit; zelus vigilantior imbuerit; & uberior miſericordia aſſociaverit. Ut igitur talibus virtutibus ditemur, quibus, veluti decet, & oportet, reparationis noſtræ ventura ſolemnia congruis honoribus præcedamus; Patrem Æternum petimus, quatenùs miſericordiam ſuam in medio templi ſui ſuſcipiamus. Hac miſericordia ſuſcepta, congruis honoribus præcedemus ſolemnia reparationis noſtræ ventura. Oramus tamen etiam, ut hanc ſuſcipiamus miſericordiam. Deum dare, ac concedere nobis miſericordiam, depoſcimus: ſimulque, ut miſericordiam, quam dare benignè voluerit, nos velimus ſuſcipere, flagitamus: quia non ſecurè, vel certè infertur, nos ſemper velle recipere illa bona, quæ Deus vult nobis clementer concedere; cùm verum ſit, quòd multoties perverſa noſtra voluntate propria, ac malo uſu noſtri liberi arbitrii, reluctamur contra Dei placitum. Utinam ergo noſtras, etiam rebelles, ad ſe conpellat propitius Deus noſter voluntates: ac ita benè ſua gratia nos ipſe præparet, ut quando (præcipuè, ut aſſolet plerùmque, in medio templi ſui, ditans gratiæ auxiliis Templa, vel Eccleſias viſitautes) dignatus fuerit nobis miſericordiam ſuam largiri, nos eamdem miſericordiam, verè ſuam, curemus diligenter ſuſcipere, humiliterque acceptare: ut per eamdem miſericordiam valeamus reparationis noſtræ ventura ſolemnia congruis honoribus præcedere.

CAPUT SECUNDUM

Pro Dominica ſecunda Adventus.

Proponitur Textus Epiſtolæ Canonicæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ hujus Dominicæ ſecundæ Adventus. Qui quidem Textus eſt hic:

Frater autem Jacobi.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Gloſſa interlinealis ait: *Frater Jacobi natura, fide, doctrina, & vita.* Hugo Cardinalis: *Frater non tantùm natura, ſed gratia ſimul, & vita ſpirituali, & doctrina. Nominat Judas Thaddæus Jacobum fratrem ſuum, cùm neque Petrus, neque Joannes, neque Jacobus aliquem nominaverit de cognatione ſua; ut ſic ejus Epiſtola habeat auctoritatem, quia ipſe inter alios tres erat minimus, & quaſi ſimplex Apoſtolus, alii verò tres auctoritatem habebant, Petrus generalem, Jacobus in Aſſia, Joannes in Judæa* (Hic videtur adeſſe error Typographi; nam meliùs diceretur: *Jacobus in Judæa, Joannes in Aſſia*) Gloſſa ordinaria ſic explicat: *Non diſplicet Chriſto, nec diſcordat à Jacobo meo* præ-

prædicatio. Tirinus inquit: *Frater Apoſtoli Jacobi minoris, primi Epiſcopi Jeroſolymitani: frater item Simonis Chananæi. Docuit in Aſſia minori, ubi florebat ſchola Simonis Magi, & aliorum hæreticorum. Abagarum Edeſſæ Regem ad Chriſti fidem convertit, teſte Euſebio: etiam in Idumæa, Meſopotamia, Arabia, & Perſide prædicaſſe, ſcribit Nicephorus, & alii, qui & Martyrium ejus ibidem cum fratre ſuo Simone conſtanter obitum, & corporis utriuſque Romam translationem fusè ennarrant.* Cornelius ait: *Frater autem Jacobi, ſcilicet, minoris, qui fuit Apoſtolus, & primus Epiſcopus Jeroſolymæ. Nominat ſe Judas fratrem Jacobi, ut ſibi benevolentiam, & auctoritatem conciliet à fratre ſancto, & celebri. Habuit Judas duos fratres, qui electi ſunt à Chriſto in Apoſtolatum, & alium fratrem, Joſephum, ſcilicet, competitorem Matthiæ, cùm ſors Apoſtolatus cecidit ſuper Matthiam.* Eſtius inquit: *Judas ab aliis, qui eodem nomine vocabantur, ſeſe diſcriminat. Verùm maximè ſic ſe cognominat, quia Jacobus inter Apoſtolos Domini permagnæ erat auctoritatis. Faciebat igitur nominis ejus expreſſio ad conciliandam auctoritatem huic Epiſtolæ, tamquàm ſcriptæ à fratre tanti inter Apoſtolos viri. Ex quo denique probabile fit, licèt nonnulli diſſentiant, fratrem fuiſſe Jacobi germanum.* Emmanuel Sa dicit: *Frater Jacobi, ſcilicet, minoris, filii Alphæi, primique Jeruſalem Epiſcopi.* Menochius: *Frater fuit Jacobi minoris, cujus Epiſtolam Canonicam ſuprà explicavimus.* OEcumenius: *Jacobi enim celebris ob virtutem apud omnes fama effectura erat, ut hujus Apoſtoli Judæ Thaddæi doctrina majorem auctoritatem haberet, libentiùsque admitteretur.* Sanctus Antoninus 3. p. tit. 31. cap. 8. *Jacobus*, inquit, *Alphæi, ut quidam dicunt, eſt ſanctificatus in utero matris.* Hegeſippus apud Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ait: *Jacobus ex utero matris ſanctus fuit.* Cornelius item dicit: *Noſter Jacobus nomen hoc accepit à primo duodecim tribuum parente, & Patriarcha, qui dictus eſt ſupplantator à Rebecca matre, eò, quòd in utero, dum naſceretur, tenuerit plantam fratris ſui Eſau: quo portento ſignificabatur, quòd cum eſſet ſupplantaturus, eique jus primogenituræ callidè prærepturus. Simili modo Sanctus Jacobus diabolum, ejuſque filium Simonem Magum cum ſuis ſupplantavit. Myſticè Jacob, id eſt, Luctator, eſt quivis Chriſtianus. Hic enim ad duellum, & ſingulare certamen provocat dæmonem, carnem, & mundum. Unde eſt pugil, & athleta Chriſti, ait Sanctus Dionyſius Areopagita; & à Chriſto dicitur Chriſtianus, quaſi ab ungente unctus ad ſpiritualem luctam, qua tota vita cum hoſtibus confligere debet, ut dicit Sanctus Auguſtinus.* Hugo Cardinalis etiam ait; *Jacobus, ſcilicet, Luctator, & ſupplantator.* Lauretus in Sylva dicit: *Jacobus idem interpretatur, quod Jacob. Jacob, id eſt, ſupplantator, aut calcaneus, vel planta. Nomen Jacob adaptatur ad ea, quæ ad vitam activam pertinent. Jacob deſignat humiles pacificè viventes, etiam cum ſuperbis. Jacob ſignificare poteſt corpus humanum. Jacob, id eſt, ſupplantator, eſt ſenſus ſapiens, vincens appetitum. Lucta Jacob deſignat contemplationem, quæ modò eſt vincens quodammodò ipſum Deum, quia intelligendo, & ſentiendo de incircumſcripto lumine aliquid deguſtat; modò ſuccumbit, quia & deguſtando iterùm deficit. Lucta Jacob deſignare poteſt contentionem, & æmulationem, quia quis nititur vincere alios virtute, & Dei imitatione.* In Indice Biblico dicitur: *Jacob, ſupplantator.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

ABagarum Regem Edeſſæ, audivimus, fuiſſe converſum per Sanctum Judam Thaddæum Apoſtolum: plurimos alios, ſcimus, ipſum Sanctum Thaddæum convertiſſe, vitam ipſorum melioraſſe, mores correxiſſe, & eos in pace, ac amicitia Chriſti ſtatuiſſe, & collocaſſe. Abagarum profectò, & reliquos, quibus prædicavit, dum loqueretur voce, verbis, ſignis, atque miraculis, adduxit credens, & operans quod docebat operandum, ad fidem ſimul, & rectam operationem: alios innumeros hic Sanctus Apoſtolus, & vivens, & poſt mortem ſua Epiſtola traxit etiam ad Chriſtum, eos docens credere,

ac ſimul benè operari. Quid mirum? nam ſua ſanctiſſima vita firmabat, & ſtabiliebat, quod verbo, & ſcripto inſinuabat. Hoc ei accidit, quia frater Jacobi erat re ſimul, & nomine: frater imitatione, non minùs, quàm nomenclatura, & progenie. Quòd eſſet natura frater Jacobi, à patre, & matre accepit; ſed quòd eſſet Jacobum ipſum perfectiſſimè imitans, habuit principaliter à Dei gratia excitante, & auxiliante, ſimulque à ſua cooperatione cum gratia Domini, & à bona applicatione, quam fecit, ſui liberi arbitrii; ut non declinaret quò, ut filius Adami natura pronus ad peccatum, propendebat; ſed aſcenderet illuc, ubi Deus illum, & ſuam liberam voluntatem vocabat. Ut frater verus Jacobi luctatoris, & ſupplantatoris egit, imitans luctantem, & ſupplantantem, & Deo placere volens: placuit quidem iſti Domino luctans, placuit ipſi etiam ſupplantans: luctans illa fortitudine, qua diabolum devicit, & ſupplantans ipſum diabolum, & carnem ſimul, ac mundum, peſſimos animarum noſtrarum inimicos: contra quos aſtutia ſancta prævaluit, dœmoni reſiſtens, mundum calcans, ſuamque carnem ſemper frœnans, & edomans; & ſic, dum ſe ipſum debellans, victoriam contra ſuos appetitus obtinuit; dum premens calcibus ſæculum, triumphum de ipſo reportavit; ac dum diabolum à ſe abigens, eum fugere coegit, verè, velut dicit Gloſſa Interlinealis, egit Judas Thaddæus, ut frater Jacobi ſupplantatoris, & luctatoris; quia docet Gloſſa, quòd erat Sanctus Judas Beati Jacobi frater natura, fide, doctrina, & vita: propter quòd, ſi ejus eſt imitatus juſtitiam, etiam illius gloriæ habet conſortium, ſimulque cum ſuo fratre Jacobo incolit feliciſſimè Empyreum. Ad noſtrum exemplum, & profectum jurè Sanctus Judas Thaddæus (cujus nomen, & agnomen, ut ſupra vidimus, reſonat confeſsionem, & ſignificat etiam Dei laudem) frater Jacobi appellatur: quia in iſta ſua cognatione cum Jacobo, ſpiritualiter accepta ex illa naturali ſuppoſita, nobis aliquid magnum innuitur, immò multa nobis utilia panduntur, & declarantur. Non erit ſine lucta noſtra virtus, quando confeſsi fuerimus, vel Religioni, ac Dei cultui nos voluerimus applicare, vel Domini laudi decreverimus ſtudere; ſed Dei adjutorio inimicos poterimus vincere, valebimus etiam eos feliciter ſupplantare. Accingamur ad iter cœli: præparemur ad prælium, quamvis fortè, & licèt futurum ſit durum certamen. Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Animoſiores ergo ſimus, & ab omnibus nos impedientibus abſtineamus, ut æternam, & incorruptam coronam gloriæ accipiamus, luctantes, & ſupplantantes adverſarios: & ut æternaliter in cœli curia triumphemus. Rex, & Imperator Summus Chriſtus Dominus (qui expectat, ut miſereatur noſtri, & ideò exaltabitur parcens nobis) eſt ſimul Judex, qui ante januam aſsiſtit, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos; & qui expectat, ſimul etiam ſpectat, ut vincentibus carnem, mundum, & dœmonem ſerta ſempiterna diſtribuat. Nulli non ingerit animum ad colluctationem præſentia illius, cujus eſt, & ad quem pertinet, præmia largiri certantibus. Nulla ergo torpeamus ſocordia, nulla detineamur pigritia; omni ſolicitudine, & vi luctemur, & ſolertiſsimè munus luctatorum, & ſupplantatorum obeamus: quia non inertibus, non otioſis, non ſegnibus dantur æternæ remunerationis gaudia, & felicis perennitatis diademata. Utinam Deus vincat nos, ut vincat in nobis: faxit ipſe tollere à nobis obſtacula nobis à nobis ipſis provenientia: & tunc fiet, ut nos à Dei amore fauſtiſsimè victi, vincamus cum Deo; & Deus in nobis animæ hoſtes infenſiſsimos, & peſsimos vincat, quatenùs nos victoriam comparantes, Regiam cœli cum triumpho ingrediamur gaudentes. Ut igitur in nobis ſit germana fraternitas confeſsionis, & religionis, ac munera Chriſtianæ prudentiæ, atque fortitudinis (quod ſignificatur, quando Sanctus Judas Jacobi frater inſcribitur) petit Eccleſia nobis à Deo (qui dat omnibus affluenter, & non improperat) quod ſequens Oratio Officii Dominicæ ſecundæ Adventus, ſimul-

que

Digitized by Google

que Miſſæ ejuſdem Dominicæ Oratio ſecreta indicant.

Oratio Officii Dominicæ ſecundę Adventus, quæ eſt prima in Miſſa illius.

EXcita, Domine, corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus Adventum purificatis tibi mentibus ſervire mereamur. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus &c.

EXPLICATIO.

SIcut magna infelicitas eſt cordis mors, dormitio in periculis maximis, & dejectio; ita quid feliciſsimum eſt cor habere ſpiritualiter vivum, vigilans, & ad Deum erectum. Hoc intendit Catholica Romana pia Mater noſtra Eccleſia, quando toties in Miſsis nobis dicit: *Surſum corda*: ſurſum, ſcilicet, ut de morte reſurgant; ſurſum, ut ſegnitiem depellant; ſurſum, ut ad Dominum Chriſti Fideles ſcandant; & ſurſum, ut ad Deum ipſum ſua corda verè elevent, & erigant. Utinam corda habeamus ad Dominum, reſurgentes, vigilantes, & ad ſuperna aſcendentes. Deſiderans ergo Eccleſia piiſsima Mater noſtra, relata beneficia nobis à Deo noſtro concedi pro ſua benigna miſericordia, dicit hodie Patri Æterno: *Excita, Domine, corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus Adventum purificatis tibi mentibus ſervire mereamur*. Excitari petit, vel potiùs ſuſcitari mortua corda; excitari à ſomno corda dormientia; excitari etiam ſurſùm in imis jacentia corda. Ab illo poſtulat Eccleſia, corda noſtra excitari, qui & mortuis vitam, & ſomnolentis vigilantiam, & dejectis valet concedere ſublevationis neceſſariæ medicinam. Viæ Unigeniti Dei à nobis non præparabuntur, niſi à Deo corda noſtra excitentur. Excitata verò corda per Domini gratiam, vias Unigeniti Filii Dei feliciter præparabunt: & ad recipiendum Verbum Divinum conſubſtantiale Patri carne indutum, diſponentur. Per hanc excitationem noſtrorum cordium aget Dominus Pater Æternus (immò tota Sanctiſsima Trinitas) opus ſuum: & nos ita excitati à Deo, cum Deo opus ſalutare agemus nobis æternaliter proficuum. Proficiet quidem Deo ad accidentalem gloriam, quòd nos vias Unigeniti Dei præparemus per Domini ipſius gratiam: &, dum Deus fuerit principaliter agens, erimus nos ejus cooperatores; ita, ut Deo tribuatur, ſicut jure tribui debet, præcipuum: & noſtro libero arbitrio, benè cum Divina excitatione, & motione operanti, ac ideò merenti, juſtum correſpondeat præmium. Obliti ſumus multoties vias Unigeniti Dei præparare, cùm mortui, cùm pigri, & cùm eramus ad infima quæquè dejecti. Excutientes ergo per Dei gratiam mortem noſtram, abigentes pigritiam, & relegantes dejectionem, congruè, ac verè de præteritis pœnitentes, impoſterùm vias Filii Dei præparemus, ut cum eo hìc, & in futuro gaudeamus: in hoc, inquam, ſæculo per gratiam, & in futura beata æternitate per gloriam. Excitati à Deo præparabimus vias, per quas ad nos dignetur venire Dei Filius, qui in viis juſtitiæ ambulat, in medio ſemitarum judicii, ut ditet diligentes ſe, & theſauros eorum repleat. Præparabimus vias, tollentes á nobis noxia; præparabimus vias etiam adquirentes proficua: nam qui viam ſtraverit Domino, peccata fugiens, & à ſe quatiens, & viam diſpoſuerit eidem Deo, Chriſtianis virtutes complectens; dum vias Dei non ſolùm planans, ſed etiam ornans, vias eaſdem Domini præparaverit, hic beatus in facto ſuo erit. Quando ad hæc mala relata vitanda, & bona prædicta per veram pœnitentiam facienda, noſtra Deus excitaverit corda, ac per hoc Pater Æternus talia, ac tam magna nobis dignatus fuerit concedere beneficia, tunc per Filii ejus Unigeniti Adventum purificatis mentibus merebimur ipſi Patri Æterno ſervire: tunc valebimus verè ipſi Domino, ac Deo Altiſſimo obſequi. Mentes noſtræ ſiquidem purificabuntur, ſi a Deo noſtra corda excitentur, & poſt hanc excitationem omne malum fugientes, quidquid bonum eſt amplectamur: ſed ſine hac Dei excitatione non gaudebimus illa mentium noſtrarum

rum

Digitized by Google

rum munditie. Sordent mentes, quando noſtra corda non ſunt à Deo excitata. Nequit anima ſcelerum abominabiles ſpurcitias pellere, niſi potenter adjuvetur à Deo cor cujuslibet noſtrûm excitante; ſed Domino gratiæ auxilium excitantis, & etiam adjuvantis porrigente (quod quidem auxilium ſuaviter, & fortiter corda noſtra excitat, dum etiam nos ad benè operandum juvat) & nobis jam à Deo excitatis, & adjutis, in bonum noſtram libertatem applicantibus, fiet mirifica mentium noſtrarum purificatio per veram Confeſſionem Sacramentalem, vel per contritionem perfectam cum voto ipſius, in nobis; ut ſic per Adventum Filii Dei (cum Patre, & Spiritu Sancto animas noſtras ſanantis, & perficientis) purificatis mentibus Patri Æterno, & conſequenter toti Trinitati, ſervire mereamur, & valeamus.

ORATIO SECRETA.

P*lacare, quæſumus Domine, humilitatis noſtræ precibus, & hoſtiis: & ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis nobis ſuccurre præſidiis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.*

EXPLICATIO.

Non ceſſavimus, tempore præceptorum implendorum Dei noſtri, & Eccleſiæ, inobedientes Domino noſtro diſplicere, noſtræ obligationis ſervandi mandata obliti: æquum erit igitur, ut qui toties deliquimus, jam aliquando, immò multoties ſtudeamus Conditori noſtro placere, & eum curemus, & ſatagamus placare. Quò deteſtabilior fuit noſtra perverſitas, eò erit in conſpectu Æterni Patris placidior, & pretioſior noſtræ converſionis humilitas. Hanc exercentes, & preces, ſimul cum Altaris hoſtiis Domino, noſtro libantes, hodie coram ipſo apparemus, & illius beneficia depoſcimus. Poterat Deus noſter optimo jure nos offenſores ſuos, vel humiliatos repellere, quia ipſi rebelles facti incurrimus crimen, & pœnas læſæ Majeſtatis Divinæ; ſed non ita faciet ille piiſſimus Dominus, qui pro ſua miſericordia benigna ſcit clementiſſimè ſceleſtis indulgere, & peſſimos, ut aliquando reſipiſcant, tolerare. Adimus ergo hodie benigniſſimum Dominum omnis laudis, & honoris ob ſuam magnitudinem, & excellentiam, ac etiam ob talem patientiam, dignum. Preces ipſi offerimus, & hoſtias illi litamus: placabitur ſanè hoſtiis, qui placatur etiam precibus: hoſtiis, nempè, quæ ejus celſitudinem teſtentur: precibus, quæ nobis proficientes, ſint ad ipſius pietatem publicandam efficaces; dum qui acceperit noſtræ humilitatis tributum, tum hoſtiarum, tum precum, obſequio noſtræ parvitatis intendens, dignatus fuerit nobis conferre benignitatis ſuæ beneficium. Nulla nobis ſuppetunt meritorum ſuffragia; immò nos circumdant, & fœdant peſſima noſtra delicta; ſed vincens Dominus ſua bonitate abundantiam noſtræ malitiæ, quando taliter à noſtra iniquitate obſidemur, ſuis nobis ſuccurret præſidiis, ut eruamur à preſſura tam arctæ circumvallationis. Succurret Deus præſidiis utique ſuis, utpote ſua majeſtate ſapiente, & omnipotente dignis; quia ſciet præparare media per ſuæ gratiæ auxilia, & valebit nobis ſubvenire, conſequens finem noſtræ liberationis, ſua infinita Omnipotentia.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis*.

M*agnificat anima mea Dominum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.*

Explicatio horum verbornm ex Auctoribus.

Pro *Magnificat*.

Sanctus Anaſtaſius Sinaira legit ſic: *Magnificat anima mea eum, qui eſt mihi dominatus*. Euſebius Emiſſenus, Theophilactus, Sanctus Bonaventura, & Euthimius dicunt: *Magnificat, id eſt, anima mea Deum magnum prædicat*. Hugo Cardinalis inquit: *Beatiſſima Virgo in ſuo Cantico largiùs loquitur, quàm in quacumque alia*

actio-

Digitized by Google

actione: tota erat hìc in reddendis gratiarum actionibus Deo pro beneficiis tam ſibi, quàm univerſo populo collatis: & ideo ait: Magnificat anima mea Dominum. Franconius Abbas ait: *Magnificat, id eſt, anima mea Virginitate, ac puritate, & Sanctitate Deum glorificat, atque exaltat.* Sylveira: *Magnificat, hoc eſt: Ita anima mea tot gratiarum cumulata donis magnum ſui Conditorem manifeſtat, ac ſi ex nullo alio opere tantum ſibi gloriæ arrogaverit.* Vincentius Regius in Elucidat. Evangelic. ad hunc locum dicit: *Pulchrum ſanè futuri ædificii fundamentum, & quidem ſtabile, ac proinde quadratum, quatuor verbis, quaſi quatuor firmiſſimis angulis conſtans: Magnificat anima mea Dominum.* Didacus de Baeza ad hunc etiam locum ait; idem eſſe dicere Virginem Mariam Deiparam: *Magnificat anima mea Dominum,* ac dicere: *Omnia ignoro creata: uni Domino, & Servatori animam, mentemque pando, & ecce tibi in anima mea, in utero meo ſub omni ſua magnitudine claret, quia ſolus ibi capitur. Hanc Marianæ gloriæ,* inquit idem Auctor, *magnitudinem Iſaias ſpeculatus ajebat: Solùm ibi magnificus eſt Dominus. Etenim ubi ſolus Dominus eſt, qui dominatur Marianæ mentis, magnificatus apparet.*

Pro: *Benedictus.*

SAnctus Cyprianus legit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia proſpexit redemptionem populo ſuo.* Vatablus: *Laudandus Dominus Iſraelis, quia viſitavit, & perfecit redemptionem populo ſuo.* Syriacus: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quippe viſitaverit populum ſuum, feceritque redemptionem ejus.* Sylveira: *Benedictus, id eſt, laudabilis ſit. Carthuſianus, Hugo, Caſſianus, & alii ajunt: Quamquam omnes tres Divinæ Perſonæ Trinitatis aptè dici poſſint hìc laudari; ſecunda tamen intelligitur à Zacharia: quia hæc Perſona, ſcilicet, Filius, viſitaverit, & fecerit redemptionem.* Sanctus Ambroſius dicit: *Vide, quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis: non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit. Ille dudum mutus Zacharias prophetat.* Sylveira item inquit: *Secundùm omnium ferè Patrum, ac Doctorum ſententiam, ante Nativitatem filii Zachariam pœnituit ſuæ infidelitatis, ac præſentia Virginis, & agnitione myſteriorum multùm in gratia Spiritus Sancti ipſe profecit: nec enim Deus virum tantum in peccato tanto tempore fineret eſſe.* Vincentius Regius in hunc locum dicit: *Laudat hoc Cantico Deum Iſrael Zacharias, beneficia populo ejus præſtita ennumerans, utpote quem viſitaverit, & à peccatis ſuis, quibus venumdatus erat, redemerit.*

Pro: *Nunc dimittis.*

VErſio Syriaca legit: *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine mi.* Vatablus & alii ex radice Hæbraica: *Jam ſines, hinc migrare.* Carthuſianus: *Supplico, ut dimittas me.* Vincentius Regius in hunc locum dicit: *Putant aliqui,* Nunc dimittes *legendum, &, cùm Hæbræi, ut ajunt, vota per futurum explicent, volunt, optantis eſſe hæc verba. Sic Ambroſius, & Beda, Lyranus, & alii graves Auctores. Sed paſſim* Dimittis *legimus ex Græco, quod videtur propriè eſſe liberari de fœdo carcere: cùm ergo promiſiſſet Deus, non mortem obiturum Simeonem, quin priùs Chriſtum videret, quaſi ſtatim, eo viſo, moriturus eſſet, & non ob aliud hæc vita proroganda videretur ei: ideò hujus rei non ignarus ſenex, quaſi jam moriens, præſenti uſus eſt tempore: Nunc dimittis. Alloquitur autem Patrem, à cujus Spiritu reſponſum acceperat.* Baeza in hunc locum dicit: *Tempeſtiva mors accidit hominibus poſt Chriſtum, cujus gratia maturi jam, & tempeſtivi excidimtur aptandi in tabernacula æterna. Jam meritò dicat Beda: Multùm felix videbit mortem carnis quicumque Chriſtum priùs oculis cordis videre ſatagerit.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita.

TOta erat Beata Virgo Dei Genitrix Maria in gratiarum actionibus occupata. Acſi carnis eſſet expers, & quaſi tota ipſa anima facta, in Dei laudibus reſonat, & Dominum ſuum, & noſtrum dignis præconiis magnificat. Magnificat, nempe,

pe, anima Mariæ Dominum, qui erat dominans illi beatiſſimæ fœminæ inter omnes mulieres benedictæ, & ſupra omnem puram creaturam exaltatæ; ac verè ei dominans, abſque eo, quòd in Maria inveniretur aliquid, vel rebellans, vel reluctans Deo, cujus Sanctiſſimæ voluntati Dei Genitrix dedita erat ex integro in perpetuum à primo inſtanti ſuæ animationis ſacratæ, vel Conceptionis puriſſimæ. Erat Mariæ Deiparæ Dominus in Deum ad Virginis ipſius gloriam, feliciſsimumque elogium: & quidem idem Dominus, qui fuit, eſt, & erit æternaliter Dei Genetrici in Deum, fuit, eſt, & in æternum erit etiam Mariæ Deus in Dominum. Quòd eſſet, ſit, & futurus ſit Dominus omnium (meliùs, quàm anteà Jacob) Mariæ Virgini in Deum, ortum eſt, oritur, & orietur à beneficiis, quæ Dominus pleniſſimè voluit Almæ Virgini concedere: (quæ quidem beneficia ab inſtanti ſuæ puriſsimæ Conceptionis Mariam ſuaviſsimè obſtrinxerunt, ut vel ex tunc Domino noſtro Trino, & Uni, tamquàm vero Deo, libaret cum fide, ſpe, & charitate, religioſiſsimam adorationem, & cultum;) ſed, quòd fuerit, quòd ſit, & futurus ſit ipſe Deus Trinus, & Unus Mariæ in Dominum, provenit jam, provenit nunc, & proveniet in æternum ex eo, quòd à primo inſtanti ſuæ animationis ſacratiſsimæ eam Virginem electam, & prædeſtinatam in Dei Matrem, Deus poſsideret, & regeret, regat nunc, & æternaliter recturus ſit per peculiare dominium (quia in ea numquam regnavit, nec regnat, nec regnabit originale, neque actuale peccatum) dominans in illa Deus, per eam mirabilia operans; mira in ea, & magna ei faciens qui potens eſt, & Sanctum Nomen ejus, ab ea magnificatus, & per ipſam publicatus, ut Dominus ſpecialis ejus, & etiam, ut univerſorum Dominus. Verè magnificat anima Mariæ Dominum, quia eum facit videri magis quoad accidentalia magnum: magnificat quem dignum laude demonſtrat: magnificat, quia maximum, immenſum, incomprehenſibilem, & omnipotentem prædicat: magnificat, quia ejus magnalia loquitur, & omnibus nobis ejus Domini Trini, & Unius magnitudinem Deipara Virgo teſtatur; quatenùs, quia per Mariam magnum cognoſcimus eum, amemus illum, ut Patrem, & revereamur, ut Dominum: & qui à Maria, Deum eſſe magnum teſtante, hoc audimus, etiam nos ipſum pro noſtro modulo magnificemus, & tam utile illum magnificandi exemplum à Dei Genitrice Virgine Maria diſcamus. Magnificabimus profectò, ſi recta fide Catholica, & bona operatione Chriſtiana per Dei gratiam grandes virtute fuerimus effecti: ſi ex noſtra perfectione reſultet Deo noſtro, & Domino aliqua gloria, & accidentalis magnitudo, de quibus poſsint gaudere juſti in hoc ſæculo, & lætari Cælites in Empyreo. Hunc Deum Dominum, & Dominum Deum jam anteà à Beata Maria in ſuo Cantico magnificatum, vocavit Zacharias Pater Sancti Joannis Baptiſtæ Benedictum. Dixit *Benedictus Dominus Deus Iſrael*: ut nos etiam dicamus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digittos meos ad bellum: Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus*. Ergo benedictus Dominus: quoniam mirificavit miſericordiam ſuam nobis in Civitate munita, hoc eſt, in Eccleſia Catholica Romana, vera fide, ſancta lege, proficuis Sacramentis, & piorum orationibus defenſa: in qua quidem urbe fortitudinis noſtræ Sion nos miſericorditer Deus, & Dominus noſter collocavit, quando in hoc paradiſo nos poſuit, ut operaremur, & cuſtodiremus illum; ac per hoc ſingulariter in ſpe conſtituit nos: & quidem non noſtris meritis ad Catholicos juſtos filios Romanæ Eccleſiæ nos miſit Dominus illorum coronis participes fieri; ſed pro ſua benignitate in Eccleſia nos poſuit Dominus, ut per Communionem Sāctorum participes ſimus omnium timentium Deum, & cuſtodientium mandata illius. Pro Eccleſia Catholica in hoc Gratiæ Legis feliciſsimo tempore forſitan ſuſpirabat ille, qui dicebat: *Quis deducet me in Civitatem munitam? quis deducet me uſque in Idumæam?* quia tempus, quò nos filii Euangelii fungimur ob Dei clementiam, deſiderabat, & pro hac Eccleſia anhelans, illam ardenter ambiebat. Cum ipſo Deo Domino, jam poſt Chri-

Chriſtum natum, loqnebatur Sanctus Senex Simeon dulciſsimè ei dicens,& tenertimè: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*. Dominum appellat, & Dei obſequio humillimè ſe mancipat: quia Deus ipſe voluit illi concedere Jeſum in ſuis ulnis geſtare, & ad pectus proprium poſſe Mundi Redemptorem Chriſtum verum Deum, & Dominum admovere, brachiiſque ſimul cum corde adſtringere. Olim dicebat Deus per Malachiam Prophetam: *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Heu quam obliti Dei ſumus! Quarè uon diligimus fortiter? & quarè non ainamus ardentiſsimè Patrem verum Deum noſtrum, quem Beata Dei Genitrix Virgo Maria tota anima magnificat, quem Zacharias laudat, & Sanctus ſenex Simeon adeò magnificè prędicat? Dominum vocat Deum Deipara: Dominum eum etiam Zacharias, & Simeon ſenex inclamant. Ergo qui non amare curavimus, nec curamus, ut decebat, & decet, Deum, velut Patrem noſtrum verum, ſaltem timeamus ipſum, ut Dominum. Initium ſapientiæ timor Domini. Amabimus Deum timentes, ſi illum timuerimus amantes; quia erit Deum diligere, timere eum non timore ſervili, ſed filiali; timentes, inquam, illi vel in minimis diſplicere. Non erimus ſine amore aliquo, ſi filiali timore curaverimus in nullis non ipſi obſequi, in cunctiſque ei quamdiligenter placere. Deſiderat Eccleſia, nos Deum Patrem noſtrum, ut verum Patrem amare, & ipſum Deum Dominum noſtrum, ut Dominum, revereri, & timere. Ideò hodie, ut poſt acceptam Sacratiſsimam Euchariſtiam gratias agentes, terrena faſtidiamus, nos à Dei amore, & timore avertentia; & cœleſtia appetamus, nos ad Deum Patrem, Dominumqne noſtrum vocantia; ita loquitur, ut nos loqui doceat: ſic orat, ut nos ad orandum inſtruat. Dicit ergo:

Oratio poſt Communionem.

REpleti cibo ſpiritualis alimoniæ, ſupplices te, Domine, deprecamur: ut hujus participatione Miſterii doceas nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

RES ſæculi non replent nos, neque implent; immò vacuos deſerunt, & inſatiatos relinquunt. Non ſatiant; ſed inflant: non ſuſtentant; ſed peſſumdant: non ditant; ſed ſpoliant. Ideò non ſatiſfaciunt, quia deficiunt: ideò nos non conſolantur, quia fugiunt. Pernicioſa profectò hydropiſi ſæcularium bonorum mundani laborant, ſiti torti; quando aliàs etiam ſunt fame anguſtiati, preſſura cincti, atque oneribus gravati. Contra ægritudinem iſtam diæta ſalutis accipitur: quæ quidem diæta docet abſtinere à nocentibus, & capere medicinam, & cibum opportunum accipere pro valetudine ſpirituali perdita recuperanda, & ipſa adepta tuenda. Pro animæ hydropiſi afflictis, ſicut etiam pro famelicis, pro preſſis, & oneratis, eſt remedium optimum præ dolore peccatorum cinerem tamquàm panem manducare, & potum cum fletu miſcere: bonus potus, & cibus eſt etiam ſemper orare, & numquam deficere. Præſtat tamen omnibus animæ, atque corporis cibariis cibus ſpiritualis alimoniæ, dignè accedentibus ad menſam panis cœleſtis Sacratiſsimę Euchariſtię; quamvis bona ſit oratio cum jejunio, & eleemoſyna, & utilis ſit cibus ad noſtram ſalutem, & allevationem ſpiritualem cujuslibet boni operis, præſertim pœnitentiæ, & miſericordiæ, executio. Hodie igitur dicimus, quòd ſumus repleti cibo ſpiritualis alimoniæ poſt Euchariſtiam Sacratiſſimam in Sancto Dei Altari acceptam (Verè dicimur repleti; quia ſolùm, quod Deum continet, & portat, poteſt replere hominem recipiendæ in ſe Domini noſtri Divinitatis capacem;) Hic cibus cæleſtis alimoniæ habet, dum nos replet, etiam virtutem ſanandi infirmos, potandi ſitientes, ſatiandi famelicos, dilatandi oppreſſorum animos, & alleviandi oneratorum ſpiritus. Coram Domino igitur noſtro nos Euchariſtia replente, nos curante, & alleviante, gratias agentes

ſtamus : & ſtantes,ab ipſo Domino,quamvis repleti, aliud petimus. Aliud dixi, ſed aliud, quod nobis poterit provenire ex Myſterii Altaris ip a participatione. Non habemus Euchariſtia repleti aliquid deſiderandum, præter futuram gloriam, cujus pignus cognoſcimus eſſe ipſam Sacram Euchariſtiam. Quia ipſa eſt pignus gloriæ futuræ, iſtam gloriam futuram debemus optare, talis gloriæ in Divino Sacramento jam accepto pretioſsimo pignore. Repleti igitur cibo ſpiritualis alimoniæ, inhiamus gloriæ æternæ, petentes à Deo noſtro, ut hujus participatione Myſterii, pro ſua infinita miſericordia, doceat nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Amore gloriæ jam in hoc Sacramento affecti, præ cœleſtium inc'amamus amore, gloriam tantam ambientes poſsidere. Sed, ut feriò, ac verè amemus cœleſtia, petimus nobis dari,ſpernere terrena, & caduca. Non poterimus dignè cœleſtia amare, niſi priùs ſæcularium rerum evacuemur amore; ſupponendum eſt enim, hunc amorem ſæculi noxium præpedire illum cœleſtium amorem nobis utilem, & proficuum. Niſi à Deo edocti, nec poterimus terrena deſpicere, nec cœleſtia nobis proficientia amare. Ideò ſupplices deprecamur repleti cibo ſpiritualis alimoniæ, ut hujus participatione Myſterii doceat nos ipſa Majeſtas Divina, terrena deſpicere, & amare cœleſtia.

CAPUT TERTIUM

Pro Dominica tertia Adventus.

Proponitur Textus Epiſtolæ Canonicæ Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli ante explicationem primæ Orationis, & etiam ſecretæ hujus Dominicæ tertiæ Adventus.

His, qui ſunt in Deo Patre dilectis.

Explicatio litteralis hujus Textus ex Auctoribus, etiamque Moralis.

VErſio Æthiopica eſt: *His, qui diligunt Patrem*. Arabica: *Ad ſanctificatos per Deum Patrem electos*. Lyranus legit: *His, qui ſunt in Deo Patre, fide formata charitate, Dilectis, à Deo, à me, & fidelibus cunctis*. Eſtius ait: *Id eſt, fidelibus, qui nimirum in Deo Patre, tamquam omnis ſanctitatis Auctore, & principio ſanctificati ſunt: & à Jeſu Chriſto, qui eos redemit. Dicit autem: Sanctificatis, ut hujus beneficii mentione eos revocet, ac deterreat ab immunditiis Scholæ Simonianæ*. Menochius: *Dilectis, ex Charitate, qua in Deo, & propter Deum proximos amamus. Vel dilectis à Deo Patre*. Tirinus: *His, qui ſunt in Deo, & in Dei fide, gratia, & charitate uniti, ac proinde omnibus meritò dilectis, &, ut multi legunt, ſanctificatis*. Hugo Cardinalis: *His, qui ſunt, id eſt, qui ſunt membra Dei, qui habent Deum Patrem, & Patronum, dicit Gloſſa. Ergo nos ſumus membra Dei Patris. Et hoc eſt verum: quia Deus Pater, & tota Trinitas Pater noſter eſt, & nos ejus membra per infuſionem gratiæ, & ſpiritualis vitæ, & hoc effectivè; Chriſtus verò Caput noſtrum eſt, & ejus ſumus membra per conformitatem: vel, quia & motum, & vitam nobis infudit effectivè, in quantum Deus, ſed in quantum homo, meritoriè. Dilectis per fidem, & opera, ut dicit Gloſſa*. Cornelius inquit: *Dilectis: quaſi diceret: Chriſtianis in Deo Patre dilectis ſalutem dicit, ſcribitque hanc Epiſtolam*. Emmanuel Sa ex textu Græco: *Sanctificatis*. La Haye: *Chriſtiani enim in Deo, id eſt, à Deo, vel propriè in Deo, id eſt, in Dei fide,*

Digitized by Google

gratia, & charitate ſunt uniti: idedque à Juda, & ab inviem diligibiles, & dilecti. Item, in Deo, id eſt, per Deum, & à Deo ſunt ſanctificati. Sabaudi: Salutem dicit. Cajetanus, Clarius, Vatablus, Pagninus, & alii: *Sanctificatis.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba relata.

VOcat in hoc loco Apoſtolus Sanctus Judas a Deo Patre dilectos illos Catholicos Chriſtianos, qui ſatagentes eſſe firmi in fide, etiam curant exiſtere conſtantes in charitate. Hi ſunt verè dilecti Deo, & hominibus, quorum memoria in benedictione eſt: & in quorum verbis Dominus monſtra placavit: quia ſigna eos, qui bene operantur, ſequuntur, dum ſpiritualiter dœmonia ejiciunt, & ſerpentes tollunt, quando per fidem, & Charitatem domant vim delictorum, ſcelera relegant, & iniquitates abigunt. O magna vis fidei! O magnus etiam charitatis vigor! Fidei, inquam, eſt vis grandis, quæ poteſt montes transferre: & præcera eſt fortitudo dilectionis Dei, & proximi, quæ valet peſſima ſacinora tollere, conterere, & ad nihilum redigere. In Deo Patre ſunt dilecti, qui credunt, ac ſimul benè operantur. qui habent fidem, gratiam, atque dilectionem. Dominus diligit juſtos, & ipſe etiam diligentes ſe diligit, quando verum eſt, quòd odio ſunt Deo impius, & impietas ejus. Diligamus, & amabimur ab eo, quem per fidem cognoſcimus: &, ut nos hortatur Sanctus Ambroſius, *in quantum Deus intelligitur, diligatur: & in quantùm diligitur, ſemper in memoria habeatur. Nec ſolus ſufficit de eò intellectus, niſi fiat in amore ejus voluntas: immo nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus: ut ſicut non poteſt eſſe momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia, ita nullum debeat eſſe momentum, quo præſentem eum non habeat memoria.* Hucuſque Sanctus Ambroſius lib. de dignit. humanæ conditionis, cap. 2. Sit igitur à nobis volitum, & verè amatum illud Bonum Summum à nobis jam per fidem præcognitum. Propter quod unum quodque tale, & illud magis: itaque ſi jubemur propter Deum diligere proximum, amemus proximum, ſed magis, quàm proximum (immò etiam magis, qnàm nos ipſos) diligamus illum, ob cujus amorem ad proximum diligendum obligamur. *Qui vult cognoſcere, amet*, ait Sanctus Auguſtinus. Amemus Deum in hac via, ut eum poſſimus cognoſcere, non jam videntes illum per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem, in Patria. Juxta Verſionem Æthiopicam vocantur diligentes Patrem ipſi, qui ſecundùm Textum Vulgatæ dicuntur in Deo Patre, vel à Deo Patre dilecti, & prout legit Græcus, ſanctificati à Deo Patre nominantur. Ergo idem eſt, aliquem noſtrum amorem erga Deum exercere, ac ipſum ab eodem Deo diligi, & ſanctificari: quia non ſunt contrariæ Vulgatæ Scripturæ illæ Verſiones à Dei Eccleſia receptæ, quamvis Vulgata ſit de fide, & aliæ tantum gaudeant probabilitate. Quarè multoties à Deo non diliguntur peccatores, etiam Catholici? Quia, etiamſi habeant fidem, ſunt impii, quando carent dilectione. Quamvìs ſibi blandiantur, nomine, & fide Chriſtianitatis contenti, extra viam ſalutis æternæ, mortui Deo, vivunt: & habent nomen, quod vivant, & mortui ſunt, dum nec gratiam Dei magni pendunt, nec in charitate, & recta operatione occupantur. Curent jam à Deo ſanctificari, atque diligi, ſatagentes credere, in gratiæ ſtatu degere, ac bonæ operationi vacare, ut per hæc obtineant à Deo diligi. Ædificavit Deus ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundavit in ſæcula (Hoc eſt, ædificavit ſanctuarium, ut interpretantur Sanctus Doctor Maximus Hieronymus, ſimulque Textus Chaldaicus) ſed, ſi unicornis virulentas aquas cornu ſuo purificat, & aquæ populi ſunt, & gentes, ut dicit Sacra Apocalypſis; adjuvantes noſmetipſos, ut Dei adjutores ſimus, ſecundùm Sanctum Paulum: quod Deus purificavit, nos commune non dicamus: quia non ſumus noſtri, empti enim ſumus pretio magno, & debemus glorificare, & portare Deum in cor-

pore noſtro: immò Domino cooperantes, (qui in Baptiſmo nos lavit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & vult nos lavare etiam in Sancto Pœnitentiæ Sacramento) cum Deo noſtræ ſanctificationi, & juſtificationi intendamus, ut ab aquis noſtræ conſcientiæ per Deum tollantur venena culpæ, & regnum Dei intra nos ſit, & ut ſit Domino locus in diverſorio noſtro, ut regnet in nobis per gratiam, & in templo ejus omnes dicant gloriam, dum templa fuerimus Dei vivi, & non tantùm ſimus compoſiti, & circumornati, ut ſimilitudo templi. Deus Dominus eſt domus, templi, & ſanctuarii, quod ædificavit ipſe: ille deſiderat noſtra, quæ creavit, corda invenire receptacula munda, ut tribuat nobis chariſmatum dona. Ille aliquando virtute ſuæ bonitatis à peccati toxico nos eripuit: &, ſi fuerimus in gratię ſtatu, ipſe, qui creavit nos, requieſcet in tabernaculo noſtro. In terra ædificabit Deus, ſicut unicornium, ſuum ſanctificium, vel ſanctuarium: hoc eſt, in noſtris terrenis cordibus (quæ fundavit in ſæcula:) ſi corda ipſa bene fuerint per confeſsionem Sacramentalem, vel veram contritionem mundata, & purificata: ut nos theſaurum gratiæ, & Dei præſentiæ habeamus, etiam in vaſis fictilibus: & ſi in gratia Dei perſeveraverimus, corda noſtra, etiam lutea, erunt vaſa in honorem Cœleſtis figuli, & noſtrum æternalem effecta, in eminentique gloriæ Empyrei altitudine repoſita. Hæc eſt igitur voluntas Dei ſanctificatio noſtra: ut ſciat unuſquiſque noſtrùm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. Non enim vocavit nos Deus inimmunditiam, ſed in ſanctificationem in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Propter hanc ſanctificationem noſtram venit, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Ipſi Jeſu Redemptori loquitur Eccleſia in prima Oratione Miſſæ hujus Dominicæ tertiæ Adventus: & in ſecreta per ipſum orat & Patrem Æternum. Audiamus Eccleſiam depoſcentem: adhibeamus precatores, adhibeamus Eccleſiam (ut nobis ſuadet Sanctus Ambroſius) quæ pro nobis precetur, cujus contemplatione, quod nobis Dominus negare poſsit, ignoſcat: ut audiamur à Jeſu Chriſto, & per illum ab ipſius Patre Æterno.

Oratio Officii Dominicæ tertiæ Adventus, quæ dicitur primo loco in Miſſa illius.

Aurem tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris accommoda: & mentis noſtræ tenebras gratia tuæ viſitationis illuſtra. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

EXPLICATIO.

JEſum Chriſtum, qui in quantum Deus eſt, *Ens eſt, cujus centrum eſt ubique, & circumferentia nullibi* (quam diffinitionem apprimè, & appoſitè Philoſophus Mercurius Triſmegiſtus ſcivit Deo immenſo applicare:) ideòque eſt iſte noſter Creator, & Dominus omnipotens, etiam incircumſcriptus, & immenſus: & in quantum eſt homo, ipſe Redemptor noſter adeſt circumſcriptivè in Empyreo, & diffinitivè in Venerabiliſſimo Euchariſtiæ Sacramento: Jeſum Chriſtum, inquam, hodie cum Eccleſia noſtra Matre invocamus, & ab eodem Conditore, & Salvatore Mundi, quatenùs aurem ſuam precibus noſtris accommodet, humiliter, & etiam confidenter depoſcimus, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Habet aures audiendi: & audiet, niſi fortè nimium tumultus noſtrarum iniquitatum perſtreperit. Eſt in terris ſpiritualiter preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: quia, cùm cor impii comparetur mari ferventi, ſæpè anguſtiis premimur, & à Deo non exaudimur, quandoquidem non ſilent tumultuantia noſtra corda, ſonantes fluctus elevantia, rumoremque magnum Deo infenſum, ac nobis nocivum edentia. Utinam Chriſtus mirabilia operetur in hoc mari, dicens: *Tace, obmuteſce*, ut fiat in nobis tranquillitas magna, & in ea exaudiamur à Redemptoris noſtri benigniſſima clementia. Hunc Dominum hodie adimus dicentes: *Aurem tuam, quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda*. Accommodabit

bit profectò (maximè , ſi ei non reſtiterimus) ille, qui magis deſiderat nobis beneficia concedere , quàm nos velimus ea ab ipſo flagitare . Auribus percipiet lacrymas noſtras ille , qui nobiſcum eſt in tribulatione ; quia, ut docet Sanctus Auguſtinus, *licèt alta ſit terra , altum cœlum , audit tamen Deus hominis linguam , ſi mundam habeat conſcientiam . Cum ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus . Sufficit auribus imber oculorum: fletus citiùs audit, quam voces* . Hæc habet Sanctus Doctor Serm. 226. de Temp. alias 65. in Appendice de diverſ. tom. 10. Aurem profectò volet nobis accomodare , qui nos benignè voluit redimere : immò placebit illi , quòd ſonet vox cujuſque noſtrûm in auribus ſuis , ſi animæ vox dulcis fuerit , & facies ejus decora , exiſtendo feliciter in gratia : & ſic ad audiendas noſtrarum precum voces ipſe ſuas piè accomodabit aures . Rogamus eum iterùm , ut gratia ſuæ viſitationis tenebras illuſtret noſtræ mentis. Tenebræ quidem ſunt ſuper faciem abyſſi animæ peccatricis, quando terra hominis eſt inanis ſine gratia, & vacua ſine virtute , uſquequò tempus adſit, quo ſol refulſerit . O Sol ſalutis, intimis Jeſu refulge mentibus . Sunt multa fucis illita , quæ luce purgentur tua : tu vera lux cœleſtium , vultu ſereno illumina . Vides malum , quod fecimus , occulta noſtra pandimus : preces gementes fundimus , dimitte quod peccavimus . Te, Chriſte , ſolum novimus : te mente pura, & ſimplici , flendo , & canendo , quæſumus , intende noſtris ſenſibus . Nox , & tenebræ , & nubila , confuſa mundi, & turbida, lux intrat , albeſcit polus , Chriſtus venit : diſcedite .

ORATIO SECRETA.

Devotionis noſtræ tibi , quæſumus Domine , hoſtia jugiter immoletur: quæ & ſacri peragat inſtituta Myſterii , & ſalutare tuum in nobis mirabiliter operetur . Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Ut devotionis noſtræ hoſtia jugiter immoletur Æterno Patri , qui plebem ſuam facit eſſe devotam, ab eodem Patre Æterno hodie ſuppliciter petimus: rogantes illum , quatenùs diſponat , nos illi immolare illam devotionis noſtræ hoſtiam, quam ipſe nobis dignatus fuerit concedere . Poſcimus, immolari hoſtiam noſtræ devotionis Magno noſtro Deo, & Creatori , & ſimul , eamdem hoſtiam illi jugiter, ſive continuè , aut ſine ceſſatione immolari. Totum hoc poteſt noſter Conditor miſeratus efficere. Ut jugiter immoletur hæc noſtræ devotionis hoſtia , Deo noſtro, poſſumus nos per ejus Divinam gratiam, & ejus adjutorium conſequi , removentes prohibentia , & agentes illa , quæ ſunt ad continuam devotionem , & illius jugem immolationem, opportuna: & dum egerimus apta ad devotionem habendam : & continuantes illam , abegerimus à nobis devotionem impedientia ; amplectentes quæque ad ipſam adjuvantia: jugiter immolabitur Patri Æterno noſtræ devotionis hoſtia. Hæc hoſtia quidem immolatur, ſed immolata perficitur, non deſtruitur : non minuitur , ſed augetur: non annihilatur , ſed reproducitur : non ſtringitur, ſed ampliatur ; ita, ut Deo oblata devotio , & ſit in duratione diuturnior , & in qualitate melior , ſicut etiam in quantitate extenſior , atque productior . Ubi , niſi in Deo poteſt feliciter collocari anima noſtra, ut devota permaneat, & ſecura conſiſtat ? Ubi adeò benè poteſt noſtra devotio ad ſecuritatem obtinendam collocari, niſi in Deo ipſo nobis eamdem devotionem largiente ? Servabit profectò Deus Pater noſtræ devotionis hoſtiam, ſi clementer conceſſerit, eam eſſe à nobis illi jugiter, utpote Domino univerſorum, oblatam . Curabit quidem ille cuſtodire devotionis hoſtiam , quam ſibi conceſſerit immolari. Servabit verò , & cuſtodiet hoſtiam iſtam, ut continuetur devotio noſtra ad ejus gloriam accidentalem , & ut nobis poſſit prodeſſe ad ſalutem . Cuſtodiet noſtræ devotionis hoſtiam

ſibi

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſibi jugiter oblatam ad ſuum Divinum honorem, ac noſtram utilitatem. Honor Dei Patris erit, quòd devotio noſtra ſacri peragat inſtituta Myſterii: & utilitas noſtra erit, quòd, quando Deo in iſta immolatione jugi devotionis noſtræ hoſtiæ, ſervierimus; ut ipſa ſalutare Dei in nobis mirabiliter operetur, lucremur. Sacri Myſterii, Deo dante, devotionis noſtræ hoſtia jugiter Deo immolata, inſtituta peraget, ut vertatur in Dei ipſius gloriam SanctumMiſſæ Sacrificium ad cultum,& honoremDomini noſtri inſtitutum.Salutare Dei in nobis mirabiliter operabitur ipſi Patri Æterno jugiter immolata noſtræ devotionis hoſtia: quia hæc movebit Patrem, ut concedat, quòd Jeſus, ſalutare Dei ejuſdem, & Salvator noſter, ſit nobis verè Jeſus, & ſalutaris; ſiquidem per hanc hoſtiam concedet Æternus Pater, ut omnis vallis impleatur, & omnis mons, & collis humilietur, & ſint prava in directa, & aſpera in vias planas: & videbimus ſalutare Dei, parantes viam Domini, rectas facientes ſemitas ejus: & ſic oſtendet nobis Æternus Pater miſericordiam ſuam, & ſalutare ſuum dabit nobis: & audiemus, quid loquatur in nobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, ſum, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor. Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: & reſpiciens in faciem Chriſti ſui, protector noſter aſpiciet Deus.

Textus Canticorum, *Magnificat*, *Benedictus*, *& Nunc dimittis*.

M*Agnificat anima mea Dominum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Ecce Canticum Mariæ, quod tam celebri, & aſſidua, immò quotidiana recitatione Sancta per orbem frequentat Eccleſia. Quis ignoret, maxima ſpiritualis intelligentiæ myſteria continere? Ut enim prætermittamus, quòd, vel ſolum, ad ejus authoritatem commendandam ſufficere potuiſſet: videlicet, non ſine magna, & valdè rationabili cauſa conſuetudinem Eccleſiaſticam hoc præ cæteris omnibus Canticis, quæ in Sacra Scriptura reperiuntur, in tanta veneratione retentaſſe. Ut, inquam, hoc prætermittamus: quis dubitet, Beatam Virginem recenti Spiritus Sancti in eam ſupervenientis tanta plenitudine, & gratia repletam, non potuiſſe parvum aliquid, & quod ſupra terrenarum mentium capacitatem non eſſet, in laudem Salvatoris ſui proferre? Conſtat ergo, de tanta plenitudine exultantem, tantaque devotione novum illud, & humanis mentibus inſolitum gaudium Jeſu ſuo jubilantem, nova laude, & ſingulari præconio novam lætitiam in novo Adventu æterni Domini prædicaſſe. Cùm Maria, ſe Dominum magnificare, perhibuit, venerandam illam, reverendamque univerſis æterni Numinis majeſtatem interna viſione contueri, ſe manifeſtè declaravit.* Vincentius Regius inquit: *Solemne eſt humilibus, cùm laudantur, cauſam in ſe laudum nullam agnoſcere, ſed in Deum referre, ſi quid in ipſis laude dignum apparet. Inquit ergo Beata Virgo: Fateor, me magna de cælo habuiſſe, & Dei Matrem eſſe: negare non poſſum quæ tu de me, Eliſabeth, verè prædicas. Verùm ego cuncta in eum refero, qui magnus eſt, & à quo cognoſco hæc magna. Magnificat igitur, id eſt, exaltat, ac verè magnum prædicat anima mea Dominum. Loquitur in præſenti: non enim tempus expectat ad laudandum Deum: omne illi tempus ad id opportunum, omne idoneum videtur; ſemper namque Dei laus in ore ejus.* Sylveira hæc habet: *Non dixit Beatiſſima Virgo Maria per modum imperantis: Magnifica; ſed tantùm ait in tertia perſona: Magnificat anima mea Dominum: quia Beatiſſima Virgo ita cæleſtibus contemplationibus addicta, ac intenta erat, ut nec per momentum, ſive vigilans, ſive dormiens, ab illis abſtineret: quapropter omnis excitatio ſupervacanea erat, ac proinde perpetuò, continuòque dicebat: Magnificat anima mea Dominum. Dixit autem non Deum, vel Filium, ſeu ſponſum, ſed Dominum: ut relatione ad Dominum ſe ancil-*

lam

lam fateretur. Maximas laudes ſuas ab Eliſabeth audierat Beatiſſima Virgo, quas tamen omnes eximia humilitate hoc Cantico ſuo in Deum, tamquàm in ſuum fontem, refert.

Pro: *Benedictus*.

SAnctus Auguſtinus ait: *Amittit vocem Zacharias, ſumens eam, naſcente voce, id eſt, Joanne.* Dionyſius Carthuſianus inquit: *Zacharias dicit: Benedictus Dominus Deus. Dominus ratione poſſeſſionis, gubernationis, ac præſidentiæ omnium rerum. Deus autem, quia omnium Deus eſt jure Creationis.* Sanctus Bonaventura dicit: *Ideò autem hìc Iſrael potiùs nominatur, quàm Jacob, quia nomen electionis eſt, & gratiæ.* Ponderans iſtam auctoritatem Sylveira dicit: *Cùm tunc inciperet præſtantiſſimus ordo gratiæ, non dicitur Deus Jacob, quod erat nomen à natura, ſed Iſrael, quod à gratia dictum erat: tunc enim nova electio incipiebat. Non dicitur Deus Judæorum, ſed Iſrael: quia Judæa, & Judæi dicti ſunt ab uno filio Jacob; Iſrael autem eſt nomen parentis totius populi. Et Dominus, qui venerat, tamquam omnium Rex, ac Redemptor, noluit nominari ab uno particulari, ſed à communi omnium capite, tamquàm qui omnibus adveniebat.* Barradas ait: *Neque hoc ſilentio eſt involuendum, duo vocaliſſima, ac præſtantiſſima Cantica in domo Vocis, id eſt, Joannis, edita eſſe, alterum Virginis Deiparæ, alterum Zachariæ. Quid mirum, ſi Divina Cantica ſonant, ubi Divini Verbi vox naſcitur? Divinum Verbum verbis celebrat Zacharias, quoniam verba amat Divinum Verbum. Poſt linguæ functionem recuperatam, verborum primitias immenſo Verbo offert. Si enim primitias, quæ ex terra oriuntur, ut frumenti, ut vini, & olei Deus expetit, quidni primitias verborum expectat, quæ ex corde naſcuntur?*

Pro: *Nunc dimittis*.

SAnctus Ambroſius dicit: *Ita dimitti petit, quaſi à vinculis quibuſdam ad libertatem feſtinaret: ſunt enim velut vincula quædam corporis hujus, & quod gravius eſt, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad injuriam captivitatis adſtringunt quadam lege peccati.* Memoria mortis, quam Simeon accipiens Chriſtum, habet, nos advertentes debet facere. Audiamus Sanctum Baſilium dicentem: *Oportet, accedentem ad Corpus, & Sanguinem Domini, oſtendere memoriam ejus, qui pro nobis mortuus eſt, in eo, quod mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibi ipſi, & Deo vivit.* Sanctus Chryſoſtomus ait: *Quicumque noſtri Agni Euchariſtiam manducant, ita debent eſſe expediti, quaſi quotidie exituri de mundo.* Sanctus Julianus Archiepiſcopus Toletanus inquit: *Simeon, viſo Chriſto, ſcivit, ſe citò moriturum. Lætus itaque de morte jam, & de vicina accerſione ſecurus, accepit in manus puerum, & exclamavit, & dixit: Nunc dimittis.* Sanctus Cyprianus dicit: *Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit, cum Chriſto incipere regnare.* Juxta hanc ſententiam ait Barradas explicans verba Simeonis: *Res deſiderata veniens eſt arbor vitæ: quàm verum hoc in re præſenti! Res deſiderata Chriſtus erat, qui eſt arbor vitæ: arbor ergo vitæ fuit Simeoni, veniens res deſiderata Chriſtus. Arborem ille vitæ manibus tenens, mortem non timet. Nunc, inquit, dimittis ſervum tuum Domine. Quis mortem timeat, vitæ fontem habens? Quis mortis tenebras horreat, lumen ad revelationem gentium portans? Quis mortis noctem formidet, lucernam mundi manibus præferens? Ille mortem timeat, qui mortem, id eſt, mortale peccatum in animo habet: ille mortis horreat tenebras, qui craſſiſſima flagitiorum caligine eſt oppletus: ille noctis mortem formidet, qui in nocte ſcelerum vixit.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita.

QUod Beatiſſima Deipara Virgo Maria, propinante Spiritu Sancto, qui in eam ſupervenerat, biberat, altè quidem, ut ait Sanctus Auguſtinus, retinebat: & ſecundùm eumdem Sanctum Doctorem, hoc ructabat, quod biberat, ac quod in ſecreto bibit, in manifeſto eructavit, quando

Digitized by Google

do anima illius manentis in domo Zachariæ, Dominum vocibus Cantici magnificabat, & nobis exemplum ipſum Deum magnificandi præbebat. Maria quidem Dei Genitrix, quæ nec per momentum in anima ſua Dominum magnificare deſtitit, ut à Dei laude nos numquam ceſſemus, edocuit. O perpes laudatio! Quot, te benè cognoſcentes, & tuam excellentiam penetrantes, quantùm potuerunt, laudi perenni vacarunt, adhuc in hoc ſæculo degentes; ac tibi ob Deum, & Deo per te anteà dediti, gaudent nunc, & gaudebunt perpetim in maxima felicitate paradiſi! Utinam æmulemur nos chariſmata meliora, in Dei laudibus præcellentes noſtros hac in vita contubernales, & ſocios, Mariæ exemplis innixi; & dum illa ſedes Cœlitum ſemper reſultat laudibus, Deumque Trinum, & Unicum jugi canore prædicat, illi canentes jungamur almæ Sionis æmuli. Deum in Eccleſia militante jugiter magnificemus, ut eum in Eccleſia Triumphante, Mariæ, & Beatis aſſociati, in æternum poſsideamus, fide in Divinam viſionem mutata, ſpe in amplexum illius ſummi Boni converſa, & charitate (quæ numquam excidit, & qua non dari nobis poteſt melior retributio) in nobis aucta, ampliata, & ad integram perfectionem, velut in Patria, reducta. Quia corda Zachariæ, & Simeonis, Deum magnificantium in ſuis Canticis, labia eorum ſunt ſecuta, & ipſi Sancti non tantùm labiis Deum honorantes, reddiderunt vota ſua, quæ diſtinxerunt eorum labia; ideò illorum Sacrificium laudis honoravit Dominum, & holocauſta medullata obtulerunt ei, ut audiant omnes, qui timent Deum, quanta fecit ipſe animabus eorum. Benedictus Deus, qui non amovit orationem eorum, & miſericordiam ſuam ab eis. Ergo per iſtorum imitationem cum Dei adjutorio poſſumus facere, quòd portio noſtra in terra viventium ſit, & cum illis æternaliter vivamus, placentes Deo in regione vivorum; ſi, Euchariſtia ſumpta, Deum magnificantes, ei gratias egerimus, & quæ anxiè optat Eccleſia in hac oratione ſequenti, curaverimus executioni mandare, vitia odientes, & nos per Dei gratiam ad ſolemnitatem Natalis Chriſti pro viribus præparantes.

Oratio poſt Communionem.

Imploramus, Domine, clementiam tuam: ut hæc Divina ſubſidia à vitiis expiatos, ad feſta ventura nos præparent. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.

EXPLICATIO.

Victoriam, & ſalutem ſua pietate vult nobis tribuere ille Deus, & Dominus, qui ſubſidia Divina, ideòque opportuna, nobis præparat, ut vincentes per ea adverſarios, feliciter ſalvi triumphemus, & gloriam beatam perenniter habeamus. Inermis, & indefenſus miles, qui ob hoc cedit, & ſuccumbit, non eſt venia ſui Principis indignus; ſed qui arma accepit, ſuccurſum habuit, & ſubſidiis optimis, ut vincat hoſtes, à ſuo Rege eſt munitus, ſi dimicare nolens, terga dederit, iram abſdubiò ejus, qui dedit arma, ſuccurſus, atque ſubſidia, incurret. *Heu! quot ad ſalutem nobis viæ!* ajebat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Deus, qui nos ad certamen contra vitia, & peccata provocat, nos ad dimicationem adjuvat. Excuſationem non habebimus de peccato noſtro, ſi nolentes miſericordiæ Regis nobis ſubſidia dantis cooperari, terga vertentes Regi Deo, & cum vitiis paciſcentes, ab eis fuerimus victi; victoria ſimul, & ſalute defraudati. Paravit Deus in conſpectu noſtro menſam adverſus eos, qui tribulant nos: &, dum Euchariſtiam habemus, ſi ambulaverimus in medio umbræ mortis, non eſt, cur timeamus mala, quoniam Deus nobiſcum eſt. Dominus regit nos, & nihil nobis deerit, in loco paſcuæ ibi nos collocavit. Ergo in omnibus ſumentes ſcutum fidei, galeam ſalutis accipiamus, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, dum panis hic cœleſtis nobis victoriam offerens voluitur ſuper caſtra Madian. Sobrii ſimus, & vigilemus, & diabolo fortes in fide reſiſtamus: reſiſtamus diabolo, & fugiet à nobis:

appro-

appropinquemus Deo, & approprinquabit nobis. Utinam implorantes clementiam Divinam, ut ſacri Altaris Myſteriorum ſubſidia à vitiis expiatos ad feſta ventura nos præparent; ſimul & ex noſtra parte cum Dei gratia bonum faciamus, & bonum facientes non deficiamus; tempore autem ſuo metemus non deficientes. Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet: itaque, ſi euntes ierimus, & fleverimus, mittentes ſemina noſtra bonorum operum cum fide non ficta, & cum charitate, degentes in Dei gratia: venientes veniemus cum exultatione portantes manipulos noſtros: & in convertendo Dominus captivitatem Sion, facti erimus ſicut conſolati. Si contra vitia noſtra triumphantes, & per ſacram expiationem, & confeſſionem Sacramentalem probaverimus noſmetipſos, & ſic de pane illo Sacramentali edamus, & de calice bibamus, ut mundi ad Euchariſtiam ſacram accedentes, ab ea amplius mundemur, & à vitiis expiati remaneamus; neutiquam judicium manducabimus, & bibemus. Ergo nè in vacuum gratiam Dei recipiamus; immò per gratiam Divinorum ſubſidiorum Altaris, & Sacrificii Miſſæ, à vitiis expiati, ab ipſis ſubſidiis Divinis curemus præparari ad proximè ventura feſta Nativitatis Sacratiſsimæ Chriſti noſtri Redemptoris.

CAPUT QUARTUM

Pro Dominica quarta Adventus.

Proponitur textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ hujus Dominicæ quartæ. Qui quidem textus eſt hic:

Et in Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriaca lectio vertit: *Gentibus vocatis.* Arabica: *Ad ſanctificatos per Deum Patrem electos, & conſervatos.* OEcumenius legit: *His, qui vocati a Jeſu Chriſto vocati, & ſervati.* Lyranus dicit: *Id eſt, Chriſto Jeſu adunatis, & congregatis, ſicut membra uniuntur capiti, & hoc per vocationem ad fidem, & conſervationem in eadem: quæ ſunt ex gratia Divina. Et, licèt vocatio ponatur hîc poſterior conſervatione; tamen prior eſt tempore, nec eſt vis in hoc facienda, quia tranſpoſitio nominum non variat ſignificationem eorum.* Eſtius ait: *Eſt ſenſus, ſcribo hanc Epiſtolam vocatis, id eſt, fidelibus, qui nimirùm in Deo Patre, tamquam omnis ſanctitatis auctore, & principio ſanctificati ſunt: & à Jeſu Chriſto, qui eos redemit: ab eodem Deo Patre ſervati, & cuſtoditi; nè à deceptoribus ſeducti pereant.* Menochius: *Et, qui in fide, & ſanctitate per Jeſu Chriſti gratiam conſervantur. Vocatis ad Chriſtianiſmum, & Eccleſiam.* Tirinus: *In Jeſu fide, gratia, & charitate conſervatis, ut ad eam antè vocatis: quo nomine vocabantur olim Chriſtiani, quaſi qui à Deo ſingulariter eſſent evocati, ejuſque obſequio, & cultui per fidem, & gratiam mancipati.* Gloſſa: *Vocat conſervat, diligit filios, & membra Dei facit.* Hugo Cardinalis: *Conſervatis à turbine perſecutionum, & à pluvia errorum: & vocatis per Jeſum Chriſtum ad Patrem: in Chriſto Jeſu, id eſt, per Chriſtum Jeſum, quia nemo venit ad Patrem, niſi per ipſum. Vel vocatis ad hanc dignitatem, quòd, ſcilicet, ſunt à Deo dilecti, & conſervati.* Cornelius: *Et Chriſto Jeſu, id eſt, per Jeſum Chriſtum, ejuſque gratiam: in Jeſu fide, charitate,*

cultu, religione, dilectione, puta, in Chriſtiana fide, & vita conſervatis: quaſi diceret: Judas ſalutem dicit, & precatur Chriſtianis, qui à Deo ſunt dilecti, & in hac ejus electione per Jeſu Chriſti gratiam conſervantur, & perſeverant. Magnum enim Dei, & Chriſti donum eſt perſeverantia, uti docet Concilium Tridentinum. Conſervatis, & vocatis. Quaſi diceret: Judas ſcribit hanc Epiſtolam vocatis, id eſt, Chriſtianis, qui ſunt vocatitii Dei, ab eoque evocati, ejuſque obſequio, cultui, fidei, gratiæ, & regno mancipati: ideòque à Deo dilecti, & conſervati. Vocavit enim, vocatque eos Deus non ſolùm ad ſuam dilectionem, ſed etiam ad dilectionis conſervationem, incrementum, & perfectionem, ut ſcilicet per eam illos ad hæreditatem, & gloriam regni cœleſtis perducat. Emmanuel Sa: *Chriſto, id eſt, per Chriſtum.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

VOcavit Deus quidem nos omnes, qui Catholica Fide ſumus feliciter imbuti, & aquis Sacri Baptiſmatis tincti. Agnoſcamus, ut ait Sanctus Leo Magnus, Chriſtiani dignitatem noſtram, & Divinæ conſortes facti naturæ, nolimus in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Meminerimus, cujus capitis, & cujus corporis ſimus membra. Reminiſcamur, quia eruti de poteſtate tenebrarum, translati ſumus in Dei lumen, & regnum. Sed, ſi Deus gratia perſeverantiæ finalis, aut finali gratia nos ditare non voluerit, vocatos eſſe quid nobis prodeſſe ad ſalutem poterit? Ergo Deus, qui magnum beneficium hominibus confert, cùm eos vocat, majorem favorem eis concedit, quando illos in fide, gratia, & charitate conſervat. Non poſſumus nos mereri, ſaltem de condigno, hanc gratiam Domini, in gratia perſeverandi, & moriendi. Gratia finalis eſt merum Dei benigniſſimi donum, ad quod non poteſt pervenire, attingerevè noſtrum meritum. Etiam per ſæculum integrum Deo recta fide, & charitate non ficta inſerviens, non habet jus, ſive meritum condignum ad finaliter perſeverandum: ideòque Deus, quin iſti homini faciat injuriam, aut in eum committat injuſtitiam, poteſt illum dimittere, ut in mortale peccatum cadat, & ab eo non recedens, miſerè in ipſo moriatur, & æternaliter pereat. Plùs, quàm ſex millia annorum, jam ſunt elapſa, ex quo quotidie ſol aerem illuminans, diei præſidet: ſed nunquid iſta tot annorum, immò, & ſæculorum in bonum aeris quotidiana illuminatio, qua Deus per ſolem aerem illuminavit, dedit aeri jus aliquod, ut manè debeat illuminari, & ut non poſſit impoſterùm à tenebris, abſque ulla ſolis illuminatione, teneri, vel poſſideri? Non ſanè, non habet aer tale illuminandi à ſole, vel recipiendæ lucis illius, meritum; ideòque Creator omnium Deus poteſt ſine injuſtitia aeri denegare id, quod per adeò longum durationis ſpatium voluit ipſi aeri benigniſſimè tribuere. Similiter poteſt negare nobis ſine injuria, aut injuſtitia donum gratuitum ſuum in gratia perſiſtendi, & cum gratia finali exeundi ex iſta vita mortali. Felices igitur illi, de quibus hìc loquitur Sanctus Apoſtolus Thaddæus; quia erant dilecti, & in Chriſto Jeſu conſervati, & vocati: illi, nempe, de quibus dicit Sanctus Paulus: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti. Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Sed quamquàm verum ſit, quòd multi ſunt vocati, pauci verò electi: & quòd ſolùm qui perſeveraverit uſque in finem, hìc ſalvus erit, non perdamus ſuſtinentiam: confidamus, & confortemur in Domino, & in potentia virtutis ejus, ut nos idem hortatur Sanctus Paulus: qui etiam dicit: *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu, ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis. Et hoc oro, ut charitas veſtra magìs, ac magìs abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti,* reple-

repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in gloriam, & laudem Dei. Hucuſque Sanctus Paulus. Itaque, quia ille, ſine quo nihil poſſumus facere, eſt Dominus, qui ſingulariter in ſpe conſtituit nos; ſperemus in Domino iſto, & faciamus bonitatem, humiliantes nos ſub potenti manu Dei. Dicat quiſque: *Deus meus es tu: in manibus tuis ſortes meæ.* Oremus omni tempore in ſpiritu, & ſint, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri, donans nobis in Chriſto, & per Chriſtum virtutem perſeverantiæ, ut in gratia finali conſequamur ex hoc mundo exire, & ad felicem æternitatem migrare. Ut hæc nanciſcamur, ferventer, cum Eccleſia in oratione prima, & ſecreta Miſſæ Dominicæ hujus, miſericordiam Dei, & Domini noſtri, nos humiliantes, imploremus.

Oratio Officii Dominicæ quartæ Adventus, quæ eſt prima in Miſſa illius.

E*Xcita, quæſumus Domine, potentiam tuam, & veni: & magna nobis virtute ſuccurre; ut per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.*

EXPLICATIO.

SI excitans potentiam ſuam Jeſus Chriſtus Dei Filius, per gratiam dignetur ad nos venire; quòd magna nobis virtute ſuccurret (ut ab eo petimus) poterimus ſperare. Omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo, & in terra iſte magnus Dominus; quia data eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, & omnia dedit ei Pater in manus. Succurret nobis quidem virtute magna, qui pleniſſima fruitur Omnipotentia. Succurret magna virtute ille, qui dat velle, & perficere pro bona voluntate. Succurſu Dei egemus, quia ſumus invalidi, quia debiles, quia puſilli, & etiam (quod pejus nobis eſt) quia in malum ſumus inclinati, & exiſtimus quibuslibet iniquitatibus perpetrandis, & committendis obnoxii. Videns ergo Filius Dei in nobis miſeris, & defectum potentiæ, & abundantiam malitiæ, ut cœleſtis medicus, volet nobis magna virtute ſuccurrere miſeratus, dans auxilium noſtris neceſſitatibus, magnis quidem, opportunum. Magna virtute ſua ſuccurret nobis, nè pereamus, ut imbecilles, nè in æternum damnemur, ut rebelles. Quò ſine ſuccurſu magnæ virtutis Chriſti eramus infirmiores, eò evademus per talem ſuccurſum fortiores ad vincendum, alacrioreſque ad triumphandum: & debebimus reddere gratias Æterno Deo Patri, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Duas petitiones Jeſu Chriſto Deo, & Homini proponimus, antequàm inſinuemus finem illum, quem in oratione intendimus. Rogamus, ut Redemptor noſter excitet potentiam ſuam, & veniat; petimus etiam, quòd veniens, magna nobis virtute ſuccurrat: quando depoſcentes primum, flagitamus quod pertinet ad ſuum honorem Divinum, ſiquidem venire per excitationem potentiæ proficit ſuæ accidentali gloriæ: & orantes pro ſecundo, id poſcimus, quod plurimùm confert ad noſtrum emolumentum per magnæ ſuæ virtutis ſuccurſum. Quia finis, quem intendimus in hac Oratione, eſt res magni momenti, præcedit duplex ſupplicatio, altera attinens ad Deum, altera ad profectum noſtrum. Intendimus igitur, quòd per auxilium gratiæ Dei, & Domini, ac Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti acceleret ſuæ propitiationis indulgentia illud, quod noſtra præpediunt peccata. Ad hoc multum proderit, quòd ipſe Salvator noſter excitet potentiam ſuam, & veniat: conducet valdè etiam, quòd nobis magna virtute ſuccurrat. Veniens per excitationem potentiæ ad ſui gloriam accidentalem, magnus profectò apparebit, dum fecerit, peccata noſtra vincendo, ipſa nihil obſtare; & fecerit etiam accelerare indulgentiam ſuæ Divinæ propitiationis id, quod noſtræ præpediunt iniquitates. Magna nobis Dei Filius ſuccurrere volens virtute, magna nos ipſos perfundet lætitia, & utili-

tate: diſponet ſiquidem, noſtra peccata non ulteriùs bona noſtra præpedire, & bona hæc à propitiationis Divinæ indulgentia accelerari: atque hoc totum diſponet, & faciet per auxilium gratiæ ſuæ.

ORATIO SECRETA.

Sacrificiis præſentibus, quæſumus Domine, placatus intende: ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

EXPLICATIO.

Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit. Sacrificiis Cain Deus non intendit, & ad munera illius non reſpexit, quia ipſi erat Deus iratus, ob odium in fratrem, dicit Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 34. Delicta quis intelligit? Ab occultis noſtris mundet nos Dominus, ut ſacrificiis noſtris, velut petimus, intendere dignetur noſter Creator placatus. Si iratus, iſtis Sacrificiis non intenderit, quid nobis ſacrificia, quamvìs in ſe ſint ſummi valoris, proficient? Sed, ſi eis intenderit placatus, ſicut depoſcimus, quæ bona non obvenient nobis per præſentia ſacrificia? Siquidem, dum illis placatus Deus voluerit intendere: & devotioni noſtræ proficient, & ſaluti. Proficient quidem devotioni, ut quotidie devotiores reddamur: proficient etiam ſaluti, quando, illis mediantibus, utraque ſalute, animæ, nempe, atque corporis feliciſſimè potiemur, perjucundèque abundabimus. Sacrificia, quæ devotioni profecerint, etiam noſtræ ſaluti proderunt, quia quò magis devoti, eò erimus proximiores ſaluti. Caremus ſæpè bono ſalutis, quia non curamus de incremento devotionis: & ſumus plerùmque ſalute indigni, quia non ſatagimus vera devotione pollere. Ergo devoti permaneamus, & ſecuri conſiſtemus. Si cuſtodit ſalutem devotio: firma ſit capſa, ut gemma ſalutis noſtræ in devotione ſervata, integrè maneat ſecura. Pretioſitas gemmæ auferetur, vel ſaltem ſalvatio noſtra erit in magno periculo, ſi in nobis periclitetur devotio: igitur ſaltem amore noſtræ ſalutis, ſolicitè intendamus conſervationi, & augmento catholicæ devotionis. Hæc nos Deo devovet, offert, conſecrat, & dedicat: & per hanc ſalus noſtra firmatur, & obtinetur, ut feliciter cœlo approximemus, & æternam illam curiam ingrediamur. Magna quidem vis devotionis: quæ, dum talia bona parit, valet ad altitudinem paradiſi erigere quos gravat moles corporea in hac lacrymarum valle. Ergo valdè nobis proderunt præſentia ſacrificia, ſi profuerint devotioni noſtræ, & per hanc etiam noſtræ proficua fuerint ſaluti. Tota intentione animæ noſtræ oremus, ut dignetur Dominus intendere præſentibus ſacrificiis placatus: tum, ut placatus ſit, & non iratus nobis ille, cui debemus ſervire, & toto corde placere: tum quoque, ut intendens Deus noſtris ſacrificiis placatus, velit nobis donare, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

Magnificat anima mea Dominum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro *Magnificat.*

Sylveira dicit: *Beatiſſima Virgo dixit: Anima mea, ut ſignificaret, ſe non ſolùm verbis, ut ſæpè faciunt homines, ſed etiam interioribus animæ cogitationibus, ac meditationibus Deum extollere: ita, ut ore, corde, & opere Deum laudaret. Hæc phraſis eſt ſatis uſitata in Scriptura, quòd Divinas laudes decantare animæ tribuatur. Nota, nullam puram creaturam, æqualiter, ac Beatiſſimam Virginem dicere potuiſſe: Anima mea: nam omnis alia pura creatura, cùm ſive graviter, ſive leviter peccato ſit infecta, ei ſubdita eſt; Beatiſſima Virgo jam Deo ſe tradiderat, & res per donationem tran-*

tranſit in alterius poteſtatem : & ideò veriſſimè dicebat : Anima mea. Hugo Victorinus inquit : *Non ergo amplius potuit Maria ſe continere, cùm Spiritum, quem intra cordis ſui ſecreta tanta plenitudine redundantem ſentiebat, per alieni oris clauſtra cerneret erupiſſe. Tunc igitur ad manifeſtationem ſpiritus aperuit os ſuum, & verbum bonum, quod conceperat, eructans in laudem Salvatoris, exclamavit dicens : Magnificat anima mea Dominum*. Vincentius Regius ſic loquitur : *Non inanibus verbis, ſed anima, & corde Deus eſt magnificandus. Beata Virgo plùs anima, & corde loquebatur, quàm verbis*. Barradas hæc habet : *Diſcamus ex optima virtutum Magiſtra Deum magnificare, id eſt, laudare, tum ore, tum etiam vita, & exemplo. Sicut, luſcinia dulciter canente, moleſtus eſt crocitans corvus, ita, lingua dulciter Deum laudante, moleſti ſunt, inſtar corvi, crocitantes atri mores. Nihil in Maria muſicæ ſuaviſſimæ obſtrepebat : & ore canebat, & vita : immò, vita magis, quàm ore. Erat illius vita perpetuum canticum, & novum canticum ; quia nova vita erat, inaudita, numquàm in orbe conſpecta*.

Pro : *Benedictus*.

SYlveira ait : *Mutitate depulſa, in gratiarum actiones prorupit Zacharias ; ſed tantùm celebrat Dei Incarnationem, ac redemptionem Iſrael, & non componit Divinas laudes pro filio accepto, vel voce recuperata ; quia tanti beneficii magnitudine (nempe Incarnationis) raptus eſt : ad cujus præſentiam, veluti ad conſpectum ſolis, cetera, ut præſtantiſſimæ ſtellæ, non micant*. Barradas dicit : *Recepta igitur loquendi facultate, Zacharias novum canticum in actionem gratiarum canit. Diuturno vinculo ſoluta ejus lingua, in Divinas prorupit laudes. Senſit ille carendo, quantum beneficium eſſet poſſe loqui ; ideò, recepto linguæ uſu, gratias Deo agit animo gratiſſimo*.

Pro : *Nunc dimittis*.

ORigines inquit : *Quamdiù Simeon Chriſtum non tenebat, quamdiù illum brachiis non arctabat, clauſus erat, & de vinculis exire non poterat. Si quis egreditur de mundo : ſi quis è carcere, vinctorum domo, dimittitur, ut ad regnandum vadat ; ſumat Chriſtum in manibus ſuis, & circumdet cum brachiis ſuis, totum habeat in ſinu : & tunc exultans ire poterit quò deſiderat*. Timotheus Presbyter Hieroſolymitanus de Occurſu Domini cum Simeone, dicit : *Nunc dimittar : non hìc detinear. Spiritus Sanctus eſt in me, & video res tuas, atque ea, quæ eventura ſunt*. Vincentius Regius hæc habet : *Perfecti, qui opera virilia, & uſquequaquè perfecta edunt, quadraginta diebus pœnitentiæ exactis, id eſt, vitæ hujus curſu peracto, ſtatim cœleſte illud Templum ingrediuntur, & cum Simeone cantant : Nunc dimittis ſervum tuum Domine*. Sylveira ait : *Ubi Sanctus ſenex Simeon puerum Jeſum manibus tenet, ait : Nunc dimittis, id eſt, in hac hora, in hoc puncto jube me mori, atque ab hac vita migrare. Ubi primùm Chriſtum accepit, de morte incœpit cogitare, ut ſuo exemplo nos inſtrueret, quòd ille, qui ad ſacram accedit menſam, ita ſe præparet, & mundet, ac ſi illicò è vita eſſet migraturus. Qui vult hunc panem manibus tenere, ore manducare, ita ſe diſponat, ac ſi mortis tempus proximè inſtet*.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita.

NIhil mali in Beata Virgine Maria perſtrepebat : nihil ejus non benè in auribus Domini Dei ſonabat. Vita ejus erat puriſſima : itaque laus Dei in ore illius undequaque erat perfecta, & ipſi Deo Domino placita. Ergo magnificavit anima Mariæ Dominum, dum ipſa laudavit Dominum, agens omne opus bonum, & nullum committens malum. Sonus ipſius vitę, ſimulque labii, dulcis in auribus Domini (dum ſanctitatem ſonabat, & dum etiam meloditer concinebat) Deum placabat, exemplo ædificans mundum, lætitia perfundens cœlum. Admovit Deus attentionem, ut audiret Mariam Dei Genitricem Virginem adeò dulciter canentem : admovit etiam cor, ut in eo reciperet Deiparam adeò, benè operantē. Nos igitur benè vita magis,

quàm

quàm voce canamus, ut Deum magnificemus. Claudatur cor noſtrum diabolo, & aperiatur Chriſto Redemptori noſtro. Reſonet in ore noſtro melodia, ſed ſit Chriſtianæ vitæ aſſociata: & fugiamus morum raucedinem, Chriſtianam amplectentes perfectionem. Utinam aperiat Dominus labia noſtra ad eum laudandum, & ſcindat corda noſtra ad ipſi verè placendum: ut quot fuerint in cordibus noſtris effecta amoris Divini vulnera, tot habeamus ad eum laudandum ora; quia benè Deus laudatur ab illo corde, quod Conditoris noſtri amore, doloreque peccatorum ſcinditur. Ille, qui cor contritum, & in fruſtra præ dolore, & magno amore ſecatum non deſpicit, dum labia noſtra aperuerit, diſponet, quòd os noſtrum, factum jam ora plura, laudem ipſius annuntiet. Sic Zachariam benedicentem Deum æmulabimur, & ſic etiam Sanctum ſenem Simeonem Chriſtum potiùs in corde, quàm in ulnis, amplectentem referemus. Zacharias, & Simeon, ac ſi jam eſſent Cælicolæ, Deum ſtudebant laudare. Ergo illorum ſocii efficiamur, dum poſt acceptam Euchariſtiam Sacratiſſimam, gratiarum tributum reddimus.

Oratio poſt Communionem.

Sumptis muneribus, quæſumus Domine, ut cum frequentatione Myſterii, creſcat noſtræ ſalutis effectus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

JAm Dei munera ſacrata à nobis ſunt ſumpta, Divina id operante miſericordia, & clementia; quia Sanctiſſimum Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini recepimus, & his ſaginati ſumus, dum in Altari Sacram Miſſam celebravimus, vel in ea Sanctiſſimam Communionem obtinuimus. Quid poſſumus ampliùs, niſi poſſeſſionem Dei ſine velamine cogniti optare, poſt acceptionem Sacratiſſimæ Euchariſtiæ? Aliud ambimus quidem, ſed aliud tale, quòd geminet lætitiam, dum ad gloriæ ipſius fruitionem, cujus prædictum Sacramentum eſt pignus, verè attinere cognoſcimus. Petimus igitur, ut cum frequentatione Myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus. En quomodò petimus ſalutem, ſive gloriam, & beatitudinem cœleſtem. Pro actione tranſitoria, & temporaria deſideramus, quòd nobis reddatur ſalus æterna; quia petimus glorificationem permanentem, & æternaliter durantem per Euchariſtiæ acceptionem, & frequentationem tranſeuntem. Tranſit Sacramenti receptio, & frequentatio, ſed ſi non indignè accedimus, permanet in nobis, & creſcit noſtræ ſalutis effectus, ut gloriæ nobis concedatur acquiſitio. Iſtud optamus, & poſcimus: horum votis inhiamus. Noſtræ effectus ſalutis erit, ſalutem nobis proximari optimam per Euchariſtiam receptam: quia ille, qui eſt Deus Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ, dum in medio terreni pectoris, & cordis facit Chriſtus nobis per confeſſionem benè paratis ſalutem: dum nos ditat per dignam, & frequentem Euchariſtiæ ſuſceptionem. Frequentetur ergo Myſterium hoc Divinum, ut effectus noſtræ ſalutis creſcat, atque augeatur; ſed oremus Deum, ut ſumentes ſacra munera per ſuam gratiam faciamus, ut cum frequentatione Myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus. Hic non creſcet, ſi benè non ſumantur munera Divina, & niſi frequentatio Sacratiſſimæ Euchariſtiæ fiat in ſtatu gratiæ. A Deo proveniet, quòd qui ſacra munera Altaris ſumemus, & Sanctiſſimum Sacramentum (per quotidianam Miſſæ celebrationem, vel per prudenter taxatam à Confeſſariis repetitionem Communionis) frequentamus, ita, Deo cooperantibus nobis Myſterium hoc Divinum frequentemus, & ſumamus, ut cum frequentatione Myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus.

CAPUT QUINTUM

Pro Dominica infra Octavam Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Apoſtoli Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ infra Octavam Nativitatis Domini: qui quidem Textus eſt hic.

Miſericordia vobis, pax, & charitas adimpleatur.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: *Multipliciter.* Verſio Syriaca: *Cum charitate.* Æthiopica: *Cum miſericordia multipliciter in medio veſtrum.* Gloſſa ſic explicat: *Si Deus cœperit miſereri vobis condonando delicta, impleat miſericordiam, ſuperaddenda bona ducendo ad æterna. Si eſt reconciliatus inimicis, etiam pacem det factis amicis, in qua in nullo ab eo diſſentiatis.* Lyra explicat ſic: *Miſericordia, veſtra peccata relaxans: Et pax, conſcientiam quietans: Et charitas, Deo conjugens: Adimpleatur in cœleſti gloria, ubi, & non alibi charitas perficitur,* Hugo Cardinalis: *Vobis: qui tales eſtis, ut prædixi. Adimpleatur, &c. Mutat perſonam, ut ſuum affectum oſtendat, quem ad eos habet. Miſericordia per dimiſſionem peccatorum inchoatur in præſenti, ſed impletur, quando gratia ſuperadditur. Adimplebitur autem continuando gratiam, vel perſeverando in bono, & ſic ducendo ad vitam. Similiter pax inchoatur in præſenti per declinationem mali, in qua homo reconciliatur Deo: Impletur autem, quando homo reconciliatur inimicis, & eos diligit: ſed adimplebitur in fine, quando Deus pacem æternam dabit amicis. Similiter inchoatur in præſenti, quando Deum, & nos diligimus: impletur, quando proximos amamus: ſed adimplebitur in futuro, quando modus quidem imperfectionis ejus tolletur, ut ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente diligatur Deus: id eſt, intellectu ſine errore, voluntate ſine contradictione, memoria ſine oblivione. Tertio verò loco ponitur charitas, quia alia duo non valent ſine ipſa.* Joannes de la Haye dicit: *Præcatur Sanctus Judas, ut multiplicetur eis miſericordia, tam Divina, qua Deus noſtri miſeretur (quæ licèt una tantùm ſit quoad Deum, eſt tamen multiplex quoad effectum, & alia) quàm ea, qua homo miſeretur hominis, quæ etiam multiplex eſſe poteſt: una quidem, qua miſeretur animæ illius, alia, qua corporis, qua famæ, qua oppreſſionis. Meritò ergo Divus Judas optat, fidelibus miſericordiam multiplicari, & adimpleri; parum enim eſt in corde tuo primò de miſeria alterius condolere, niſi etiam velis, ſi poſſis, ope, & opere auxiliari.* Eſtius ait: *Sancta, & verè Apoſtolica ſalutatio. Ex hac Epiſtola, & duabus Petri diſcimus, quomodò ſupplendæ ſalutationes Paulinæ, in quibus verbum non exprimitur: dum Sanctus Thaddæus utitur verbo: Adimpleatur: & Sanctus Petrus in prima Epiſtola apponit verbum: Multiplicetur, & in ſecunda, eodem verbo, ſicut Sanctus Judas; Adimpleatur, illum uſum fuiſſe, cognoſcitur. Miſericordiæ nomen hoc loco videtur idem valere, quod apud Paulum, & Petrum in Salutationibus nomen gratiæ: quæ propterea rectè vocatur miſericordia, quia miſeris, & indignis datur, quales omnes ſumus ex Adam geniti. Gratiæ, & paci tertiam addit Sanctus Thaddæus charitatem: quæ miſericordiæ effectus eſt, & cauſa pacis; ſive charitatem intelligas, qua Deus à nobis diligitur, ſive qua diligunt homines ſe mutuò; nam hæc pacem inter homines, illa pacem nobis cum Deo conciliat.* Menochius inquit: *Senſus eſt, adimpleatur in vobis, & erga vos Dei miſericordia, ut ſuam pacem, & charitatem, cæteraque dona in vos effundat, donec ad plenitudinem*

dinem

dinem perveniatis. Cornelius hæc habet: *Miſericordiam intellige virtutem, non fidelium, nec fidelibus inhærentem, ſed Dei, qua ſua dona, præſertim pacem, & charitatem, miſericorditer fidelibus impertit. Quaſi dicat Sanctus Judas: Adimpleatur in vobis, & erga vos Dei miſericordia, ut ſuam pacem, & charitatem, ceteraque dona in vos effundat: vel potius jam in Baptiſmo, & deinceps effuſa, magnis incrementis augeat, & cumulet. Pacem, tum cum Deo, tum cum proximis, tum cum conſcientia propria: hæc autem pax charitatis eſt comes, & filia. Adimpleri miſericordiam, charitatem, & pacem non eſt aliud, quàm illa multiplicari tum numero, tum gradu, & perfectione. Symbolicè noſter Salmeron, & alii miſericordiam attribuunt Patri: ipſe eſt enim Pater miſericordiarum. Ad Corinth. 2. 1. verſ. 3. pacem Filio: ipſe enim eſt pax noſtra. Epheſ. 2. 14. & charitatem Spiritui Sancto: Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Roman. 5. verſ. 5. Per miſericordiam abolentur peccatorum miſeriæ, ſcilicet, culpæ, & pœnæ: per pacem conſcientiæ remorſus, & perturbationes ſedantur, & componuntur: per charitatem vis, & robur confertur ad omnia opera bona, & heroica perficienda, ad legem Chriſti implendam, ad fortiter reſiſtendum mundo, carni, & dæmoni, ad vincendum omnes tribulationes, perſecutiones, tormenta, & martyria. Sanctus Auguſtinus verò in Epiſtolam ad Romanos cenſet, Sanctum Judam hìc repræſentaſſe Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis: nominare enim Patrem, & Filium: Spiritum Sanctum verò repræſentare per hæc tria, ſcilicet, miſericordiam, pacem, & charitatem. Hæc enim appropriantur Spiritui Sancto: ipſe enim ex vi proceſſionis ſuæ procedit, ut amor Patris, & Filii: inde ergo habet, quòd ſit increatus amor, & charitas, à quo procedit creata miſericordia, charitas, & pax, omneque bonum, & donum. Moraliter Sanctus Auguſtinus in illud Pſalmi 55. Deus meus miſericordia mea. O nomen, inquit, ſub quo nemini deſperandum eſt! Deus meus, inquit, miſericordia mea? Quid eſt miſericordia mea? Si dicas ſalus mea, intelligo, quia dat ſalutem. Si dicas refugium meum: intelligo, quia confugis ad eum. Si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem. Miſericordia mea quid eſt? Totum quidquid ſum, de miſericordia tua eſt. Si tu mihi dediſti, ut ſim, & alius mihi dedit, ut bonus ſim, melior eſt ille, qui dedit, ut bonus ſim, quàm ille, qui mihi dedit, ut ſim*. Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

NIſi haberemus Deum miſericordem, non poſſideremus pacem, neque charitatem. Adimplendam eſſe nobis pacem, & charitatem, poſſumus, & debemus ſperare; quia donatum eſt nobis à miſericordia Divina pro noſtræ juſtificationis principio, fundamento, & radice, miſericordem Dominum per fidem, Regem pacificum, & eum, qui charitas eſt, cognoſcere. Niſi enim crediderimus, impoſſibile eſt, quôd gratiam juſtificantem habeamus. Ergo juſtificati per fidem, gratiam, & Dei amorem, bona opera facientes, ac ſervantes Chriſti legem, ſperemus poſſidere æternam retributionem. Sic in magna felicitate erimus conſtituti, quando, ut glorificemur, miſericordia nobis, & pax, & charitas adimpleatur. Ut in hoc ſæculo rectè per fidem, & bonam operationem vivamus, & in futuro æterna vita ditemur: à Deo miſericorde veniet nobis miſeratio, pax à pacifico Rege Deo noſtro, & charitas noſtra creata proveniet cum miſeratione, & pace, & omnibus aliis bonis à charitate illa Dei increata, infinita, æterna, ſancta, ſapiente, & immenſa. Igitur, ut loquitur Sanctus Paulus, gaudeamus, perfecti ſimus, exhortemur; idem ſapiamus, pacem habeamus, & Deus pacis, & dilectionis erit nobiſcum: & ita conſequemur, Deo cooperantes, quòd gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus nobis. Deſiderans Sanctus Apoſtolus Thaddæus, nos adimpletione pacis, & charitatis à Deo donari, priùs optavit, noſmetipſos Domini noſtri miſericordia, aut miſeratione imbui, & ipſam Dei nobis miſericordiam

adim-

adimpleri: nam ille benignus Dominus, qui coronat in nobis miſericordias ſuas, ut ait Sanctus Auguſtinus, eidem miſericordiæ nobis miſerandi apponet coronam nos pacificandi, & charitate replendi; & cùm miſericordiam, pacem, & charitatem nobis benignè donaverit, has miſericordias ſuas coronans, eaſdem nobis miſericordiam, pacem, & charitatem adimplebit. Gratiam cumulabit gratia: & qui gratuitò miſericordiam voluerit nobis largiri, etiam pacem, & miſericordiam cum charitate; charitatem cum miſericordia, & pace; ac profectò etiam miſericordiam cum pace, & charitate, adimplendas nobis concedere non dubitabit, nec tribuere obliviſcetur, aut renuet. Utinam nobis concedat cum miſericordia veniam, ut poſteà ab eo conſequamur pacem, & charitatem Chriſtianam, adimplens in alia vita, & apud Empyreum in tota perfectione habendas, ut in Eccleſia triumphante ſit miſericordia, ſit pax, ſit etiam charitas æterna, corona æterna illius miſericordiæ, illius pacis, illiuſque charitatis, quas Deus in Eccleſia militante, nobis miſeratus, fuerit largitus, ut clementiſſimus Dominus. Qui in Baptiſmo per miſericordiam Dei ab eo accepimus cum gratia fidem, ſpem, & charitatem, ſi in culpam gravem lapſi fuerimus, opus nobis eſt, quòd Deus nobis donet cum gratia illam charitatem, quam perdidimus, ſi nos benignè voluerit juſtificare; quòd quidem dependet à ſua piiſſima miſericordia, & ſuæ voluntatis arbitrio: & veniam conſequemur, ſi gratiæ Dei cooperantes, Dei adjutores fuerimus ad noſtram ſalutem, ut loquitur Sanctus Paulus: quia niſi rectè credentes, gratiam, & charitatem habuerimus, neutiquam juſtificabimur: ſed per fidem, & Dei gratiam Deum diligentes, juſtificationem conſequemur: ac credentes, gratia, & charitate donati, & bonæ vacantes operationi, obtinebimus donum ſalutis æternæ. Speramus, cum pace, ac miſericordia æterna perennem nobis charitatem adimplendam, & donandam ab illo noſtro benigniſſimo Deo, qui juſtificans nos, nobis dedit charitatem primam. Verum eſt, quòd miſerebitur, cujus miſeretur, & miſericordiam præſtabit cujus miſerebitur. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Tamen, qui miſerans nobis dedit fidem, dabit gratiam, dabit auxilia ad bonam operationem, & ſi noſmetipſos non fecerimus indignos, vel defectu fidei, aut charitatis, aut operationis bonæ, ſperamus quòd nobis æternaliter largietur, ut pax nobis, & charitas adimpleatur. Plenitudo legis eſt dilectio, & pax multa diligentibus legem Domini, cujus miſericordia plena eſt terra: & quidem replet terram, & humana corda, quamvis terrena; non tamen ſecundùm paſſiones terrenas, aut mundiales uſus operantia, ſed ea corda humana, vel terrena, quæ benè ipſi Deo per fidem, gratiam, & dilectionem, ac bonam operationem præparantur: quæ quidem corda miſericorditer purificans Deus quotidie ampliùs, & ampliùs in hoc ſæculo, ſalvatione æterna ditabit miſericorditer etiam in futuro. Vult namque miſericordiſſimus Dominus, ut in charitate, & dilectione cum gratia, & recta fide legem impleamus, & per dilectionem legis ipſius, ac cuſtodiam mandatorum ſuorum ad æternam pacem obtinendam, & poſſidendam aptemur. Quarè charitas multorum friguit? Quia profectò eorum iniquitas abundavit. Unde bella, & lites inter nos? Nonne hinc, ex concupiſcentiis noſtris, quæ militant in membris noſtris? Fiet ſanè judicium ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam. Quis reſtitit Deo, & pacem habuit? Ergo, Deo dante, & gratia ipſius adjuvante, faciamus ita miſericordiam cum proximis, eis compatientes, & ſubvenientes, eiſque injurias, quas ab ipſis accepimus, propter Chriſti amorem condonantes, ut miſericordiam Dei comparantes, habeamus pacem etiam, & æternam charitatem gaudentes. Sic miſericordia nobis, & pax, & charitas adimplebitur, ut benè nobis, & pro nobis in prædictis Epiſtolę ſuæ verbis Sanctus Judas deprecatur. Sic etiam, quæ Eccleſia petit in ſequentibus Orationibus prima, & ſecreta Miſſæ hujus Dominicæ infra Octavam Domini Natalis, poſtulantes, votorum noſtrorum erimus jucundè compotes.

Oratio Officii Dominicæ infra Octavam Nativitatis Domini, quæ eſt prima illius Miſſæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti Filii tui, mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Deum hodie Omnipotentem adimus, & adeuntes, ejus Omnipotentiam catholicè confitemur. Quærimus eum miſericordem, & illum vocamus Omnipotentem: ipſum requirimus etiam ſapientiſſimum, & ejus omnimodæ potentiæ perhibemus teſtimonium: quorum hæc eſt ratio, quia petimus ab eo, ut dirigat actus noſtros in beneplacito ſuo. Ad actuum noſtrorum directionem neceſſaria eſt omnipotentia Dei ſummè ſapientis, & ſummè miſericordis. Adeò ſunt tortuoſi actus hominis in viribus naturæ derelicti, & habentis fomitem peccati, in Baptiſmo quidem repreſſum, ſed non omnimodè, & totaliter extinctum; ut ad tales hominis actus dirigendos ſit neceſſarium auxilium gratiæ Domini Dei, qui eſt omnipotens, & miſericors, & ſapiens: atque, ut etiam ille nobiſcum exerceat ſuam Omnipotentiam, ſapientiam, ſimulque miſericordiam. Qui pollens miſericordia, & ſapientia, Omnipotentia etiam abundat, gaudet, & fruitur; ille idem diriget actus noſtros omnipotenter, ſapienter, ſimul & miſericorditer. Ejus miſericordia Omnipotens, & ſapiens condolebitur, compatietur, & miſerebitur noſtris multiplicibus miſeriis. Illius rursùs ſapientia miſericors, & Omnipotens præparare ſciet media ad finem noſtrorum actuum, operumvè directionis: ac Omnipotentia Dei ipſius, ſapiens ſimul, & miſericors, omnes ad prædicta valebit vincere difficultates directioni actuum humanorum repugnantes, reluctantes, vel quoquo modò obſiſtentes. Verum eſt, quòd mala noſtra vita præterita nos reſtitimus Dei Omnipotentis, Dei boni miſericordiæ, & Dei ſapientis infinitæ charitati. Venia nos teſtamur indiguos; quia conductus obturavimus, per quos ad nos veniebant gratiæ, beneficia, ſeu benefacta procedentia à Divina miſericordia, ſapientia, & omnipotentia. Sed jam nunc peccatorum præteritorum pertæſi, ac de Dei noſtri benignitate confiſi, deſideramus, quòd dirigens actus noſtros in beneplacito ſuo, perficiat greſſus noſtros in ſemitis ſuis, ut non moveantur veſtigia noſtra: nè fortè, ſi noſtri tortuoſi actus continuentur, & veſtigia noſtra non ad Deum dirigantur, à via Dei elongati, ad infernale barathrum præcipitemur. Si mirificaverit miſericordias ſuas, qui ſalvos facit ſperantes in illo; tunc diriget nos in veritate ſua, & docebit nos: quia ipſe eſt Deus Salvator noſter, & eum ſuſtinuimus tota die. Reminiſcetur miſerationum ſuarum Dominus, & miſericordiarum ſuarum, quæ à ſæculo ſunt: delicta juventutis noſtræ, & ignorantias noſtras non recordabitur: ſecundùm miſericordiam ſuam memor erit noſtri ille, propter bonitatem ſuam, Dominus, qui eſt dulcis, & rectus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via: diriget māſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas; dum ſunt univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus. Sapientiæ Dei non eſt numerus: verax eſt, & viam Dei in veritate docet: eſt ſimul Omnipotens, & Rex potens: ut miſericorditer nobis ſubveniat, ut ſapienter doceat, & omnipotenter nos dirigat. Quando Æternus Pater direxerit actus noſtros in beneplacito ſuo, in nomine dilecti Filii ſui Jeſu Chriſti merebimur bonis operibus abundare; quia Pater, qui propter ſuam bonitatem, ut in beneplacito ſuo rectè gradiamur, dederit nobis miſericorditer veniam; propter merita ejuſdem mediatoris Dei, & hominum, Salvatoris, ac Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei Unigeniti, præbebit etiam, nobis cooperantibus, meritum bonorum operum, ut habere bonæ operationis abundantiam mereamur.

ORA-

ORATIO SECRETA.

Concede, quæſumus, Omnipotens Deus: ut oculis majeſtatis tuæ munus oblatum, & gratiam nobis piæ devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Dum jam munus Deo per libationem panis, & vini in Hoſtia, & Calice obtulimus: ut per idem munus proveniant in nobis multa bona à Divina miſericordia exoptamus. Petimus, quòd ipſum munus oblatum miſericordem Deum noſtrum ad nobis favendum moveat, & bonâ, quæ conſequi poſcimus, à Domini majeſtate obtinens (dum Conditorem noſtrum tum id, quod ipſi offertur, tum actio offerendi honorat) etiam noſtræ paupertatis utilitati proficiat. Eſt Deus Imperator Summus regens univerſum, & præ nobilitate, & magnitudine ſua, dum dignatus eſt munuſculum noſtrum accipere, non obliviſcetur bona nobis pro ipſo munere, etiam parvo, retribuere. Quamvis de talis Domini retributione ſecuri, apparemus tamen coram ipſo de qualitate donorum ab illo accipiendorum, ſeu nobis reddendorum ab illius largitate ſoliciti; quia nolumus, quòd ſit noſtrum præmium aliquid temporale tantùm, cùm hoc ſit momentaneum, & caducum. Ideò oramus Deum noſtrum, deſiderantes, eum nobis concedere, ut oculis majeſtatis ſuæ munus oblatum, & gratiam nobis piæ devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Si conſequuti fuerimus à Domino gratiam piæ devotionis, per hanc præparabimur ad acquirendum effectum perennis æternitatis beatæ, ſive glorificationis æternæ. Datur effectus perennitatis beatæ in cœlo iis, qui floruerunt pia devotione in mundo; quia, cùm pia devotio conſiſtat in devovendo, & offerendo nos Dei ſervitio cum recta fide, gratia, charitate, atque recta, & bona operatione: illis, qui taliter piam devotionem exercent in mundo, reſpondebit beata perennitas in Empyreo; ſi tamen in ipſa pia devotione non tantùm aliquando vixerint, immò in ea conſtanter perſeveraverint, & in finali gratia cum pia devotione deceſſerint.

Textus Canticorum, *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Magnificat anima mea Dominum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Hugo Victorinus ait: *Maria cœleſtis Patriæ dulcedinem in verbis ſuis tam mirabiliter expreſſit, quàm ineffabiliter comprehendit. Nam, cùm ſe Dominum magnificare perhibuit, venerandam illam, reverendamque univerſis æterni Numinis majeſtatem interna viſione contueri ſe, manifeſtè declaravit.* Sylveira dicit: *Maria vocat animam ſuam illam animam Deo perfectiſſimè datam: quia nihil meliùs poſſidemus, quàm id, quod Deo donamus.* Barradas hæc habet: *Alii tibiis, pſalteriis, & citharis, muſicíſque organis Deum laudant; optima quidem ea laus, & templis Dei digniſſima. At Virgo intemerata, anima, & ſpiritu illum magnificat; hoc illius pſalterium eſt, hoc muſicum organum. Nam Deus muſica illa valdè delectatur, quam animi, & cordis voces efficiunt, adjuncta lingua, veluti cithara, Magnificat, inquit, anima mea Dominum.* Didacus Baeza inquit: *Regia hominis mens capacior eſt, ut in illa magnitudo Divina exhibeatur, quàm in ampliſſimo, & fulgentiſſimo cœlo. Hoc unum ab humana mente require, quòd uni, & ſoli Deo ſe pandat, & Cœlo meliùs ſummam Deitatis magnitudinem capiet. Quod noſcens Virgo ajebat: Magnificat anima mea Dominum.* Vincentius Regius ita loquitur: *Maria inquit: Magnificat anima mea Dominum. Non inanibus verbis, ſed in anima, & corde Deus eſt magnificandus. Beata Virgo plùs anima, & corde loquebatur, quàm verbis. Qui ſe-*

ejus faciunt ſimiles ſunt mortuo leoni Sampſonis, in cujus ore favus erat mellis, quem nunquàm tamen in ſtomachum, nunquàm in ventrem trajiciebat: ita ſunt, qui verba Dei mellita ore tantùm verſant. Dixit Maria: Anima mea. Hæc ſola Virgo animam ſuam verè nominare poterat; quia ſola plenè ſuæ dominabatur voluntati. Ait: Dominum, non ſponſum, non filium, non patrem; ut diſcas ejus modeſtiam, & animi ſubmiſſionem; & ut ſcias, eos ſolere magis Deum revereri, qui cum eo familiariùs verſantur, ac proinde eum magis noſcunt, ac diligunt.

Pro: *Benedictus*.

Beda myſticè potiùs ait: *Pulchrè Zacharias octavo die editæ prolis loquitur, quia per Domini Reſurrectionem, quæ octavo die, hoc eſt, poſt ſeptimam Sabbati facta eſt, occulta Sacerdotii legalis arcana patuerunt, linguaque Pontificum Judæorum, quam diffidentiæ vincula ſtrinxerant, intelligentiæ rationabilis eſt voce ſoluta*. Sanctus Ambroſius dicit: *Eliſabeth paucis, Zacharias multis prophetat: uterque Sancto Spiritu repletus loquebatur; ſed diſciplina ſervatur, ut mulier magis diſcere quæ Divina ſunt ſtudeat, quàm docere*. In Gloſſa morali hæc inveniuntur: *Per Zachariam Sacerdotem deſignatur bonus Epiſcopus, qui Spiritu Sancto debet eſſe plenus, & pater ſpiritualis Joannis, id eſt, hominis gratioſi coram Deo, & hominibus bonis. Debet etiam Deum de ſuis beneficiis collaudare: ideò ſubditur: Dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael*. Sylveira inquit: *Dicitur Deus Iſrael, & non Deus Jacob. Jacob interpretatur, ſupplantator; Iſrael autem, videns Deum. In fide Chriſtiana nulla eſt Dei notitia in dolo, & falſitate, ſed in ſumma, & infallibili veritate, ita ut poſſit dici homo videns Deum: tam certò ipſum cognoſcit*. Barradas hæc habet: *Quod David à Deo precibus contendebat: Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam, in Zacharia impletum cernimus. Aperuit mirandum in modum Dominus illius os, & labia, Divinamque laudem annuntiarunt*. Cardinalis Toletus dicit, ideò octava die locutum Zachariam, non in die Natalis Joannis, nè locutio virtuti naſcentis tribueretur, ſed illi, quem advenisse, Zacharias ſignificavit.

Pro: *Nunc dimittis*.

Sylveira ait: *Dicit Simeon: Dimittis, ſeu abſolvis, tamquàm reus à carcere, atque vinculis: cùm hæc vita noſtra ob labores, ac peccandi pericula, ſit velut quoddam ergaſtulum, aut miſeriarum catena*. Vincentius Regius hæc habet: *Decet ergo juſtos in vita tum activa, tum contemplativa excellere, & vim potiùs lachrymarum profundere, quàm vitæ hujus voluptatibus vacare, tamquam ad Chriſtum, non ad mundum ſpectantes, ut in eis illud locum habeat: Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini. Et quidem quis ita amens eſt, ut in exilio poſitus gaudere malit, & non ingemiſcere magis, dum felicem illam Patriam conſiderat, ut illi faciunt, qui cives ſunt ſupernæ illius Civitatis, & ubertim lacrymas emittentes, lugubre carmen reſonant: Super flumina Babylonis ſedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion, &c. quod & præſtantiſſimus vates effecit, dum in hac lacrymarum valle poſitus cecinit: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Sic Simeon: Nunc dimittis ſervum tuum, &c.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum prædicta.

Magnificavit anima Beatæ Mariæ Virginis Deiparæ Dominum, gratiarum actiones pro collatis ipſi beneficiis exercens, & à peſſimo ingratitudinis vitio totis viribus abhorrens. Ad ulteriora quidem bona à Deo recipienda Dei Genitrix ſe diſpoſuit, dum pro jam acceptis ita Dominum magnificavit. Quot quotidie bonis, ac Dei beneficiis noſmetipſos privamus, quia de gratiis Deo agendis parùm ſoliciti ſumus, qui tamen plurima accepiſſe noſcimus! Laudationem Dei pro gratiis tempore præterito nobis à Domino miſericorde collatis ſequetur ulteriorum

gra-

gratiarum cumulatio pro tempore præſenti, atque etiam pro futuro; ſi tamen non pigri, non obliviſcentes, non tepidi, non fuerimus Deo ingrati: ipſas immò laudes Dei animæ concinamus fervore. Saltem, quia gratias agendi, vel reddendi oblivio magnoperè nobis officit, & actiones gratiarum mirificè nobis proſunt, fatagamus ab oblivione gratias agendi toto noſtro corde abhorrere, & pro acceptis gratiis, à Dei laudibus numquàm ceſſare. Gratiſſima ex animo ſuo exiſtens Beata Maria Virgo, Dominum magnificavit, & ei gloriam accidentalem attribuit, quando etiam ſuo exemplo gratias agendi, plurimos Deo ſervos conciliavit, & ad tanti Domini famulatum animas innumeras duxit. O quomodò ad Deo ſerviendum, & ei multos ſervos adquirendum obligamur, qui in Convivio Altaris adeo benè à Domino paſti ſumus! *Venit Abner ad David in Hebron cum viginti viris: & fecit David Abner, & viris ejus, qui venerant cum eo, convivium. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te Dominum meum Regem omnem Iſrael.* Verba ſunt hæc Divinæ Scripturæ, & Sacræ Regum hiſtoriæ. Ergo Abner agnoſcebat ſe obligatum ad vocandos omnes Iſraelitas ad ſervitium David, & ad eum magnificandum, quia David ipſi Abner, & viris, qui venerant cum eo, fecerat illud convivium. Utinam, qua paſti ſumus, menſa cœleſtis, nobis ingerat ſpiritum Dominum magnificandi, & totum mundum ad ſervitium Dei, qui tale inſtituit, & fecit nobis Convivium, congregandi, & attrahendi. Fecit cuique noſtrûm, & potentiis illius in menſa Altaris maximum Convivium Deus. *Cum cibo, & potu id appetant homines, ut neque eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit*, ait Sanctus Auguſtinus. Cibavit nos Deus Sacratiſſima Euchariſtia, reficiens noſtras animas, atque nobilitans corpora. Cibavit intellectum, fide illum illuſtrans; voluntatem, ipſam inflammans; & memoriam, eam fœcundans. Ergo ſurgamus, & congregemus ad verum David Deum, & Dominum noſtrum omnem Iſrael. Non parcamus labori, non acquieſcamus pigritiæ; & nihil non agamus neceſſarium, ut totum orbem, ſi fieri poteſt, congregemus ad talis Dei, & Domini obſequium, atque ad tanti noſtri benefactoris dignum, felicemque famulatum. Sic Deo grati ſervientes, ac taliter Dominum magnificantes, Sancti etiam Zachariæ, Sanctique ſenis Simeonis inhærebimus veſtigiis: qui quidem Dei amici ritè ipſum laudarunt, & omnes ad glorificationem illius invitarunt, dum pro acceptis beneficiis in Canticis ſuis tali modo ferventes gratias egerunt. Agentes igitur id, ad quod jure obligamur, & tenemur, Eccleſiæ in petitione ſequentis Orationis adjungamur.

Oratio poſt Communionem.

P*Er hujus, Domine, operationem myſterii, & vitia noſtra purgentur, & juſta deſideria compleantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c.*

EXPLICATIO.

MUltùm nocet nobis, vitia noſtra non purgari; quia per hanc non purgationem præpedimur, nè noſtra deſideria, quamvis juſta, compleantur. Quamvis non noxia, ſed proficua deſideraret ille infelix Antiocus, tamen orabat ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus. Quarè? Quia non conſtat de ejus vera pœnitentia: quia cor ejus non purgatum; immò erat iniquitatibus, & ſceleribus obductum: itaque non purgatus ille miſer homo à vitiis, fraudatus eſt etiam à juſtis deſideriis. Jurè ergo hodie priùs petimus à Domino, noſtra vitia purgari, & poſteà flagitamus, noſtra juſta deſideria compleri. Poſtulamus evacuari à noxiis, ut repleamur proficuis: ut abigantur nocentia, & nobis approximentur juvantia: ut, quò plùs caruerimus vitiis, eò magis abundemus juſtis deſideriis completis: ut de horum lætemur plenitudine, quando illorum fungamur vacuitate:

te: fungamur, inquam; quia eſt principium gaudii ob juſtorum deſideriorum completionem habendi, à vitiis purgatos nos, ipſorum expertes exiſtere, & firmiter reſolutos ad nos iterùm non inquinandum, vel neceſſitatem ſimilis à vitiis purgationis habendum. Bonum quidem vitiorum purgaminis, & juſtorum deſideriorum completionis, noſcimus poſſe provenire à Divina Altaris, & Myſterii operatione: quia gratia Sanctiſſimi Miſſæ Sacrificii, & Euchariſtiæ Sacramenti ritè confeſſis de gravibus culpis, conferet, nè in illa iterùm adeò faciliter labantur: & mundans à levibus, & venialibus culpis, etiam purgat à vitioſa conſuetudine minuta, & parva peccata in noſtris conſcientiis, & cordibus admittendi: & Myſterium etiam Altaris, quod Deum placat, operatur etiam, ut Deus juſta noſtra deſideria compleat: ac, quamvis, non oblato Sacrificio, poterat nobis Deus non ita placatus, completionem noſtrorum deſiderlorum, etiam juſtorum, negare; per Sacri tamen operationem Myſterii, illa, quæ juſtè ſunt deſiderata, jucundè confidimus, & ſperamus percipere.

CAPUT SEXTUM

Pro Dominica prima poſt Epiphaniam, quæ eſt infra octavam ejuſdem Feſti.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Thaddæi Apoſtoli ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ hujus Dominicæ primæ poſt Epiphaniam, ſive infra illius octavam. Qui quidem Textus eſt hic:

Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis, deprecans ſupercertari ſemel traditæ Sanctis fidei.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus, maximè litteralis.

OEcumenius legit: *Tantum mihi ſtudium fuit, &c. ut non potuerim non ſcribere vobis, exhortans, ut rurſum certetis*. Vatablus: *Ut veſtris laboribus adjumento ſitis fidei, quæ ſemel data eſt Sanctis*. Verſio Syriaca: *Omnem curam adhibens ſcribendi, &c. ut certamen ſubeatis pro fide*. Textus Arabicus. *Neceſſitate compulſus ſum*. Æthiopicus: *Semper feſtinavi, ut ſcriberem vobis ſolicitè, & obſecro vos, ut pareatis ei, quæ adventura eſt, veritati, & ei, quæ tradita eſt*. Arabicus: *Ut ſoliciti ſitis de fide*. Thomas Anglicus vertit: *Urgente mea ſolicitudine interiùs, & periculo veſtro exteriùs, neceſſe habui ſcribere vobis*. Hugo Cardinalis ſic explicat: *Oſtendit Sanctus Judas cauſam, quarè ſcribit eis, ut ſcilicèt ibi permaneant, ut fide accepta ab Apoſtolis, caveant ab hæreticis. Unde dicit ſuam ſolicitudinem, & affectum oſtendendo: Chariſſimi, &c. ego, qui ſalutem veſtram deſidero, faciens quidquid ad ſolicitum pertinet, debeo ſcribere vobis admonitiones de communi veſtra ſalute, id eſt, de fide generali, quæ facit nobis ſalutem, quæ ita veſtra eſt, quòd omnium fidelium, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: deprecans vos ſupercertari, id eſt, ſuper certemini, fidei, id eſt, ſuper fidem veſtram certemini, addendo bona opera. Quaſi diceret: Nolo fidem, quam accepiſtis, mutare, vel aliam addere, ut pſeudo. Fidei dico ſemel, id eſt, perfectè, traditæ ab Apoſtolis: fidei dico ſanctæ; & hoc, quia de Sancto, id eſt, Chriſto, & à Sanctis, id eſt, ab Apoſtolis prædicata. Item, quia ſanctificat. Vel ſupercertari, id eſt, ſuper fidem, & opera, certamen paſſionum per patientiam addatis*.

Fidei

Fidei ſemel traditæ ſanctæ, id eſt, immutabiliter. Vel, ſupercertari, id eſt, pro ſupernis, non temporalibus, certari. Lyranus hæc habet: *In hac Epiſtola inſtruit Beatus Judas fideles generaliter, & non perſonas aliquas ſpecialiter. Dicit: Neceſſe habui, propter hæreticos inſurgentes. Deprecans, ſupple, vos: ſupercertari, id eſt, fortiter certari à vobis ſemel traditæ Sanctis: quaſi dicat: Iſtud certamen eſt fidei, id eſt, pro fide tradita. Sanctis, ſcilicèt, Apoſtolis à Chriſto; ſemel, id eſt, perfectè, quando aperuit ſenſum eis, ut intelligerent Scripturas. Dicitur etiam: Semel, propter unitatem fidei, & Auctoris ipſius.* Eſtius dicit: *Significat Sanctus Judas, ſalutem, de qua, vel pro qua conſervanda ſcripturus eſt, ſibi cum illis, adeòque omnibus electis, eſſe communem: quomodo diſſertè immunem hanc ſalutem interpretatur Beda. Poteſt hic locus, ut annotat aliquis, bifariam accipi. Vel hoc ſenſu: Non ſolùm mihi ſummum fuit ſtudium ſcribendi ad vos de communi ſalute, verùm etiam neceſſitas ſcribendi fuit: nempe propter ea, quæ ſequuntur. Vel ſic: Cùm eſſet mihi mirum ſtudium ſcribendi vobis de communi ſalute; non potui non obſequi huic meo ſtudio, & deſiderio. Fortè verbo ſupercertari uſus eſt interpres, ut deponente, quemadmodùm uſurpantur aliquoties certari, & decertari. Debet oratio reſolvi in hunc ſenſum: Ut vos adhorter ad certandum, ac depugnandum pro fide ſemel Sanctis, id eſt, Eccleſiæ tradita. Nam Eccleſiam, quam ſanctam in Symbolo profitemur, Sanctorum appellatione deſignat. Obſerva, quòd ait: Semel traditæ. Nam, præter hoc, quòd dicit: traditæ, non: ſcriptæ, primùm indicat, fidem ab Apoſtolis acceptam, nullo poſteà tempore, mutandam eſſe, quod faciebant Simoniani primi hæretici; ſed, perpetuò, mordicùſque retinendam, ac pro ea fortiter decertandum. Deinde ſubindicat id, quod Patres docent: fidei nihil addi poſſe, quia nimirùm tota ſemel tradita ſit: inſtar depoſiti, quod ita ſervandum datur, ut nec addi quidquam ei, nec auferri debeat. Quarè nec ullæ revelationes, quæ fidei addant aliquid, expectandæ ſunt, aut recipiendæ; ſed tantùm tenenda, & explicanda quæ ſemel ſunt tradita: quod fit etiam per Conciliorum decreta contra novas inſurgentes hæreſes.* Menochius ait: *Porrò ſupercertare fidei, idem eſt, quòd fide certare.* Joannes de la Haye inquit: *Quaſi Sanctus Judas dicat: Cùm valdè ſòlicitus eſſem, & vehementer cuperem ad vos ſcribere ea, quæ ſubjungo de fide conſtanter retinenda, & de hæreſibus pullulantibus omni contentione fugiendis. Deprecatur ergo eos decertare, vel, ut decertent pro fide, quæ ſemel tradita eſt Sanctis. Nec temerè poſitum: Semel traditæ, quaſi dicat: Nè quærite aliam poſt hæc, fidem, quam quæ à Sanctis tradita eſt. Arabicus refert etiam hoc ad ipſum Judam: Rogo vos, ut contendatis mecum viceuna, id eſt, continuè, conſtanter, in fide, quam tradiderunt ad nos Sancti: non ſolùm vos rogo pro fide vobis tradita decertare: nam etiam laboro, & pro ea de certo ſuſtinendo, & propugnando.* Cornelius ita explicat, & hæc dicit: *Quaſi Sanctus Apoſtolus dicat: Neceſſe duxi ſcribere vobis ea, quæ ſubjungo de fide conſtanter retinenda, & de hæreſibus ſub pullulantibus omni contentione fugiendis, imò profligandis. Hæ enim hæreſes tam ſunt periculoſæ, ut non tantùm ſolicitudinem, ſed & neceſſitatem ſcribendi mihi imponant. Semel traditæ ſanctis, puta; Chriſtianis, utque eam pro viribus tueamini, & propugnetis, tum verbo, tum honeſtæ, & Chriſtianæ vitæ exemplo, ita, ut nullam aliam admittatis, ſed omnem ab hac diverſa explodatis. Ego vobiſcum primo certavi contra idololatriam, & idololatras, vos mecum jam ſecundò certate contra hæreſim, & hæreticos. Terribilis eſt ſententia Innocentii Tertii diſtinct. 83. c. Error. Error, inquit, cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas, cùm minimè defenſatur, opprimitur: negligere quippe, cùm poſſis, deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quàm fovere. Loquitur Prælatis præcipuè, ſed & ceteris ſuo ordine. Moraliter, diſce hîc, quantum, & quàm acre Chriſtianis pro fide, & pietate debeat eſſe certamen.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

UNicuique mandavit Deus de proximo ſuo; ſed ſpecialiſſimè Sacri Apoſtoli Chriſti, ut dicit Sanctus Ambroſius, fue-

Digitized by Google

fuerunt electi ad propagandum auxilium ſalutis humanæ. Ideò Sanctus Thaddæus reputavit tamquam ſibi dicta ea verba: *Eſto vigilans, & confirma*, ac etiam illa: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Vigilat ſanè, & confirmat nos omnes Sanctus hic Apoſtolus, dum ad hoc, ſe dicit omni ſolicitudine preſſum, & neceſſitate compulſum. Scit quidem, ſe eſſe à Chriſto poſitum, ut eat, & fructum afferat, & fructus ejus maneat; ac proinde nihil ad hoc non molitur, & nullum pro iſto negotio maximo linquit lapidem immotum: nè, ſi animæ proximorum ſuorum perdantur, earum interitio ſuæ ſegnitiei imputetur, & ſanguis hominum de manibus talis ſpeculatoris requiratur. O' quomodò juſtè ſimul, & anxiè dicebat Magnus Doctor Sanctus Gregorius: *Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & negligentes videmus*! Jurè etiam in negligentes invehitur S. Bernardus his verbis: *Eſt conſentire ſilere, cùm arguere poſſis*. Non curanti de extinctione parvæ ſcintillæ tribuitur incendium domus, quæ exarſit; quia is, qui poterat, & debebat, igniculum in initio non repreſſit. Si ille principiis minimis obtitiſſet, neutiquam taliter flamma invaluiſſet, nec pretioſa quæque voracitas ipſius vaſtaſſet. Flagrat peſtilentia, & omnes occidit in civitate, quia eam cuſtodire obligatus, vixit ſui muneris oblitus. Moritur infirmus, cujus membrum putridum non fuit à Chirurgo reſecatum, & iſti mors illa adſcribitur; nam ſi ab eo putredo per amputationem eſſet relegata, numquàm taliter ægroti periclitaretur vita. Simul exortæ ſpinæ ſuffocant ſemen, quod inter eas cecidit; ſed ſi ſpinæ, vel combuſtæ, vel evulſæ per agricolæ curam fuiſſent à terra ſolicitè, ſemen plurimum potuiſſet fructum afferre. Certent igitur, vigilent, ac pigritiam excutiant totis viribus Prælati: & ſupercertemus etiam per fidem, & bona opera ad animarum noſtrarum negotium qui ſumus inferiores, & ſubditi: ut utriſque per Dei gratiæ auxilia benè credentibus, & benè quoque operantibus ſalus æterna reſpondeat, atque ab illis, & à nobis omnibus conſequenter infelicitas æternæ damnationis abſcedat. Malum hoc infernale fugiemus, & bonum illud beatum lucrabimur, ſi ad ea, quæ Eccleſia à Deo poſtulat in oratione prima, ac etiam in ſecreta Miſſæ hujus Dominicæ, animum admoverimus, & quæ in ipſis nobis agenda præſcribuntur, efficere non ſinamus.

Oratio Officii Dominicæ primæ poſt Epiphaniam, infra ejuſdem Octavam: quæ quidem Oratio eſt prima in Miſſa dictæ Dominicæ.

VOta, quæſumus Domine, ſupplicantis populi cœleſti pietate proſequere: ut, & quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda quæ viderint, convaleſcant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.

EXPLICATIO.

SUpplicat Dominum Deum noſtrum populus Chriſtianus, hoc eſt, Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, quæ quidem eſt plebs Dei, familia vera Chriſti, felixque populus Domini. Populus igitur ſupplicat, quando humiles preces coram Dei obtutibus repræſentat. Habet profectò vota iſte populus, cui inſunt pia, & plurima deſideria; ſiquidem potiens deſideriis majoris Dei gloriæ, etiam inhiat vel honeſtæ utilitati propriæ, vel alteri bono proximis, quamvis inimicis, optato. Oramus ergo, ut Dominus vota noſtra dignetur cœleſti pietate proſequi, ea, exauditione afficere, ad illa attendere, ac nos ſecundùm ipſa vota benè concepta, & ritè repræſentata, expedire. Niſi vota noſtra fuerint honeſta, indigna erunt exauditione Divina. Si petierimus incongrua, aut illicita, quomodò juſtè poterimus ſupplicare, ut Deus optimus vota noſtra pietate proſequi dignetur cœleſti? Imò à taliter petentibus avertet piè Dominus auditum, & inveniemus illum mala petitione offenſum: ac poterit vibrare ſupplicia contra iniqua concipientes vota, vel pandentes illicita deſideria. Petamus quod hodie petit Eccleſia, & ita Dominus omnium pie-

pietate cœleſti proſequetur noſtra vota. Oremus, & intendamus conſequi, ut videamus quæ à nobis ſunt executioni mandanda, & convaleſcamus ad illa, quæ viderimus, agenda. Petamus intellectum, & vivemus: poſtulemus à Deo intellectum, ut ſciamus teſtimonia ejus: & concupiſcat anima noſtra deſiderare juſtificationes illius. Petamus, ut videamus quæ à nobis debent agi in fugiendis vitiis, necnon & in pluribus virtutibus amplectendis; ſed petamus etiam convaleſcere ad implenda ea bona à nobis cognita, & viſa. Si viderimus quæ agenda ſunt, & ad ea agenda non fuerimus parati, & accincti, talis viſio, vel cognitio erit nobis ſeveræ puuitionis occaſio; quia Deus plùs exardeſcit ira contra intelligentes bona, tamenque vel non facientes bona intellecta, vel perpetrantes iniqua; & odit benè intelligentes, ſi eos invenit otioſos, vel perperàm operantes. Duabus rebus ad ſalutem indigemus, & viſu, vel cognitione agendorum, & Chriſtiana reſolutione, ſive promptitudine, ut arripiamus iter benè operandi, & ad cœlum per fidem, & bonam operationem gradiendi. In votis habeamus cognitionem eorum, quæ debemus agere, & convaleſcentiam quoque ad implenda illa, quæ per Divinam lucem à nobis fuerint viſa, & mediante Dei ipſius gratia, & illuſtratione, recognita. Quia hæc ſunt bona vota, poterimus ſperare, quòd ea Dominus cœleſti pietate volet, ſive dignabitur proſequi: ut nos bona cognoſcentes agenda, convaleſcamus ad mandanda operi, ſive executioni ea, quæ agenda noverimus: & ita credentes, ſimulque benè operantes, gratia, & charitate ditabimur, ac per temporalia ad bona æterna tranſibimus.

ORATIO SECRETA.

Oblatum tibi, Domine, Sacrificium, vivificet nos ſemper, & muniat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Utinam ſaltem vitam æternam deſideraremus, ſicut vitam caducam exoptamus. Faxit Deus, ut vitam gratiæ, & ſpiritualem adeò efficaciter ambiamus, ſicut vitam corporalem, vel temporalem percupimus. Proh dolor! Ergo animam obliti, de ſæcularibus tractamus nimis ſoliciti, vigilantes, & attenti. Soporem, quem à nobis non auferunt bona cœleſtia comparanda, à nobis relegant quotidie res viliſſimæ hujus ſæculi; dum ad temporalia, vel lucranda, vel tuenda inſomnes, & ad requirenda ſpiritualia jugiter invenimur dormientes. Eſt ſomnus mortis imago: itaque nos profert, & oſtendit ſpiritualiter mortuos ſopor ille, qui nos manifeſtat adeò æternorum oblitos. Abeat ergo à nobis & mors culpæ, & periculoſus ſomnus, qui eſt imago mortis hujus. Qui dormit, fit per dormitionem inermis, quamvìs ſtipatus armis. Non his, ut ſe defendat, utitur, quoniam ſopore occupatur. Corruet ergo coram inimicis, quibus cernitur circumſeptus, qui non vult gerere debitam curam expergiſcendi, ut valeat vibrare arma, ac de hoſtibus triumphare. Jurè ergo Eccleſia hodie Deum orat, ut oblatum ipſi ſacrificium vivificet nos ſemper, & muniat. Utique muniet illos, quos vivificaverit: quia, ſi virtute ſacrificii, gratiæ auxilia ad veram pœnitentiam, & bonam confeſſionem noſtrorum peccatorum faciendam, à Deo fuerimus conſecuti; erimus, gratiæ cooperantes, vivificati, erimus etiam muniti. Per talia auxilia à nobis recedent & mors peccati, & ſomnus periculoſæ pigritiæ. Exurgentes, à ſacrificio vivificati, iiſdem gratiæ auxiliis muniemur, ut non victi, ſed victores evadamus.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

Magnificat anima mea Dominum. Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro *Magnificat*.

BArradas dicit: *Primum veteris Teſtamenti Canticum, in gratiarum actionem decantatum, Maria Moyſis ſoror ob demerſum in mari Rubro Pharaonem cecinit. Primum verò novi Teſtamenti novum Canticum, multò præſtantior Maria, Dei Genitrix ob maximum beneficium Incarnationis edidit. Id verò, pſalterii inſtar, decem verſibus, quaſi decem chordis, conſtat. Veluti in pſalterio igitur decem chordarum Virgo ſuaviſſima voce pſallit.* Sylveira inquit: *Quòd Beatiſſima Virgo dicat: Magnificat, de præſenti, ex eo eſt, quia ejus ſpiritus ſemper, & continuò erat in gratiarum actione.* Vincentius Regius hæc habet: *Sunt præcipua decem Cantica veteris Teſtamenti: primum Mariæ ſororis Moyſis, ſecundum ipſius Moyſis, tertium Debboræ, quartum Annæ, quintum Davidis, ſextum Salomonis, ſeptimum Judith, octavum Ezechiæ, nonum Habacuc, decimum trium puerorum: ſed præſtat Mariæ Dei Genetricis Canticum, decem partibus, quaſi decem melodiis ea complectens, & fortè ob id conſuevit in Veſperis decantari. De hoc Mariano Cantico illud dicere poſſumus pſalmi centeſimi quadrageſimi tertii: Deus, Canticum novum cantabo tibi, in pſalterio decem chordarum pſallam tibi. Novum dici poteſt hoc Canticum, non ſolùm, quia Diva Maria princeps fuit, quæ Deo primum cecinisse Canticum in novo Teſtamento legitur: verùm & multò magis; quia eo Cantico comprehenduntur quædam nova ſatis, nec umquàm audita myſteria: quòd enim Verbum caro factum ſit, & Dei Filius ſit carne velatus, ut eſt apud Damaſcenum tertio de Fide, cap. 1. Omnium novorum maximè novum eſt, & verè dicere poterat Deus, cùm hoc myſterium operabatur: Ecce nova facio omnia. Poteſt & novum dici ob novam mentis innovationem, quam qui benè affecti ſunt in Beatam Virginem, dum attentiùs hoc Canticum meditantur, experiuntur: ſemper item novo quodam guſtu, dum illud audiunt, vel legunt, vel contemplantur, afficiuntur: ſemper idem novum intelligentibus apparet. Decachordum porrò nominatur, quia decem verſibus, quaſi decem chordis continetur: qui numerus, quòd perfectus eſt, rectè in mediatorem Chriſtum, & Beatam Virginem quadrat, & in novum Teſtamentum. Vel decachordum dicitur, quia ſicut omnia vetera ſacrificia repræſentabant illud, quod Chriſtus in Cruce peregit, ita reliqua omnia Cantica, quæ in veteri fuerunt Teſtamento decantata, hoc unum referebant: nam eo continentur omnia ea beneficiorum genera, quæ antiquis illis Canticis celebrabantur, ſicut umbræ, & figuræ Divinæ Incarnationis, quod myſterium hic maximè celebratur. Ut autem ea Cantica decem imprimis numerantur, ita par erat, ut Canticum hoc decem etiam verſibus comprehenderetur. Quòd ſi mavis, dic, decachordum dici poſſe propter decem myſteria, quæ ad Chriſtum pertinent, ad quæ reliqua revocantur, id eſt, Incarnationem, Nativitatem, Adorationem Magorum, Præſentationem, Baptiſmum, Ingreſſum in Jeruſalem, Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Adventum Sancti Spiritus. Ad hæc poteſt decachordum nominari, quia debet ab illis præſertim decantari, qui decem præcepta legis obſervant. Denique, quia à ſingulis Angelorum choris, qui novem ſunt, & ab homine, qui ad decimam drachmam pertinet, concinendum eſt, propterea meritò etiam decachordum appellari poterit.* Hucuſque Vincentius Regius honor Sacræ Religionis Societatis Jeſu, quia piiſſimus eſt Auctor, & erga Chriſtum, ac Beatam Mariam devotiſſimus. Sed verbis relatis à tanto Doctore auditis, memoror illorum, quæ circa fundationem Religionis Monacharum, quæ Annuntiationis Beatæ Mariæ nominantur, in Annalibus Minorum Seraphici Patriarchæ Sancti Franciſci referuntur. Conſtat igitur ex prædicta Sanctiſſimæ Religionis Franciſcanæ hiſtoria, quòd Joanna Valeſia, ſeu de Valois (cognata Sancti Patriarchæ Felicis de Valois mei Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatoris) quæ quidem Joanna fuit Ludovici Undecimi Regis Galliæ filia, Caroli Octavi ſoror, ac Ludovici Duodecimi Galliarum item Re-

gis

gis uxor, cùm tantùm quinque annos ætatis haberet, accepit à Beata Virgine Dei Genitrice Maria revelationem de eo, quòd fundatura erat ipſa Religionem, quæ honori foret ipſi Sacratiſſimæ Deiparæ: quod & fecit illa in adulta ætate, accepta iterùm revelatione à Beata Maria illi præcipiente, ut opere tunc compleret, quod in tenera ætate ipſi, futurum, dixerat. Itaque Regulam à Confeſſario ſuo Fratre Gilberto Nicolai Franciſcano diſpoſitam acceptans decem capitibus conſtantem, ob decem virtutes Beatæ Virginis, quæ in Euangelio Sacro exprimuntur, nempe, caſtitatem, prudentiam, fidem, humilitatem, veritatem, devotionem, obedientiam, paupertatem, patientiam, miſericordiam, & compaſſionem, ſeu dolorem Virginis Mariæ; Moniales congregavit, ut Fundatrix, & perfectiſſimam Religionem, maximè in Gallia vigentem, erexit. Harum Monacharum Regulam Alexander Sextus Pontifex Maximus anno millesimo quingenteſimo primo confirmavit. Ergo, qui has decem prædictas Dei Genitricis Mariæ (dum Canticum ipſius *Magnificat* recitat, aut canit) in ejus decem verſibus meditari, vel ſaltem venerari voluerit optimas, & excellentes virtutes; Deiparæ placebit, ac utiliter in hoc decachordo Cantico Dominum Deum noſtrum laudabit.

Pro: *Benedictus*.

Ubi noſtra verſio Vulgata dicit: *Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*, textus Perſicus legit: *Qui populi ſui curam gerit*. Alia verſio Perſica: *Quoniam viſitationem fecit, & ſalutem dedit populo ſuo*, Textus Arabicus: *Et fecit ſalutem*. Æthiopicus: *Qui miſertus eſt nobis, & fecit redemptionem populo ſuo*. Sanctus Cyprianus vertit: *Proſpexit*. Eutimius: *Plebi ſuæ*. Gloſſa interlinealis: *Viſitavit apparens in carne*. Interlinealis Bedæ: *Viſitavit longa infirmitate tabeſcentem*. Interlinealis etiam: *Sanguine Filii redemit, ſub peccato vendita*. *Longiùs à ſe recedentes juſtificare curavit*. Gloſſa ordinaria: *Quod Zacharias proximè faciendum cognoverat, prophetico more, quaſi jam factum narrat*. Nicolaus de Lyra: *Viſitavit in ſua Nativitate, in qua viſitavit nos oriens ex alto: & fecit redemptionem plebis ſuæ in ſua Paſſione*. Menochius: *Liberavit, redemit*. Tirinus: *Viſitavit plebem ſuam, & novis illam beneficiis cumulavit per Meſſiam, quem ſubmittendo: fecit, id eſt, facere cœpit, redemptionem illi, & liberationem ex omnibus hoſtibus, & malis. Priore enim parte cantici ſui laudat Zacharias Deum ob miſſum Meſſiam, cujus opus redemptionis, & vim gratiæ deſcribit. Poſteriore parte filii ſui Joannis Præcurſoris Meſſiæ officium declarat*. Alii apud La Haye: *Salutem, proſpexit plebi ſuæ*. Ipſe Joannes de la Haye: *Id eſt, viſitando eam redemit, proſpiciens ſaluti, & libertati ejus*. Emmanuel de Sa: *Fecit redemptionem, id eſt, miſit Redemptorem. Plebi, id eſt, populo.*

Pro: *Nunc dimittis*.

Sebaſtianus Barradas ait: *Dominus enim eſt, qui dimittit ex hoc labore ſuos ſervos, qui dimittit ex hoc bello ſuos milites: illo vocante, diſcedunt; non vocante, manent.* Audbertus Presbyter Ordinis Sancti Benedicti in ſolemnitate Purificationis inquit: *Quis ergo jam hinc non videat in uno Simeone multos, per unum cunctos ſignificari electos, qui nunc juſti ex fide, atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inveniuntur ex futura conſolatione?*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita.

Quàm lætus eſt, quem Jeſus viſitat conſors Paternæ dexteræ! quia ille eſt dulce lumen Patriæ, carnis negatum ſenſibus. Ipſe eſt ſplendor Paternæ gloriæ, incomprehenſa charitas: qui nobis amoris copiam largietur per præſentiam. Nunc Dominum magnificavit Mariæ Virginis Deiparæ anima, eam, & per eam nos viſitantem: hunc appellavit Zacharias benedictum Dominum Deum

Iſrael, quia viſitavit, & fecit viſitans redemptionem plebis ſuæ: & hunc etiam Sanctus ſenex Simeon laudavit, ſentiens in anima ſua magnum amorem erga piè, clementer, benignè, & miſericorditer eum viſitantem, ipſius brachia replentem, cor accendentem, & animam conſolantem. Quid eſt homo, quòd Jeſus memor eſt ejus? aut filius hominis, quoniam viſitat eum? Rurſus Domine: Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Sentit conſolationem ægrotus, quando viſitat eum medicus: præcipuè quando, & ſimul medicus viſitans eſt ſcientificus, & blandus:) lætatur filius afflictus, quem Pater viſitat benevolus, & gaudet miſer captivus, quem viſitat Redemptor ad eum redimendum paratus. Ergo qui ægroti, qui in afflictione poſiti, & qui culpa noſtra ſumus compedibus aggravati, non poſſumus non lætari per viſitationem Jeſu talis medici, Patris, atque Redemptoris. Sed quem viſitat, magnificat, cumulans gratiam inviſendi per beneficium exaltandi viſitatum. Sed viſitat nos diluculò, & ſubitò probat nos. Tentat nos Dominus Deus noſter, qui quidem Deus, juxta Sanctum Jacobum Apoſtolum, intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat in malum. Tentat probans, tentat experiens, tentat, nos examinans ille, qui nos viſitat magnificans. Quod tentat, intendit, & experiri curat, & ſatagit eſt, an eum amemus, vel ſaltem timeamus, an non? Quis non timebit te Domine, quia ſolus pius es? *Quid amo, cum te non amo?* exclamabat Sanctus Auguſtinus magna dilectione Dei, ad quem his verbis loquebatur, affectus. Deum igitur timeamus, immò ardenter, & diligenter amemus: quia, cùm per Divinam viſitationem nos magnificantem augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: quò indulgentior liberalitas, eò inexcuſabilior pervicacia. Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Ergo præoccupemus faciem Domini, & in pſalmis jubilemus ei: laudemus nomen ejus cum cantico; quia bonum eſt confiteri Domino. Confiteamur illi, quoniam exaudivit nos, & factus eſt nobis in ſalutem. Quarè aggravamus corda noſtra, ſicut aggravavit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? immò fiat cor noſtrum ſicut cera liqueſcens; ſic liqueſcat terra, & omnes qui habitant in ea: concaleat cor noſtrum intra nos, & in meditatione noſtra exardeſcat ignis. Appropinquemus Deo hodie gratias poſt Communionem agentes, & cum Dei gratia, & adjutorio ad judicium nos parantes. Simus prudentes, & vigilemus in orationibus, & velut prudentes, accipiamus oleum in vaſis noſtris cum lampadibus, jungentes luci fidei oleum benè operandi: ut quando ille, qui per Diviniſſimam Euchariſtiam toties nos viſitavit in vita, venerit ſponſus, & pulſaverit, per ægritudinis moleſtias eſſe mortem noſtram vicinam deſignans, confeſtim aperiamus ei, læti judicem ſuſtinentes, & intremus cum eo ad nuptias; cùm ſcriptum ſit, quòd venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe: ejus, inquam, qui deſponſavit nos ſibi in fide: & beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Paremus nos, iterum dico, gratias hodie pro hodierna viſitatione Dei, poſt Communionem agentes, orationem propoſitam recitantes, & ea, quæ in ipſa petit Eccleſia à Domino Deo noſtro, magna fide, ſpe, & amore, ſimulque adoratione, à religionis virtute ducti, depoſcentes.

Oratio poſt Communionem.

S*upplices te rogamus, Omnipotens Deus: ut quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

AD quid alit Rex ſuos milites, niſi, ut dimicent fortiter, facti jam per cibum alacres? Alacriter igitur præliemur qui menſa cœleſti paſcimur. Ab eo, à quo recepimus alimoniam famelici, veniet nobis, ut bella contra vitia gerentes, bonos con-

Digitized by Google

conquiramus mores, eos inveniamus, ac cuſtodire poſſimus. Militia eſt vita hominis ſuper terram: regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Erit nobis à Deo conceſſa morum honeſtorum (vita æterna dignorum, & conſequenter Deo ipſi placitorum) conquiſitio in hoc ſpirituali bello, ut lætemur coram Domino corde perfecto, ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia: donabitur, inquam, nobis à Conditore noſtro morum ſibi placitorum comparatio, ſiquidem ab ipſo Domino nobis provenit ſuorum Sacramentorum refectiò. Hoc ſcientes, ab illo depoſcimus hodie, ut qui nos reficere per ſua Sacramenta eſt dignatus, etiam ipſi deſervire per ſibi placitos mores concedat nobis propitius. Non tardabit nobis concedere, quòd ei ſerviamus placitis moribus, qui non ſegnis fuit in reficiendo nos ſuis Sacramentis cœleſtibus. Utinam firmitas noſtra ambulandi per bona opera, indicet gratiam à nobis acceptam per ſacram refectionem Euchariſticam. Det nobis Deus virtutem ipſi per bonos, ac ſibi placitos mores deſerviendi, ſiquidem inſtituit Sacramentum Altaris, dans per iſtam refectionem noſtris animabus vigorem, & præbens mirificam fortitudinem. Faciet profectò quod petimus, qui nos ideò reficit, ut taliter refecti noſcamus, quòd ei debemus ſervire placitis moribus. Hinc proveniet, ut qui, niſi eſſemus iſta annona refecti, languidi, ſqualidi, & ideò imbelles, & imbecilles foremus; dignè hanc refectionem accipientes Sacramentalem, animum quotidiè attentiùs, & accuratiùs capiamus ad Domino noſtro inſerviendum placitis ipſi moribus, ac etiam, ut illi in regione vivorum placeamus.

CAPUT SEPTIMUM

Pro Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

Proponitur textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam: qui quidem textus eſt hic:

Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium, impii.

Explicatio litteralis hujus Textus ex Auctoribus, etiamque Moralis.

OEcumenius vertit: *Obiter enim ſubierunt quidam homines impii*, Textus Æthiopicus: *Quia intrarunt in corda veſtra homines*. Verſio Syriaca, & Regia: *Subrepſerunt enim*. Textus alius Syrus: *Acquiſierunt ingreſſum*. Textus Arabicus: *Commixti ſunt in nobis*. Alius textus Arabicus: *Nam ſurrexerunt, & inſeruerunt quidam impii, qui præſcripti in hanc damnationem*. Syrus: *Qui à principio pervenerunt, ut ſcriberentur in condemnationem juſtam*. Arabicus alter: *Qui ſcripti ſunt in hoc iſtud judicium*. Hugo Cardinalis ſic explicat: *Subintroierunt enim, hoc eſt, ſub ſpecie ſanctitatis, & Religionis introierunt quidam indigni nomine: unde Gloſſa: Ignoti Deo, & Sanctis. Unde nec nominandi, ſicut nec ille dives Epulo Lucæ* 16. *nominatus eſt. Quia ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigat, carnales, ſcilicet, homines, & terreni, non Divina ſapientes: impii, quia cultui Dei detrahunt, pervertendo Scripturas. Qui olim, id eſt, ab æterno, præſcripti ſunt, id eſt, prævisi à Domino, in hoc judicium, id eſt, condemnationem venturi, ſcilicet, quia antequàm illi eſſent, Deus eos prævidit tales futuros*,

turos, qui & mali eſſent, & alios corrumperent, & ad ultimum damnarentur. Gloſſa interlinealis ait: *Subintroierunt ſub ſpecie religionis homines humanæ ſapientiæ quidam ignoti Deo, & Sanctis; qui ab æterno in præſcientia Dei præviſi ſunt juſto Dei judicio, ut ſordeſcerent, & alios in ſordes præcipitarent: & inde judicabuntur ad mortem.* Liranus ait: *Subintroierunt, id eſt, ſub ſpecie pietatis introierunt homines quidam, &c. impii, hæretici. Pietas enim uno modo ſignificat Divinum cultum, hæretici verò ſub ſpecie religioſitatis, & Divini cultus introduxerunt contrarium: propter quod dicuntur impii: qui olim, id eſt, ab æterno præſciti à Deo in hoc judicium, id eſt, condemnationem. Aliter poteſt dici: Qui olim præſcripti ſunt, id eſt, à longo tempore præfigurati. Et hic ſenſus videtur magis concordare ſequentibus. Et ponuntur plures præfigurationes iſtorum hæreticorum.* Eſtius dicit: *Quidam vertunt: Obiter ſubierunt. Alii: ſubrepſerunt. Id autem hæreticorum eſt, obliquis viis, ac modis inſinuare ſeſe iis, quos fallere volunt, ac ſub veſtimentis ovium tegere lupos rapaces. Dicuntur ergo præſcripti, de quibus agit Judas, quòd de his aliquid præſcriptum ſit in Scripturis. Ex quo colligitur, loci præſentis hunc eſſe ſenſum: De quibus olim in Scripturis Sacris prænuntiatum eſt, quòd deventuri eſſent in hoc judicium, id eſt, damnationem, de qua ſtatim locuturus ſum. Nam punitiones impiorum, quæ leguntur in Scriptura veteris teſtamenti, quarum exempla mox commemorat, figuræ fuerunt æternæ damnationis, quæ præparata eſt hæreticis, & omnibus Euangelii contemptoribus. Poteſt etiam, quia dicit: Hoc judicium, intelligi juſta derelictio, qua propter peccata præcedentia permiſſi fuerunt pati naufragium fidei, & variis errorum fluctibus abripi, ita, ut etiam fierent eorum magiſtri: tandem judicium illud graviſſimum æternæ damnationis ſubituri. Nam Deus judicium ſuum circa reprobos exercet, non tantùm in futuro ſæculo, ſed etiam in præſenti, licèt in futuro ſæculo, quod eſt tempus retributionis, exerceat multò manifeſtiùs, atque ſeveriùs.* Menochius hæc habet: *Subintroierunt enim quidam, id eſt, furtim ſe inſinuarunt. Qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium. Quaſi dicat: De talibus, deque eorum impietate, judicio, id eſt, condemnatione, ante me ſcripſit Petrus, & Paulus, imò Chriſtus ipſe eos pinxit, præmonuitque, ut eos quaſi lupos caveretis, Matth. 24.2. ad Timoth. 3. 2. Petri, 2.* Tirinus ſic loquitur: *Subintroierunt enim. Regia: Subrepſerunt, id eſt, clàm, furtim, doloſè ex inſidiis ſe vobis inſinuarunt, Sed facilè diſcernetis has vulpes, & lupos: jam enim ab antiquo præſcripti ſunt: Græcè: Anteà ſcripti, & vivis coloribus ſuis iidem à Prophetis, & Apoſtolis, adeòque & ab ipſo Chriſto deſcripti ſunt, & omnes illorum fallaciæ, & artes detectæ, ac prænuntiatæ, in hoc judicium, id eſt, conformiter judicio, quod nunc de ipſis feram, nempe, quòd ſint impii, luxurioſi, blaſphemi, &c. Notat maximè Simonianos, Nicolaitas, Gnoſticos, & alios. Apud* La Haye hæc ſequentia inveniuntur: *Subintroierunt enim. Significat, non tam obiter, quàm clàm, & ex inſidiis, furtim, doloſè, quaſi vulpes introiſſe, & ſe inſinuaſſe fidelibus. Intrarunt, inquam, arte, aſtutia, fraude. Qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium. Alii: ad hanc damnationem. De quibus olim præſcriptum eſt, & prænuntiatum erat, quòd ita, de Chriſto impiè opinaturi, ac judicaturi eſſent, præſcripti, id eſt, præfigurati ad hanc condemnationem deſignati, antequàm vobis ego ſcriberem, nam de his ſcripſerunt vobis Petrus, & Paulus, imò & Divus Matthæus 24. vel ab æterno Deus prævidit tantum ſcelus perpetraturos, & acturos ſceleſtiſſimam vitam: ideòque deſcripti ſunt in hoc judicium, id eſt, Deus illis hanc pœnam ſtatuit, ſcilicet, æternam.* Cornelius ita fatur: *Subintroierunt enim quidam, hoc eſt, furtim ſubierunt: Regia: ſubrepſerunt. Sic enim pſeudoprophetæ, & hæretici, quaſi veri Prophetæ, & Doctores aſtutè novam, raram, & eximiam ſcientiam, & doctrinam prætexentes, & jactantes, ſe fidelibus inſinuant. Dat hic cauſam, cur oporteat eos ſupercertare pro fide, quia videlicet eam acriter, & doloſè impugnant hæretici. Qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium. Quaſi dicat: In hoc judicium, de quo ego, & omnes Orthodoxi mecum, eos hæreſis condemnamus. Jam præſcripti, ait Beda, & Clemens Alexan-*

xan-

xandrinus, id eſt, prævisi, & prædeſtinati: quia enim à Deo ab æterno prævisi ſunt fore impii, hinc ab eodem reprobati, & prædeſtinati ſunt ad judicium, ad condemnationem, & gehennam. Secundò, Didymus, præſcripti, ait, id eſt, à ſemetipſis dijudicati traditi ſunt in reprobum ſenſum, ſcilicet, ob ſua demerita. Tertiò Gagnejus, præſcripti, inquit, id eſt, præfigurati ſunt in veteribus pſeudo prophetis. Quartò, & genuinè Oecumenius, Dionyſius, & alii, id eſt, anteà ſcripti, priùs deſcripti. Quaſi diceret: De talibus, deque eorum impietate, & judicio, id eſt, condemnatione, ante me Judam ſcripſit Petrus, & Paulus, imò & Chriſtus ipſe eos depinxit, præmonuitque, ut eos quaſi lupos caveretis: quin & Prophetæ priſci ante Chriſtum ad vivum in ſuis æmulis pſeudoprophetis mores, & certamina hæreticorum cum Orthodoxis depinxerant. Nè enim fideles dicerent: Quomodò eos cognoſcemus, & cavebimus, ſi furtim, & improvisò nobis ſe inſinuent? præoccupat Sanctus Judas, dicitque, hac de cauſa eos præmonitos jam eſſe de iis, eorumque artes, & mores jam eſſe deſcriptos ab Apoſtolis, & Prophetis, ut ex iis latentes lupos agnoſcere, & cavere debeant. Impii. Pietas eſt cultus Dei: impii ergo ſunt hæretici, qui Dei veram fidem, cultum, religionem abolere, aut violare ſatagunt.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

P*Lus periculi eſt in inſidiatore occulto, quàm in hoſte manifeſto*, dicebat Sanctus Leo Magnus. Multi, qui non perirent in magno flumine, alluvione, & aquarum redundantia perſtrepente (quia hæc videntes, & audientes horribilem ſonitum, pontem quamvìs nimis circum euntes, vel aliqua milliaria, ſive etiam multas leucas ad eum inveniendum, ambulantes, quærerent, aut navigium ad ſecurè transfretandum intrarent) tamen in parvo rivo ſilenter fluentibus lymphis obruuntur, ſubmerguntur, & pereunt; quoniam incauti, ac periculoſæ tranſvadationis neſcii, decipiuntur, nihil timentes, ac ideò fallacibus ſe ipſos tradentes undis. Moritur columba ſeducta, artis aſtuti aucupis inſcia. Irretitur improvisè paſſerculus, dum ſibi blandiens, ac nihil metuens, volare ſibi videtur ſecurus. Capitur piſciculus hamo, quem ignorans cum eſca deglutit, dum cibo inhiat, ac de piſcatoris ſagacitate nil curat. Siſtentes cervi, ac detenti (præ dulcedine muſicæ venatorum ſolerter ad hoc inſtructæ fallaci) vel plumbeis globulis è ſclopis exploſis ſauciantur, aut ſagittis configuntur. Quod magis deplorandum eſt, homo, quamvìs rationis compos, ſæpè inſidiarum ignarus confoditur, & malitiam invidorum non callens, vel maſticat, & in ſtomachum mittit toxicum, vel incautè bibit potum venenatum, agnoſcens damnum, quando jam nullum apparet remedium. Cùm hæc ita ſint, multùm Sancto Apoſtolo Thaddæo debemus, qui ſalutis noſtræ anxius, & valdè ſolicitus, detegit verſipelles hæreticos, certa nobis dans illorum indicia, nè ipſis fidamus, & ab ipſis ſeducti in foveam labamur errorum, aliorumvè criminum; ſed potiùs illorum fallaciæ conſcii ab eis fugiamus, & contrarium ipſis curſum arripientes, ad Cœli Regiam accedamus benè fortunati, & alacres. Verùm inter hæc audienda nobis eſt advertendum, quàm ſit ſeverum Divinum judicium ad impios damnandos, ac illos in æternum ſupplicium dejiciendos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Commoveantur quidem, ut convertantur: commoveantur, ut cogitantes vias ſuas, convertant pedes ſuos in teſtimonia Dei, ac parati ſint, & non ſint turbati, ut cuſtodiant mandata Domini. Leo rugiet: quis non timebit? Vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades. Itaque audientes auditum Domini, timeamus: conſideremus opera ejus, & expaveamus: quia juſtus eſt Dominus, & rectum judicium illius. Homines, de quibus hic loquitur Sanctus Judas, impii, de malo in malum, ac de pejore in peſſimum voluntariè præcipitati, in gehennam perennem ſunt præſcripti. O' quomodò ſecum alios duxerunt ad æternam abyſſum, globoſque voracium flammarum! Dracones fuerunt peſtilen-

ſtilentes, & horridi, cauda ſua trahentes tertiam partem ſtellarum, dum per ſuam petulantem vitam, & finalem impœnitentiam plurimos ſecum deportaverunt ad interitum, incendium perpetuum paſſuri in ſeductorum ab ipſis (qui taliter, ſicut illi, obierunt) ſocietate. Ab his omnibus miſeris volens nos ſegregare in vita, & morte Mater noſtra Sancta Eccleſia, in Orationibus prima, & ſecreta Miſſæ hujus Dominicæ poſcit à Deo illa, quæ nobis proſunt, & in ipſis petitionibus monſtrantur.

Oratio Officii Dominicæ ſecundę poſt Epiphaniam, quæ eſt prima illius Miſſæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cœleſtia ſimul, & terrena moderaris: ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Verè Omnipotens Dominus Deus noſter appellatur, & deſcribitur, qui cœleſtia ſimul, & terrena moderatur. Non cingitur immenſa potentia, & potens immenſitas Dei: ideòque ille, qui ſine circumſcriptione omnia replet, ſine limitatione omnia poteſt. Non eſt abbreviata manus Domini, & Verbum Dei non eſt alligatum: manus, nempe, cujus opera ſunt cœli, & verbum, quo cœli firmati ſunt. Ipſe Deus fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit. Iſte eſt Deus Pater omnipotens, factor cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. *Juſſit Dominus, & factum eſt cœlum: juſſit Dominus, & facta eſt terra: juſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt*, ait Sanctus Ambroſius. Jurè ergo Omnipotens dicitur Deus noſter, qui cœleſtia ſimul & terrena moderatur. Quid mirum, quòd ipſe moderetur, & gubernet ea, quæ ex nihilo condidit? & quòd ille etiam quodcumque vult præcipiat cœleſtibus, & terreſtribus, quibus conceſſit eſſe, quibus donavit exiſtere? Ea cuncta, quæ omnipotenter creavit, ſapientiſſimè, ordinatiſſimè, benigniſſime, ac providentiſſimè regit. Ea moderatur, quia etiam illis beneficium conſervationis largitur, & quæ poterat ad nihilum redigere, vult clementer conſervare. Itaque, quia cœleſtia ſimul, & terrena ab Omnipotentis Dei voluntate, qua omnia hæc condidit, & conſervat, dependent; cuncta ipſa talis Domini gubernio, ac moderationi ſubjacent. Hac veritate ſuppoſita, procedit piè ad ulteriora Mater noſtra Sancta Catholica Eccleſia, petens ab eo Deo Omnipotente, qui cœleſtia ſimul, & terrena moderatur, ut ſupplicationes populi ſui clementer exaudiat, & pacem ſuam noſtris concedat temporibus. Illam pacem petit, quæ verè eſt Dei, quam Chriſtus reliquit nobis: pacem illam poſtulat Chriſti, quam ipſe dedit nobis, & non quomodò mundus dat, idem Jeſus dedit nobis. Ideòque hodie cum Eccleſia flagitamus, & poſcimus à Patre Æterno, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera (bona omnia, ſcilicet, cordis, & oris; quia omnia, quæ benè cogitatione deſideramus, benè ore conſiliantes loquimur, & benè opere complemus, velut data optima, & dona perfecta, deſcendunt à Patre luminum) ut det nobis famulis ſuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem; quia ſi hanc obtinuerimus, & corda noſtra mandatis Dei dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora erunt ejuſdem Domini Dei noſtri protectione tranquilla.

ORATIO SECRETA.

Oblata Domine munera ſanctifica: noſque à peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Qui jam in hac Miſſa Sacra (ſicut quotidiana ſacrificatione fit) dona nobis à Deo conceſſa, per Sanctum Offer-

ſertorium ipſi Domino Deo noſtro reddidimus: qui jam panem, & vinum in Chriſti Corpus, & Sanguinem ſubſtantialiter convertenda, & mutanda, per ſacram libationem Æterno Patri obtulimus, ut ea ipſa ille ſanctificare dignetur, humili voto depoſcimus. Petimus, ut ſanctificet oblata munera; & ſic apparere poterunt ipſius conſpectu digna. Si iſta munera oblata Deus ſua ſanctificatione imbuere dignabitur, per munera eadem oblata ſibi, noſtri piè miſerebitur. Sanctificabit quidem munera oblata panis, & vini, eorum ſubſtantiam terrenam deſtruens, & ſub ipſorum accidentibus Divinam ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Redemptoris noſtri, ſua potentia, & miſericordia collocans, ut poſteà eadem munera (per ſanctificantem transſubſtantiationem jam perfecta, ac taliter ab ejus Omnipotentia ad ſuam gloriam, & noſtrum beneficium immutata) nobis redonet pro vita æterna lucranda, capeſſenda, & adquirenda: & hoc per Chriſtum Dominum noſtrum. Propter quod poſt conſecrationem Patrem Æternum alloquimur his verbis: *Per Chriſtum Dominum noſtrum: per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis: Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* Supplici jam de ſanctificatione oblatorum munerum poſtulatione præhabita, dicimus: *Noſque à peccatorum noſtrorum maculis emunda.* Felix nobis erit oblatorum munerum Divina ſanctificatio, ſi nobis à Deo conceſſa fuerit plena noſtrorum peccatorum remiſſio. Quid nobis utilius, quàm à peccatorum noſtrorum maculis emundari? Sanè nihil avidiùs debemus cupere. Fædant nos noſtra delicta, & maculant peccata. Sordemus facinoribus, ac fætemus ſcatentes criminibus. Ergo qui à putulenta ſabie, & lepra peccatorum obruimur, à talibus, ac tantis maculis emundari totis viribus optemus, tota anxietate ambiamus, ac tota efficacia humiliter ſimul, & confidenter rogemus.

Textus Canticorum, *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

EXultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

VErſio Perſica ait: *Et lætetur anima mea in Deo vitam dante mihi.* Textus Syriacus: *In Deo Servatore meo.* Alter textus Perſicus: *Gaviſa fuit anima mea in Deo ſalutis datore meo.* Arabicus: *Exultet, &c. in Deo Salvatore meo.* Æthiopicus: *Exultat ſpiritus meus, &c.* Cornelius: *Geſtiit jubilans in Deo Jeſu meo.* Textus Hæbraicus: *Spiritus meus in Deo Jeſu meo.* Euthimius: *In Deo Salvatore meo.* Multi ex Græco: *Vehementer lætatus eſt ſpiritus meus.* Sanctus Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici dicit: *Utrumque Maria Virgo Dei Genitrix profeſſa eſt, & Dominum, & Salvatorem, ut pro poteſtate, qua omni creaturæ dominatur, jure metuendum oſtenderet: pro bonitate, qua miſericorditer quoſdam ſalvat, dignum dilectione demonſtraret.* Hugo Victorinus etiam in hoc Canticum ait: *Non tacitè prætereundum, quòd, cùm Beata Maria Dominum nominaret, nihil addidit; cùm verò Salvatorem diceret, non ſimpliciter Salvatorem, ſed ſuum Salvatorem nominavit.* Sanctus Bonaventura dicit: *Quia enim ſpiritus interius exultaverat, ideò anima in voce magnificabat, & ideo exultationem de præterito, & magnificationem de præſenti ponit Beata Virgo, quia exultatio eſt natura prior.* Sed Janſenius dicit: *Benè Beata Maria priùs dixit: Magnificat, poſteà: Exultavit: cùm enim magnificare pertineat ad intellectivam vim; exultare verò ad voluntatem, affectus iſte ex illo naſcitur.* Gloſſa interlinealis inquit: *In Deo Filio Salvatore meo.* Beda in Gloſſa ordinaria: *Quia terrena non curo, proſperitas non emollit me, adverſitas non*

frangit : ſed ſola illius memoria delectat, à quo ſalus ſperatur æterna : illius Divinitate lætor, cujus temporali conceptione mea caro fœtatur. Moraliter ſic explicat Theophilus: *Ille autem Deum magnificat, qui dignè ſequitur Chriſtum, & dum Chriſtianus vocatur, Chriſtiani non minuit dignitatem, magna, & cæleſtia operando: & tunc ſpiritus ejus, id eſt, ſpirituale chariſmata exultabit, & non mortificabitur*. Nicolaus de Lyra explicat: *Dicit Maria: In Deo, ratione creationis; ſalutari, ratione recreationis; meo, ratione aſſumptæ humanitatis, quia ſic fuit ipſius Virginis, & non alterius*, Menochius: *Et exultavit, &c. Eſt ejuſdem ſententiæ repetitio, Hebræis uſitata. Spiritus meus idem eſt, quòd anima mea. In Deo ſalutari meo, Deum magnificans Salvatorem ſuum. In Deo ſalutari meo, id eſt, Salvatore in me incarnato*. Barradas ſic explicat: *Quaſi dicat Virgo: Exultavit in Deo propter eximium Incarnationis opus, per quod ſervator meus eſt. Hoc enim opus præ oculis tunc habebat, hoc animo verſabat. Delectabatur illa quidem in omnibus Dei operibus. Verumtamen nunc, in hoc Incarnationis ſummo, novoque opere, ſummo, novoque exultat gaudio*. Sylveira hæc habet: *In Deo ſalutari meo. Exultavit in Deo propter admirabile Incarnationis opus, quo Deus Salvator Mariæ conſtitutus erat, & inter omnia beneficia maximum, & præcipuum. Appellat Jeſum Salvatorem ſuum, quia non ſolùm de natione ſua, ſed de ſuis etiam viſceribus conceptus erat Chriſtus. Et appellat ipſum Salvatorem, & Servatorem; quia ipſam à peccato actuali, ac originali liberavit, & ſalvavit: ideò præteritum tempus appoſuit: redemptio enim Beatiſſimæ Virginis excellentiori modo, quàm noſtra, facta eſt, ut communiter dicunt Theologi: imò, in propria perſona non contraxit Virgo Deipara debitum originalis peccati. Ut eleganter notat Cajetanus, meo, poſſeſſionem ſignificat Salvatoris, tamquam rem propriam. Verè ergo meus eſt, ait Virgo, quoniam totum corpus ejus, mediante quo ſalvat mundum, meum eſt, nullamque in eo habet partem alia pura creatura. Deinde meum appellat, univerſale beneficium ſibi proprium, & peculiare faciens*. Vincentius Regius ſic loquitur: *Inquit ergo Beata Virgo: Et exultavit ſpiritus meus, id eſt, anima. Repetitio more Hebræo: quaſi dicat: Anima mea quanta quanta eſt. Vel, ſi velimus diſtinguere, anima dicitur, ut vivificat corpus, ſpiritus, quatenus eſt ſpiritualis ſubſtantia habens eſſe per ſe, etiam à corpore ſeparata. Sic Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici. Vel anima dicitur quantùm ad naturalia, ſpiritus quantùm ad ea, quæ ſunt gratiæ. Itaque, ut oſtendat Beata Virgo, ſe totam exultare, Deumque laudare, & animam, & ſpiritum nominavit. Adde, quòd, cùm tria ſint in homine, caro, anima, ſpiritus, Beata Virgo carne, id eſt, ore laudabat Deum, magnificabat anima, exultabat ſpiritu*.

Pro: *Benedictus*.

LYranus ait: *Quia viſitavit, id eſt, viſitabit. Loquitur autem de futuro per modum præteriti propter prophetiæ certitudinem. Hæc autem viſitatio facta eſt in Chriſti Nativitate, quæ erat adhuc futura, & converſatione, qua viſitavit nos, ſicut Medicus infirmum. Et fecit redemptionem plebis ſuæ, in ſua benedicta Paſſione, per quam redempti ſumus*. Sylveira inquit: *Viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Ecce primum motivum hujus Cantici. Viſitavit ſumendo carnem, & viſitavit per ſe ipſum, & non per Prophetas, ut ait Caſſianus, ſicut olim fecerat: & inde hæc viſitatio multò major ceteris: & quamquam verbum viſitandi in bonam, & malam partem accipiatur in Scripturis, ut latè notant hìc Expoſitores; tamen ex adjunctis verbis pro gratia, & miſericordia hìc ſumitur. Et fecit redemptionem plebis ſuæ; hìc dirigit Zacharias ſermonem ſuum ad mortem, & Paſſionem Chriſti, qua redempti ſumus. Et dicitur in præterito: Fecit redemptionem, cùm tunc non eſſet adhuc facta; vel more prophetico, quo futura in præterito ponuntur ob certitudinem promiſſionis, vel quia Incarnatio inchoata redemptio fuit*. Barradas dicit: *Benedictus, inquit Zacharias, ſit Deus Iſraelis, quia per Incarnationem admirabiliter populum ſuum viſitavit. Viſitavit, inquam, non per Angelum, aut legatum aliquem, ſed per ſe ipſum, juxta illud Iſaiæ 63. ex verſione ſeptua-*

tua-

tuaginta Interpretum: *Non legatus, neque Angelus, ſed ipſe Dominus ſalvavit eos, eò quòd diligeret eos. Amor enim, hujus Viſitationis charitate pleniſſimæ, cauſa fuit*. Vincentius Regius ait: *Laudat hoc Cantico Deum Iſrael Zacharias, beneficia populo ejus præſtita enumerans, utpote, quem viſitaverit, & à peccatis ſuis, quibus venumdatus erat, redemerit. Viſitavit autem Deus Iſraelem per ſe, non per Angelos, idque aſſumpta carne, ſcilicèt, ut liberaret, & redimeret populum: quod ſtatim ſubdit: Et fecit redemptionem plebis ſuæ, id eſt, & miſit Redemptorem. Quaſi diceret: Viſitando redemit populum Pater per Filium, & ipſe Filius. Poteſt autem, & illud: Fecit redemptionem, declarare, quid ſit: viſitavit: Dicitur autem redemptio facta, id eſt, inchoata: vel, quia Redemptor jam miſſus erat. Plebis ſuæ: quia primùm venit, ut redimeret plebem ſuam Iſrael: & ſuam præſentiam exhiberet illi ſoli; alios enim viſitavit per Apoſtolos*.

Pro: *Nunc dimittis*.

SYlveira dicit: *Maximè notandum eſt illud: Nunc dimittis: nam, cùm anteà de promiſſione ſermo eſſet, mors ſcribitur, non viſurum ſe mortem; cùm verò Jeſum contemplatur, & manibus tenet, mors ſiletur, & mutato verbo, appellatur dimiſſio, ſeu migratio: quia ad Jeſu præſentiam nulla mors, nec illius ſentitur anguſtia, ſed tantùm vita experitur*. Barradas inquit: *Non fuit ſatis venerando, ac ſitibundo ſeni bonorum omnium vidiſſe fontem, & Spiritu Sancto indicante, agnoviſſe: acceſſit, ulnis feliciſſimis accepit, novumque Canticum cygnea voce edidit*. Didacus Baeza ſic loquitur: *Vix poſt natum Chriſtum, poſt Synagogam ſeneſcentem potuerit pius homo Simeon meliori exhilarari nuntio, quàm eo, qui funereas illi faces præferret. Cur non obiret lætans maturam, & tempeſtivam mortem, qua ſuccisus æternæ civitati erat addendus?*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita.

QUò longior nox, & obſcurior præceſſit, eò jucundior lucidus, & clarus dies apparet. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit, quandoquidem multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio: qui in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, ut eſſent oculi noſtri videntes præceptorem noſtrum, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: & ſic, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus, nobis diu qui debitæ Redemptor affixus Cruci, noſtræ dedit prodigus pretium ſalutis ſanguinem. Ergo noſtra converſatio in cœlis ſit, & levemus nos ſuper nos. *Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto?* ajebat Sanctus Pater noſter Doctor Mellifluus Bernardus. *Plus mihi contulit Deus redimendo, quàm creando*, dicebat Sanctus Ambroſius. Deus humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidit, & mirabiliùs reformavit. *Niſi Deus fieret homo, non liberaretur homo*, clamat Sanctus Auguſtinus. *Unigenitus Dei Filius naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret factus homo*, inquit Sanctus Thomas Aquinas jurè vocatus Doctor Angelicus. Canat ergo Eccleſia: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*, poſtquàm dixit: *Nihil enim nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet*. Hoc Redemptionis noſtræ beneficium in ſuis Canticis Deipara, Zacharias, & Simeon ſenex extollunt. Reliquum eſt, ut gratias agentes, grati ſimus Redemptori nos viſitanti, & redemptionem plebis ſuæ facienti. Si ab Angelis, & hominibus Sanctis diſcere gratitudinem tempore præterito vel renuimus, vel ſaltem obliti ſumus, jam hora eſt de ſomno ſurgere, & eſt tempus, ut grati eſſe non ſolùm ab ipſis; ſed etiam ad verecundiam noſtram à brutis animantibus diſcamus. Accidit aliquando, ut leo ferox ſe per totam vi-

tam mancipaverit obſequio, & juſſioni hominis, qui leonem videns claudicantem, infixa ſpina in ejus pede, eruens ab eo ſpinam, illum à dolore liberavit, ac ſanitati reſtituit. Inventa fuit muſtella, quæ in ore lapidem pretioſiſſimum portavit, & illum coram homine, qui eam à colubro defenderat, poſuit, atque abiens, ibi reliquit. Itaque ambo bruta beneficiis reſpondere fategerunt, & eorum actiones mirabiles ad gratificandum benefactoribus ſuis, nobis præbent exempla gratias Deo perpetuas cum perenni etiam obſequio agendi; quia majoribus bonis ſumus ab eo ditati, ſiquidem viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Agamus etiam gratias Deo noſtro in ſequenti oratione ob acceptum donum viſitationis Euchariſticæ, qui in verſibus explicatis Canticorum Deiparam, Zachariam, & Simeonem ſenem audivimus celebrantes à Deo nobis factam viſitationem benignam.

Oratio poſt Communionem.

Augeatur in nobis, quæſumus Domine, tuæ virtutis operatio: ut Divinis vegetati Sacramentis, ad eorum promiſſa capienda, tuo munere præparemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c.

EXPLICATIO.

Virtus Domini eſt ad ſanandum nos: ponamus ergo corda noſtra in virtute ejus, & quia exaltatur Dominus in virtute ſua, cantemus, & pſallamus virtutes ſuas. Virtutem in Deo faciamus, & laudemus eum in firmamento virtutis ejus. Hodie petimus, ut augeatur in nobis operatio virtutis Dei. Quò magis Deus virtutem ſuam in nobis auxerit, eò nobis benigniùs, & miſericordiùs favebit, atque fortiores ad præliandum conſtituet. Virtus de illo exit, & ſanat omnes ſanari volentes. Ergo velimus ſani fieri. Augeatur igitur in nobis Dei virtutis operatio, ut det ipſe propitius nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Augeatur operatio virtutis Dei, qua inter adverſa, fortes; inter proſpera, humiles; inter abjectiones, voluntati Dei conformes, & reſignati; ac inter exaltationes ſecuri poſſiſimus eſſe. Operetur virtus Dei in nobis, aucta operatione illius, quòd ipſum Deum quotidie ferventiùs diligamus; quòd in fide, & ſpe creſcamus; ac de animæ hoſtibus pleniùs, atque feliciùs triumphemus. Et, cùm aucta fuerit in nobis Divinæ operatio virtutis: qui Divinis hodie ſumus Sacramentis vegetati, Dei munere ad capienda ipſorum Sacramentorum promiſſa erimus meliùs diſpoſiti. Sacramenta Divina, quæ nobis conferunt gratiam, per promiſſiones veraces etiam nobis offerunt gloriam; ſed non erimus parati ad capienda hæc promiſſa, niſi Dei munere, & gratia, aucta in nobis operatione ipſius Dei virtutis, præparati fuerimus, ut tanta Dei dona feliciſſimè capiamus.

CAPUT OCTAVUM

Pro Dominica tertia poſt Epiphaniam.

Proponitur Textus Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli Epiſtolæ ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ tertiæ poſt Epiphaniam. Qui quidem Textus eſt hic.

Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Textus Syriacus eſt: *Dei noſtri gratiam pervertentes in immunditiam.* Arabicus: *Avertentes, vel convertentes in impudicitiam.* Serarius vertit: *Domini noſtri gloriam transferentes in luxuriam.* Syriacus: *In eo, qui ſolus eſt Dominus Deus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* Arabicus: *Abnegantes Regem unicum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Alius Arabicus: *Negant Dominum* no-

Digitized by Google

noſtrum, qui ſolus eſt Deus, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus. OEcumenius legit: *Ac Deum, qui ſolus eſt herus, negant*. Gloſſa interlinealis ſic explicat: *Transferentes, ipſi dico, impii, Divina Scriptura quodam dolo utentes ad deſtruendum cultum Dei, & ſolum Dominatorem tam volentium, quàm nolentium; & Dominum, ſingulariter Chriſtianorum, noſtrum Jeſum Chriſtum cum Patre, & Spiritu Sancto negantes Salvatorem noſtrum, Regem noſtrum*. Gloſſa ordinaria explicat verba prædicta ita: *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam: Duritiam, & diſtrictionem legis, quæ dicit: Oculum pro oculo, dentem pro dente, temperat gratia Euangelii, in qua purgantur ſcelera commiſſa per pœnitentiam, & eleemoſynæ fructus. Sed hanc gratiam transferunt in luxuriam, quia nunc tantò licentiùs peccant, quantò minùs vident ſe aſperitate legis de facinoribus examinari. Solum Dominatorem, &c. Pater cum Filio, & Spiritu Sancto ſolus Dominator, Filius cum Patre, & Spiritu Sancto ſolus Dominator, Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio ſolus Dominator. Quicumque ergo hæreticus Patrem Chriſti verum Deum bonum, & juſtum negat, ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum negat. Qui Jeſum Filium Dei eſſe, negat, & hic Dominatorem ſolum, & Dominum noſtrum negat. Qui Spiritus Sancti potentiæ detrahit, & hic ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum negat*. Hugo Cardinalis ait: *Lex Moyſi dura fuit, lex Euangelii, quæ eſt lex gratiæ, ſuavis, & mitis: illa cum ſævitia impellebat peccantes, hæc obſtetricante manu colubrum tortuoſum educit. Hanc legem in luxuriam transferunt. Et ſolum Dominatorem, id eſt, Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum, quorum quilibet eſt ſolus Dominator: unde in hymno Angelico: Quoniam tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Jeſu Chriſte. Quaſi diceret Sanctus Judas: Hi impii de Divinis Perſonis malè ſentiunt, & Jeſum Chriſtum Filium Dei eſſe, negant, etiam ejus verba perverſè exponunt, & mandata ejus non cuſtodiunt: unde impii ſunt, & infideliter agunt*. Nicolaus de Lyra ſic explicat: *Transferentes in luxuriam: Ut enim traherent homines ad ſuam ſectam, concedebant peccata carnalia, tamquam licita, ad quæ proni ſunt homines: ac etiam ipſi exercebant. Et ſolum Dominatorem, &c. Per hoc autem, quòd Jeſus Chriſtus dicitur hìc ſolus Dominator, & Deus, non excluduntur Pater, & Spiritus Sanctus: quia dictio excluſiva adjuncta uni perſonæ in Divinis reſpectu prædicati eſſentialis, non excludit alias, & ſic eſt in propoſito. Solus enim idem eſt, quòd non cum alio, propter quod excludit ſolum, id, quod importat alietatem: Pater autem, & Spiritus Sanctus non ſunt alius Deus, & Dominator à Filio, ſed unus. Negantes, ait textus, nempe, falſa doctrina, & vita mala*. Eſtius ait: *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam. Senſus eſt. Qui Euangelium gratiæ Dei noſtri per Chriſtum, quo nimirum annuntiata eſt nobis libertas à lege peccati, & diabolo, vertunt in occaſionem omnis laſciviæ, & carnalium voluptatum, tamquàm libertas Euangelica ſit licentia quidquid libitum eſt, agendi. Quales erant Apoſtolorum temporibus exorti Simoniaci, & Nicolaitæ, & paulò poſt exoriuntur Gnoſtici. De quorum omnium infræni laſcivia multa apud Epiphanium. Tales ſunt & hodie qui prætextu libertatis Chriſtianæ, legibus Eccleſiæ ſeſe, quantum in ipſis eſt, eximunt, eaſque contemnunt, quò licentiùs carni ſerviant. Et ſolum Dominatorem, &c. Hæc autem propriè dicuntur in ſcholam Simonis, alioſque ejuſdem generis hæreticos, qui Dei gratiam transferebant in luxuriam. Et conſtat ex Irenæo, Epiphanio, & aliis, qui de hæreſibus ſcripſerunt, Simoniacos, ac ceteros illius primi temporis, multa fabuloſa de Deo confinxiſſe, plures pro uno Deos gubernatores mundi introducentes, quod erat unum Dominatorem Deum negare. Jeſum quoque dicebant, nec verè natum eſſe, nec paſſum, nec reſurrexiſſe: denique nec ipſum eſſe Chriſtum, niſi patronymicè, denominatione dicta à ſupremo Chriſto inviſibili, & incorporeo: quod erat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negare*. Menochius hæc habet: *Impii peccantes contra veram Religionem, quia gratiam, id eſt, legem Euangelicam transferunt in luxuriam, id eſt, Chriſtiana Religione abutuntur ad luxuriam, docentes, legem Chriſtianam eſſe legem libertatis, ac pro-*

pro-

proinde licere illam profitentibus liberè indulgere concupiſcentiæ, gulæ, & veneri. Et ſolum Dominatorem, &c. Senſus eſt: Negantes Divinitatem Chriſti, qui verus eſt, & unicus Dominus noſter: eſt enim Chriſtus Deus: Deus autem unus eſt, quem agnoſcimus Dominum, ac Dominatorem rerum omnium. Tirinus ſic explicat: Gratiam Dei, id eſt, Evangelicam libertatem, fœda interpretatione transferentes in luxuriam, & libertatem carnis, ventris, & veneris: & Jeſum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto ſolus eſt Dominator totius univerſi, & nominatim noſter Chriſtianorum Dominus, perfidè negantes. La Haye ait: Pro gratia legit Serarius, gloriam, quia gratia illius eſt ſemen: qua gratia abutuntur impii, & hæretici. Et ſolum Dominatorem, &c. Alii: Qui ſolus eſt herus. Græci habent: Id eſt, Dominum Deum. Vocatur herus, qui in ſervos habet jus, & dominatur. Ergo idem, quod Dominator Deus, vel herus Deus. Cornelius ita loquitur: Sanctus Judas Apoſtolus gratiam vocat legem Evangelicam, ſivè Chriſtianiſmum: hic enim ingens eſt gratia, imò cumulus gratiarum. Quaſi diceret: Chriſtianiſmo abutuntur ad luxuriam, Chriſtianiſmum convertunt in Priapiſmum: Legem gratiæ, puritatis, & virtutis vertunt in licentiam dedecorum, turpitudinum, omniumque ſcelerum: addentes, facilem in Lege nova eſſe peccati expiationem per Baptiſmum, Abſolutionem, aliaque Sacramenta. Notat Nicolaitas, Simoniacos, Gnoſticos, qui, cùm eſſent impuriſſimi, ſimulabant, ſe puri Evangelii eſſe Doctores, eoque prætextu mulierculas onuſtas peccatis abducebant, inſtituentes nocturna ſacra, in quibus omnem obſcœnitatem promiſcuè perpetrabant. Ita OEcumenius. Adeò verò obſcœni erant Gnoſtici, ut dicti ſint borboritæ, id eſt, cœnoſi, quia etiam ipſas ſacras hiſtorias, & Scripturas ad ſuas libidines explicando traducebant, uti fusè narrant Epiphanius hæreſ. 26. Irenæus lib. 1. cap. 20. Clement. 7. Stromat. Simili modo Lutherus, Calvinus, cæterique moderni hæretici, gratiam, & decus Chriſtianiſmi transferunt in carnis licentiam, & luxuriam. Sanè de Simone Mago primo hæreſiarcha ita ſcribit Tertullianus lib. de anima, cap. 24. Helenam quamdam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit (qua ſcilicèt voluerat emere à Sancto Petro donum Spiritus Sancti) dignam ſibi mercedem pro Spiritu Sancto. Aliqui per gratiam intelligunt Eucharistiam; hæc enim eſt gratiarum gratia. Unde à Cyrillo Jeroſolymitano vocatur cæleſtis gratia; ab aliis, Divina, & Deifica gratia: ab aliis paſſim, myſtica gratia, ſive arcanum gratiæ. Hanc gratiam, puta Eucharistiam, hæretici convertebant in luxuriam: tradit enim Sanctus Auguſtinus hæreſ. 46. Manichæos Eucharistiam conſperſam cum ſemine humano ſumere: quod meritò ipſe ait, non eſſe ſacramentum, ſed execramentum. Idipſum turpiùs faciebant Gnoſtici, dicentes: Hoc eſt corpus Chriſti, & hoc eſt paſcha, ait Sanctus Epiphanius hæreſi 26. Et ſolum Dominatorem, &c. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. Simoniani enim negabant, Chriſtum eſſe Deum, eſſe natum, paſſum, ſuſcitatum. Addit OEcumenius: Quo pacto, ait, Chriſtum non negant, qui impura, & immunda vita, quaſi clamoſo præconio, totius temperantiæ Magiſtrum abdicant, & alienant? nulla ſiquidem tenebris cum luce ſocietas eſt. Porrò cùm ait, Chriſtum eſſe ſolum Dominatorem, & Dominum, non excludit Sanctus Judas Patrem, & Spiritum Sanctum, ſed alium quemlibet, qui ſit alterius eſſentiæ. Solum ergo, ſcilicèt, cum Patre, & Spiritu Sancto, utpote, quibus Chriſtus eſt conſubſtantialis, ac proinde idem cum eis habet dominium, & dominationem. Quocircà, ut rectè ait Beda, quamcumque in eadem Sancta, & individua Trinitate perſonam nomines, ſolus Deus eſt, & cùm totam ſimul Trinitatem nominas, ſolum Deum verum nominas. Genuinus ergo Sancti Judæ ſenſus, & mens eſt, contra Simonianos, Ebionitas, & Arianos poſteà futuros, docere, Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum. Similiter Nicolaitæ, contra quos ſcribit Sanctus Judas, negabant, Chriſtum eſſe Deum, ajebant enim, Deum in Chriſto tantùm habitaſſe, uti refert Sanctus Ignatius Epiſtol. 9. & Irenæus lib. 3. cap. 11. Denique idipſum ſuadet verſio Arabica, quæ ſic habet: Et in eo, qui eſt ſolus Dominus Deus,

Deus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. Porrò Chriſtus eſt noſter Dominator, Græcè Dominus, & herus Deus, quia nos è ſervitute diaboli ſuo ſanguine redemit, & emit. Unde idem eſt Dominus noſter, uti titulo creationis, ita & redemptionis. Quocircà Auguſtus Cæſar Dominum ſe appellari paſſus non eſt, imò non auſus, quo tempore verus Dominus totius generis humani inter homines natus eſt, ait Oroſius lib.6.cap.21. Adde: Deus vocatur Dominator Dominus ad exaggerationem ejus dominii, quaſi dicatur: ampliſſimè, & pleniſſimè, ubique, & per omnia dominans. Unde Eccleſia in Introitu Miſſæ in Feſto Epiphaniæ ita orditur: Ecce advenit Dominator Dominus, & regnum in manu ejus, & poteſtas, & imperium, &c. & in Hymno Angelico: Tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Jeſu Chriſte cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Porrò Chriſtus eſt Dominator Dominus, tum quà Deus, tum quà homo: quà homo enim per unionem hypoſtaticam habet ſummum in res omnes creatas, etiam Angelos, Cherubinos, & Seraphinos, jus, & dominium. Quàm ergo Chriſtum Dominum colere, revereri, eique omnibus viribus obſequi, & ſervire debemus, cui omnes Angeli ad pedes ejus provoluti humillimè ſe ſubſternunt, obſequuntur, & ſerviunt!

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis, in verba prædicta.

TAntò Deus ab hominibus dignius honorandus eſt, quantò pro hominibus & indigna ſuſcepit, ait Sanctus Gregorius Papa: & ut ait Sanctus Auguſtinus, Dominus Deus noſter melius judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla eſſe permittere. Ille eſt Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur. Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Ecce inſtituit in bonum omnium hominum, quantùm erat ex parte ipſius, legem puriſſimam Euangelicam, Legem Gratiæ, & perfectionis, omniſque virtutum generis, ut hanc legem habeamus in medio cordis noſtri; deſiderans, quòd ſervemus mandata ejus, & teſtimonia illius, & in corde noſtro abſcondamus eloquia ejuſdem Dei, ut non peccemus illi, cùm ſit lex Domini immaculata convertens animas, præceptum Domini lucidum illuminans oculos: & hanc Legem promulgavit factus homo, ut ſacratiſſimam; quamvis ſciret, impios, & reprobos hanc Dei noſtri gratiam tranſlaturos in luxuriam: nam oportet, & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt manifeſti fiant. Dedit etiam Chriſtus ad bonum populi Chriſtiani Sacratiſſimam Euchariſtiam, & juxta Sanctum Doctorem Angelicum, ut arctiùs ejuſdem Chriſti charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur, hoc Sacramentum inſtituit, miraculorum ab ipſo factorum maximum. Qui illud inſtituit, ſciebat quiſnam eſſet qui traderet eum: prævidebat ſua ſcientia infinita, quot hominum injuriis ſe ſubdebat, hoc Diviniſſimum Sacramentum condens: & præſciebat inter alia, futuros eſſe peſſimos homines, qui etiam hanc Euchariſtiæ gratiam, vel gratioſum, ac Sacratiſſimum Convivium,eſſent tranſlaturi in luxuriam. Sol materialis, qui præeſt diei, appellatur vas admirabile, & opus excelſi: & noluit Dominus Sol Chriſtus (qui eſt Sol juſtitiæ ortus timentibus nomen Domini, & ſanitas eſt in pennis ejus) vinci à ſphæræ cœleſtis Sole. Sol cœli tranſire, fert, ac tolerat, ſuos radios, propter generandum in terræ viſceribus aurum, per loca etiam immunda, per cœnum, & per ſtercora, nihil quidem immunditię in ſe admittens, ſed quaſi ob terræ bonum, ad eam in aurum juxta ipſius diſpoſitiones interiores convertendam, illas tot indignitates ſuſtinens,in ſuis etiam puriſſimis radiis. Non eſt ſervus major Domino ſuo:& Dominus eſt Chriſtus,qui fabricatus eſt auroram, & ſolem, & dedit ſolem in poteſtatem diei, quoniam in æternum miſericordia ejus. Hunc ſolem, quem creavit, vincit Jeſus Deus homo in Euchariſtia,ſolem, inquam, quem contemplamur taliter aurum producentem, & propter illud gignendum talia quaſi patientem, ſufferentem, ſive tolerantem. Et ideò Sol mirificus Chriſtus Dominus ſuſtinens, & permittens, ſe indignè ab immundis hominibus tractari, eò di-

dignior eſt laude, & amore, quò benignius talia ferens, & multoties per fœdas manus tranſiens, in terrenis filiorum Adæ viſceribus producit aurum amoris, ſi invenit terram cordium præparatam, & ad recipiendam talem pretioſitatem diſpoſitam: imò ad hoc aurum gignendum permittit hic Sol in ſe ipſo, & in ſuo Solari Sacratiſſimo Corpore tot ab iniquis Sacramentum Euchariſticum malè tractantibus injurias, tot offenſiones, tales, ac tantas indignitates. Quot ſunt homines, non jam dico infideles, & hæretici, ſed Chriſtiani Catholici, quamvìs his nominibus, appellationibus, ſive nomenclaturis indigni, qui in ſterquilinium ſui immundiſſimi pectoris, exiſtentes in peccato mortali, mittunt pellucidum adamantem, ſacrilegè toties panem manducantes cœleſtem? Indignum eſt porcis tradere margaritas: & ſunt ipſi, quaſi ſus lota in volutabro luti, juxta dictum Sancti Petri Principis Apoſtolorum. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus: & hi peccatores ſunt canes reverſi ad vomitum, qui audentes in tali ſtatu manducare panem Angelorum, judicium ſibi manducant, & bibunt. Hi qui confitentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant, aliquomodò ſunt ſicut hæretici, Euchariſtiam Sacram, quæ eſt Dei gratia, transferentes in luxuriam (dum eam, malè accipientes Divinam alimoniam, mittunt in corpus luxuria fœdatum, & in animam luxuria ipſa repletam, & plerûmque aliis innumeris criminibus maculatam:) & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes, quia illum confitentur, & cognoſcunt per fidem, negant tamen illum per pravam operationem. O' quàm felices nos eſſemus, ſi hunc Deum verum, Redemptorem, & Dominum noſtrum ab iſtis vindicaremus offenſionibus, quantùm cum ipſius gratia, & adjutorio poſſemus, per intimos pectorum noſtrorum, ſimulque labiorum affectus, ac veros virtutum Theologicarum, & religionis, ſive adorationis actus! O' quis millies vitam perderet, ut Legem Domini, & Sacram Euchariſtiam, quas taliter, & in eis Jeſum, peccatores injuriis afficiunt, defenderet, & illis mille vitarum expenſis dulcibus, & ſuavibus verè amanti, liberaret! O' quis millia millium mortium oppeteret, ferret, atque innumera tormenta, & martyria pateretur, ad vitanda tot peccata quotidie ab iniquis contra fidem, & charitatem commiſſa! Qui aliud agere non poſſumus, curemus plangere peccata aliena, ſed principaliter propria; & ad emendandam vitam noſtram Deum invocemus, ut conſequamur illa, quæ cum Eccleſia petimus in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ tertiæ poſt Epiphaniam, quæ eſt prima illius Miſſæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ majeſtatis extende. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Compatitur Pater, qui videt teneram debilitatem lactentis filii; Medicus aſpiciens infirmitatem ægroti; Rex proſpiciens egeſtatem inopis ſubditi; Dux contuens vulnera militis; & Paſtor conſiderans imbecillitatem ovis. Plùs, quàm Pater, Medicus, Rex, Dux, & Paſtor, noſter Omnipotens ſempiternus Deus noſtri misereri, & compaſſionem erga nos habere volet, ſi ſimul cum noſtra debilitate, egeſtate, vulneratione, & imbecillitate, propitius noſtram dignatus fuerit infirmitatem reſpicere. Ideò illum invocamus, & dicimus: *Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice*. Eſt Deus Dominus hic piiſſimus, & amantiſſimus noſter Pater, qui videns prodigum miſericordia movetur, & quomodò miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus: homo ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorebit: eſt Medicus, qui operatus eſt ſalutem in medio terræ, qui etiam non

eſt

eſt opus valentibus, ſed malè habentibus, & miſeretur nobis, quoniam infirmi ſumus, & ſanabit nos: eſt Rex, qui omne debitum dimiſit ſervo, quoniam rogavit eum: eſt Dux, qui regit populum Iſrael: & eſt Paſtor bonus, & Paſtor ovium, qui proprias oves vocat nominatim, & educit eas: qui in loco paſcuæ ibi nos collocavit: & qui regit Iſrael intendit, qui deducit velut ovem Joſeph: itaque ſi ambulaverimus in medio umbræ mortis, non timebimus mala, quoniam ipſe nobiſcum eſt. Jurè ergo hodie Omnipotentem ſempiternum Deum invocamus, ut reſpiciat noſtram infirmitatem propitius. Talis eſt miſericordiæ, quòd videns infirmitatem noſtram, movebitur ad eam tollendam, & nobis optimam ſalutem donandam. Reſpiciat igitur propitius, ut nos liberet; intendat in adjutorium noſtrum, & ad adjuvandum nos feſtinet, ut nos ſanet; aſpiciat nos, ut nobis remedia applicet; intueatur, ut nos conſoletur: proſpiciat, ut nobis faveat; & conſideret, ut nobis ſuccurrat. Benignitatem Dei ipſius noſcentes, non tantùm, ut reſpiciat infirmitatem noſtram propitius, ab eo petimus; verùm etiam, ut ad protegendum nos dexteram ſuæ majeſtatis extendat, humillimè flagitamus. Hæc eſt dextera Domini, quæ fecit virtutem, dextera Domini exaltavit nos: & Deus nos filios ſuos enutrivit, & exaltavit, nos verò ſprevimus eum. Proinde pœnitentiam agentes, non moriamur iterùm morte culpæ, ſed vivamus vita gratiæ, & narremus opera Domini, qui caſtigans caſtigavit nos, & morti non tradidit nos, imò eruit animas noſtras de inferno inferiori, & niſi quia Dominus adjuvit nos, paulò minùs habitaſſent in inferno animæ noſtræ: nos ergo benedicamus Deum, & narremus omnia mirabilia ejus: narremus nomen Domini aſſiduè, & ennarremus illud in confeſſione: narremus nomen ejus fratribus noſtris, in medio Eccleſiæ laudemus eum. Sic fiet, ut ipſe ad protegendum nos dexteram ſuæ majeſtatis extendat, & non ſolùm eam extendat ad nos protegendum, ſed etiam ad amplexandum: læva ejus erit ſub capite noſtro, & dextera illius amplexabitur nos.

ORATIO SECRETA.

Hæc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta: & ad Sacrificium celebrandum, ſubditorum tibi corpora, menteſque ſanctificet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

ORamus hodie, ut hæc hoſtia emundet noſtra delicta. Hæc, etiam venialia, & parva, nos maculant, & vel minutiſſima, animas noſtras inquinant. Purior luce, ac ſolari radio expedit, ut appareat ille, qui Domino ſiſtitur, & ſacro Altari appropinquat. Oportet, ut qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc: nam in ſancto Sacrificio Miſſæ, quod offertur in Sancta Catholica Eccleſia, venit Jeſus citò, & merces ſua cum illo eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua. Ideò optamus, quòd nobis veniat ab hac Altaris hoſtia major juſtificatio, & animarum munditia. Hoſtiam libamus, & per ejus libationem puriores exiſtere cupimus. Hoc à Deo expoſcimus, cujus virtute poteſt hæc hoſtia, noſtra delicta emundare. Magna utilitate fruemur, ſi ab hac hoſtia benè mundati fuerimus, quia nil utilius, quàm levibus etiam piaculis, atque ſordibus carere, ut perfecta noſtrarum animarum fungi valeamus pulchritudine. Ulteriùs à Deo requirimus, ut hoſtia emundans noſtra delicta, ad Sacrificium celebrandum, ſubditorum Dei ſanctificet corpora, & mentes, quatenùs in corpore, & anima Deo ſimus conſecrati, & ejus ſervitio dediti. Juxta Divum Ambroſium, ſanctum dicitur quod eſt Domino conſecratum. Sanctificatis corporibus, & mentibus, ritè Sacrificium celebrabimus, & dignè opus Domini in hoc Sacrificio agemus. Ampliora nobis à Deo per Sacrificii celebrationem provenient beneficia, ſi ad ipſum Sacrificium celebrandum ſanctificatæ fuerint mentes noſtræ, & ſanctificata etiam corpora ab hoſtia, quæ noſtra jam emundaverit delicta. Subditi Dei ſumus: & ideò

Digitized by Google

ideò ſanctificationem cupere curamus noſtris corporibus, atque etiam noſtris mentibus. Decet ſubditos adimpletioni voluntatis Domini ſui vacare, & ei in omnibus obedire. Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio noſtra: ut ſciat unuſquiſque noſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. Utinam veniat à Deo nobis noſtrorum delictorum emundatio, & quoad corpora, & mentes (ſiquidem ſubditi Deo ipſi ſumus) ſanctificatio; ut Sacrificium celebrantes, noſtri Domini dicemur ſervitio, & in perpetuo, ac felici illius permaneamus famulatu.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, *& Nunc dimittis*.

ET exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Pro *Magnificat*.

HUgo Victorinus explicat ita: *Dictum eſt: Anima mea magnificat, & ſpiritus exultat: quaſi diceretur: Ego ex anima mea, & ſpiritu meo, id eſt, ex toto corde, & ex tota voluntate Deum laudo: & de ejus ſalvatione, quam generi humano præparari nunc video, totis præcordiis exulto. Nunc enim video de me aſſumi quod credo pro me debere offerri.* Sanctus Bonaventura cap. 3. Meditationum, Beatæ Virginis Genitricis Dei Mariæ inventum eſſe, ait, gratiſſimum illud verbum, & à religioſis viris uſitatiſſimum, *Deo gratias. Ne fortè* (ait Sanctus Bonaventura) *in ſalutatione ſua Virgo à Dei laudibus tolleretur, ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, Deo gratias reſpondebat, &c.* Et Sanctus Antoninus 4. par. Summæ Theologiæ, tit. 6. §. 2. *Virgo* (ait) *cùm vocabatur, reſpondere ſolita erat: Deo gratias, ut illud modicum verbum non eſſet ſine laude Dei, &c.*

Pro: *Benedictus*.

SAnctus Remigius in Epiſt. ad Rom. cap. 1. ait: *Non enim invenit illam eſſe plebem ſuam, ſed viſitando, & redimendo fecit plebem ſuam.* Loquitur de Gentilibus, qui Chriſti fidem ſuſceperunt. *Juxtà* quæ Maldonatus, *Dicitur* (ait) *redemiſſe plebem ſuam, quia Iſrael quodammodò ex debito redemit, quia ſuum illi promiſerat adventum; alias verò Gentes ex ſola liberalitate.* Sylveira hæc habet: *Zacharias viſitationem dicit eſſe factam ab eo erga populum ſuum, ſive materiales Iſraelitas quis velit accipere, venit enim ad oves, quæ perierant domus Iſrael, ſive ſpirituales, id eſt, fideles, qui digni fuerunt hac viſitatione.* Barradas dicit: *Hæc viſitatio miſericordiæ fuit, & amoris; altera judicii tempore viſitatio erit juſtitiæ, & horroris. Is qui creationem fecerat, fecit & redemptionem; ſed non pari modo: creationem dicendo fecit, redemptionem patiendo. Amorem noſtrum utrumque beneficium ſuo jure flagitat; ſed plùs movet, & accendit beneficium redemptionis, quàm creationis.*

Pro: *Nunc dimittis*.

SYlveira ait: *Simeon Spiritu Sancto plenus erat, ipſoque revelante Chriſtum Dominum cognovit, non ſolùm quando tenuit in ulnis, verùm etiam anteà; ob ingentem ergo animi affectum, gaudiumque, in hæc admirabilia verba prorupit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* Barradas hæc habet: *Timotheus Presbyter Jeroſolimitanus in Oratione de Simeone, putat, vidiſſe illum Deiparam divino circumdatam lumine inter fœminas reliquas, atque ex hoc indicio Meſſiæ Matrem eſſe, intellexiſſe. Carthuſianus etiam: Forſitan, inquit, vidit divinum quemdam ſplendorem in vultu pueri.* Vincentius Regius dicit: *Simeon, qui tamquam locupletiſſimus, maximèque divinus teſtis, puerum Jeſum Regem eſſe fatetur, etiam Beatam Mariam, ut Matrem illius ſuſpicit ac veneratur. Reginam ergo eſſe teſtatur. Per leges idem à nobis declarari poteſt: eſt enim lege cautum, quòd, ſi*

mu-

mulier aliqua oſtendit, ſe filium Regem habuiſſe, licèt non ampliùs, quàm vigintiquatuor horarum ſpatio, & habeatur, & vera ſit Regina, ac regni hæres. Jam verò quadraginta dies natum filium dum nobiliſſima ſimul, & Sanctiſſima Virgo cunctis aperit, qui aderant, exceptumque Virgineo gremio geſtat, omnibus ſimul juſtis admirantibus, & præ gaudio geſtientibus, nulli dubium, ſatis ſe Dei, & cæleſtis Regis Matrem, atque adeò Reginam declaraſſe. Hic ſit, Advocatam etiam, & Patronam ſe noſtram eſſe, ipſo Purificationis die probaſſe: quid enim tam benignus, ac potens Filius tam ſanctæ, ac dilectæ Matri negabit? Igitur dum Mariam vides, puriſſimis manibus Filium Patri offerentem, perpende, illum etiam pro nobis obtuliſſe, ac ſe proinde Patronam, & Advocatam declaraſſe. Immò verò & per manus quodammodò nos à Filio, qui offerebatur, tractos, Deo reconciliavit.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita.

EXultavit magnificans Dominum Deipara, quoniam Verbum Divinum illam viſitavit, aſſumens carnem de ea. Benedixit Dominum Deum Iſrael Sacerdos Sanctus Zacharias, quoniam contemplatus eſt, eum Dominum plebem ſuam viſitaſſe, & illius redemptionem feciſſe. Deum benedixit juſtus, & timoratus Simeon, quoniam Chriſtus ipſum viſitavit, quando Salvatorem Mundi felix in ſuas ulnas accepit. Ergo qui Domini viſitationem per Sacram Communionem ad noſtrum beneficium cognoſcimus; exultantes magnificare, laudare, ac benedicere Dominum taliter nos viſitantem debemus. A ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile Nomen Domini. Quare? Quia humilia reſpicit in cœlo, & in terra, ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui: cùm verum ſit, quòd portas cœli aperuit Dominus, & pluit nobis manna, ut ederemus in Diviniſſimo Sacramento: panem cœli dat nobis, & panem Angelorum manducamus homines. Item ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen Domini in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini ſuo oblatio munda: quoniam magnum eſt nomen ejus in Gentibus. Ideò maledictus dolofus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus Dominus exercituum,& nomen illius horribile in Gentibus. Timeat igitur ille qui obligatus ob viſitationem Domini in Euchariſtia ad eum venientis, debet viriliter, & perſeveranter in gratiarum actione forti, & fervida occupari; ſi debiliter, ſegniter, & negligenter opus Domini facit. Turbabuntur gentes, & timebunt: qui habitant terminos à ſignis ejus Dei, & Domini; ſignis, ſcilicèt, & miraculis Dei ad ſuas injurias in Euchariſtia acceptas vindicandas, ſi ei non egerimus gratias ob acceptam Communionem Sacratiſſimam, quando idem Dominus exitus matutini, & veſperæ delectat, hoc eſt, orientem, & occidentem, quia orientales, & occidentales, id eſt, omnes homines ad ſalutem vocati ſumus per Chriſtum, qui in Sacramento Euchariſtico viſitat terram, & inebriat eam, multiplicat locupletare eam: flumen Dei repletum eſt aquis, paravit cibum Chriſtianorum, quoniam ita eſt præparatio ejus. Ergo, quando taliter nos communicantes delectat, & exultare facit Dominus: quando ita noſtras animas, & terram noſtri cordis fluentis gratiæ (ut nos irrigans inebriet, locupletet, & ditet) viſitare dignatur: ipſa miracula Dei in Euchariſtia facient nos aliquando turbari, & terreri, ſi gratias pro tantæ viſitationis beneficio, & tali gratiarum inundante nos elargitione, Domino ipſi non curaverimus agere. Has nos gratias ipſi reddere vult ille, qui rivos terræ noſtræ inebriat, & multiplicat genimina ejus, ut in ſtillicidiis ejus lætemur germinantes, hoc eſt, fructus dignos pœnitentiæ, fructus quoque fidei, ſpei, charitatis, ſimulque religionis (ac debitæ adorationis in ſpiritu, & veritate, in anima, & corpore) facientes. Si egerimus gratias, ſi in gratiarum ſemper actione manſerimus, & ſi à Dei laude numquam ceſſaverimus, Dominus bene-

dicet coronæ anni benignitatis ſuæ, & ſpiritualiter campi noſtri replebuntur ubertate: pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur: clamabimus, etenim hymnum dicemus. Dicamus hymnum: & etiam hanc orationem ſequentem hodie poſt Communionem recitantes, Deo noſtro reddamur grati, & fideliter ſimus obſequentes.

Oratio poſt Communionem.

Quos tantis, Domine, largiris uti myſteriis, quæſumus, ut effectibus eorum nos veraciter aptare digneris. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

A Quo, niſi à Domino Deo Optimo Maximo, poterat nobis provenire Myſteriorum Altaris uſus ſimul, & fruitio? Largitur quidem Deus noſter fruitionem, & gaudium per tantorum Myſteriorum frequentiſſimum uſum: ita decernens, nos poſſe eiſdem myſteriis uti, ſtatuit etiam, nos valere de uſu adeò proficuo lætari: ac ideò lætantes utimur, qui etiam utentes lætamur. Magna profectò eſt Dei erga nos miſericordia; ſiquidem nos omni bono ditans, ab omni eruit miſeria. Bonum ſimul honeſtum, utile, & delectabile nobis confert in tantorum myſteriorum uſu, qui tantis nobis largitur uti myſteriis; quia hæc myſteria nos purificantia, honeſtant; gratia replentia, ditant; & dulcedine cibantia, delectant. Dum illorum uſus nobis perfert omne bonum, relegat longè à nobis omne malum: quia recedunt per hæc myſteria à nobis levia peccata, quæ nos privabant perfecta honeſtate, plena utilitate, ſuavique delectatione. Petimus igitur hodie à Domino nobis uſum omninò proficuum tantorum myſteriorum largiente, quatenùs ipſe nos dignetur effectibus eorum veraciter aptare, præparare, atque diſponere. Nec fallaciter à Deo iis effectibus aptari poſſumus: nec etiam aptitudine fallaci contenti eſſe valemus: & ideo petimus, ut Deus nos veraciter aptet effectibus myſteriorum Sacri Altaris verè magnorum, & mirabilium. Aptati veraciter ipſorum effectibus, non in caſſum agemus, non fruſtrà laborabimus, non curremus in incertum; ſed læti obtinebimus gratiæ, atque gloriæ bravium.

CAPUT NONUM

Pro Dominica quarta poſt Epiphaniam.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Apoſtoli Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quartæ poſt Epiphaniam. Qui quidem Textus eſt hic:

Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus, maximè litteralis.

ARabicus Textus legit: *Volens vobis mentionem facere, etiam jam noveritis hunc ſenſum.* Alius Arabicus: *Diligo, ut revocem in memoriam vobis.* Alii ex textu Græco: *In memoriam vobis reducere cupio.* Gloſſa interlinealis ait; *Et, quia illi negant, & volunt vos inducere, ut negetis: contra illos volo vos commonere.* Gloſſa ordinaria dicit: *Scientes ſemel omnia arcana fidei, & non habetis opus recentia quaſi ſanctiora à novis audire magiſtris. Id eſt, perfectè ſcitis omnia, quæ ſcienda ſunt de fide: & ideò non eſt opus, ut audiatis illos.* Hugo Cardinalis hæc habet

Dicit

Digitized by Google

Dicit ergo Sanctus Judas: commonere (quaſi diceret: Quia illi Deum negant, ego è converſo vos volo commonere.) Semel, id eſt, perfectè. Verùmtamen ſic intelligendum: omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; ut ſit accommoda diſtributio. Unde, omnia: quaſi de omnibus iſta, quæ ſequuntur. Lyranus ait: *Commonere. Hìc conſequenter proſequitur propoſitum, ſcilicèt, confirmando fideles contra verſutiam hæreticorum. Dicit ergo: Commonere, & non docere de novo: & ſubditur ratio. Scientes, vos, ſcilicèt. Semel, id eſt, perfectè: ita, quòd non oportet vos iterùm docere, ſed de ſcitis in habitu commonere. Omnia, ſcilicet, ad ſalutem neceſſaria.* Eſtius dicit: *Et ſenſus eſt: volo autem vos commonefacere, & in memoriam vobis revocare illud, quod ſequitur; quamvìs hoc ipſum non ignoretis, ſed ſemel, id eſt, jam dudum legendo Scripturas, ſatis exactè didiceritis, atque noveritis.* Menochius inquit: *Quaſi dicat Sanctus Judas: Non volo vos docere, quia jam illa didiciſtis, & ſcitis, ſed tantùm ea ſuggerere, & in memoriam, quaſi commonitor, revocare. Scientes ſemel omnia, id eſt, omninò, & prorſus omnia ſcientes.* Tirinus ſic explicat: *Volo autem non docere vos, utpote ſcientes ita ſemel omnia, ut non ſit neceſſum iteratò edocere, ſed ſolùm commonere.* Cornelius ſic loquitur: *Dicit hoc Sanctus Judas modeſtiæ cauſa, nè videatur eos inſcitiæ arguere, ſed potius laudare à ſcientia. Quaſi diceret: Perſuadeo mihi, vos hæc, quæ ſcribo, ſcire: unde ea non doceo, ſed refrico, & confirmo, ut quæ credere benè cæpiſtis, meliùs perſeverando perficiatis. Etſì enim nonnulli ea ignorarent, multi tamen ea ſciebant. Unde colligas, primos Chriſtianos in fide valdè benè fuiſſe inſtructos, & eruditos. Vigebat enim tunc Neophytorum Catecheſis, adeoque ipſi Apoſtoli erant perpetui catechiſtæ. Hos imitentur jam Paſtores: quia magna inter fideles eſt ignorantia rerum fidei, & ſalutis, multique ea de cauſa pereunt, & damnantur, quorum animas à Paſtoribus repoſcet Deus. Vox ſemel, vel refert primam eorum in fide, & ſcriptura inſtructionem: quaſi diceret: Jam pridem in prima veſtra inſtructione, & catecheſi, ſimul, & ſemel audiſtis, & didiciſtis hiſtoriam Joſue, & Hebræorum. Verùm in prima catecheſi traduntur articuli fidei, non autem hiſtoriæ Sanctæ Scripturæ: niſi dicas, Sanctum Judam loqui maximè Judæis ad Chriſtum converſis: hi enim in Judaiſmo multa audierant de Moſe, & Joſue. Rurſum ſemel, id eſt, ad ſummam, vel in ſumma: quaſi diceret: Scientes ſemel, id eſt, ſummatim omnia. Hujus phraſis ratio eſt ipſum illud ſemel, quod ſignificat una vice pro omnibus, ita ut poſteà non oporteat quid addi. Denique ſemel, id eſt, irrevocabiliter: quaſi diceret: Scientes omnia ſemel, id eſt, plenè, firmiter, & irrevocabiliter, ut eorum oblivìſci non poſſitis. Porrò tò omnia intellige commodè. Notat Oecumenius, Sanctum Judam citare hiſtoriam veteris Teſtamenti, tum, ut declaret, eumdem eſſe Deum, & veteris, & novi Teſtamenti inſtitutorem, & non ſicut iſti ſceleſti ajunt, alterum eſſe Deum veteris Teſtamenti ultorem, & crudelem, alterum novi manſuetum, & benignum, aſſerentes. Et ſimul ait, quòd neque hi, qui peccant inulti permanere poterunt, ſicut neque illi, qui ex Ægypto educti fuerant. Hoc ipſum indicat Didymus, qui hoc exemplo confirmari exiſtimat quod modò dixerat Judas, Chriſtum Deum, ac Dominum eſſe rerum omnium creatarum. Dictum namque eſt (inquit) ante hæc de eo, quòd ſit verus Deus iſte ſolus Dominator, & Dominus Jeſus Chriſtus, qui eduxit populum ex Ægypto per Moyſem: quibus ita dictis, conſequens eſt, ut non ſit alter Deus Moyſeos: neque enim eſt alius præter Trinitatem.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

SI ad ſalutem neceſſarium eſt commonere etiam omnia ſcientes, quantò major neceſſitas erit inſtruendi omnia, aut ferè omnia, ignorantes? Ecce Sanctus Judas Apoſtolus omnem ſolicitudinem faciens de communi fidelium Chriſti ſalute, dicit, quòd neceſſe habet ſcribere illis, & commonere ſe velle, teſtatur, eoſdem omnia ſcientes fideles. Diſcant Paſtores Sacri animarum, qui omnibus debitores ſunt, ſapientibus, & inſipientibus, debito ſuo ſatisfacere; ſcientibus commonitionem ſcito-

ſcitorum impertientes, & inſipientibus neceſſariam inſtructiorem rerum ab ipſis ignoratarum, & quas debent ſapere, miniſtrantes. Omnibus omnia fiant, ut omnes faciant ſalvos, Dei Miniſtri: quia hìc jam quæritur inter diſpenſatores, ut fideles quis inveniatur. *Ecce totus mundus Sacerdotibus plenus eſt, & rarus jam invenitur operator*, ait Sanctus Bernardus. Ergo ſit, ſicut populus, ſic Sacerdos. Si eſt populus ſapiens, & benè inſtructus: ſit Sacerdos, ut cum ſapientibus expedit eſſe; quia ſufficit hos commonere, & ea, quæ jam ſciunt; in ipſorum memoriam reducere: ſed, ſi eſt populus inſipiens, & ignorans quæ credere, quæ agere, quæ petere, atque quæ recipere debet: ſit Sacerdos cum illis, ut cum ignorantibus, totus in illis circa prædicta ſolicitè inſtruendis occupatus. Aliter non ſolvent debita Sacerdotes deſtinati ad lucrandos Chriſto fideles ſibi commiſſos; qui ob hoc debitores ſunt ſapientibus, & inſipientibus: ſapientibus quidem, ut eos de ſcitis commonefaciant, & inſipientibus, ut illos de neceſſariis ad ſalutem, & ab ipſis ignoratis, diligentiſſimè inſtruant. Utroſque, ſapientes, nempe, & inſipientes, nomine Dei cibent pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potent illos; præbentes, ſcilicet, eis cibum, & potum Chriſtianæ doctrinæ ad ſalutem utilis, & neceſſariæ: quia ſic animas à vigilantibus Sacerdotibus pane, & aqua rectæ doctrinæ benè imbutas deducet Dominus per vias rectas, & dabit illis ſcientiam Sanctorum: & cùm ſit lucerna pedibus hominis Verbum Dei, & lumen ſemitis illius, vias ſuas Dominus demonſtrabit ei, & deducet eum in ſemitam mandatorum ſuorum: & quia declaratio ſermonum Dei illuminat, & intellectum dat parvulis, per hanc inſtructionem cogitabunt iſti vias ſuas, & convertent pedes ſuos in teſtimonia Dei, qui viam iniquitatis amovebit à parvulis (id eſt, humilibus fidelibus benè circa neceſſaria ad fidem, ac rectam operationem eruditis) & de lege ſua miſerebitur eorum Dominus; ut credentes Deo attendant mandatis, & confidentes in illo non minorentur, ſed ab eo audiant: *Hæc eſt via, ingredimini per eam*. Sic apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet, cùm verum ſit, quod Deus vult, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc facere ſuos Miniſtros præcipit Dominus. Sed quiſnam eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? quando tot parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. O utinam cognoſcant in fractione panis diſcipuli illos Miniſtros, qui appropinquantes ierint cum illis, potentes in opere, & ſermone, corda ardere in Dei amore facientes, dum locuti fuerint in via, aperientes Scripturas, uſquequò appropinquent caſtello, quò eunt tam Magiſtri, quàm diſcipuli, hoc eſt, regno cœlorum; quod quidem eſt civitas, quam futuram inquirimus, non habentes hic manentem civitatem, & eſt, quaſi caſtellum, quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Verbo Domini cœli firmati ſunt, hoc eſt animæ per Verbum Dei à Miniſtris Eccleſiæ propoſitum, & explicatum, in fide, & ſervitio Dei firmantur, & ſtabiliuntur. Miſit Dominus Verbum ſuum, & ſanavit animas: qui etiam Dominus per ſuos Miniſtros claritate doctrinæ mittit chryſtallum ſuam ſicut buccellas, annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael: non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis. Sunt multi in familia Domini, quaſi modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcentes, ut in eo creſcant in ſalutem. His tamquam, parvulis in Chriſto lac doctrinæ dare debent Sacerdotes, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam, ut ſic fideles edoceant; quorum multis lacte opus eſt, non ſolido cibo: nè deficiat parvulus, & lactens in plateis oppidi: nè deficiant quaſi vulnerati in plateis civitatis, cùm exhalaverint animas ſuas in ſinu matrum ſuarum: ac demùm, nè pellis eorum fidelium, quaſi clibanus exuſta ſit à facie tempeſtatum famis. Sed heu! videtur jam impletum propter incuriam docendi fideles (quam habent aliqui Dei Miniſtri) ad punitionem populorum, illud quod dicit Propheta Amos nomine

Dei,

Dei, dum ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis: neque ſitim aquæ, ſed audiendi Verbum Domini. Et commovebuntur à Mari uſque ad Mare, & ab Aquilone uſque ad Orientem: circuibunt quærentes Verbum Domini, & non invenient. In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti. Percute cardinem, & commoveantur ſuperliminaria, avaritia enim in capite omnium, & noviſſimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, & non ſalvabitur ex eis qui fugerit. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos: & ſi celaverint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos: & ponam oculos meos in malum, & non in bonum.* Audiant hæc omnes illi Miniſtri Dei, qui quæ ſua ſunt quærunt, & non quæ Jeſu Chriſti. Audiant etiam Dominum per Ezechielem dicentem: *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonnè greges à paſtoribus paſcuntur? Gregem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oves meæ, eò quòd non eſſet paſtor: & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea paſtores audite Verbum Domini. Vivo ego dicit Dominus Deus: quia pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, eò quòd non eſſet paſtor (neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum:) ſed paſcebant ſemetipſos, & greges meos non paſcebant: propterea paſtores audite Verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultrà non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non erit ultrà eis in eſcam. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas. Et liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis, & caliginis.* Hucuſque Deus locutus eſt per Ezechielem: ex quibus verbis infertur cura, quam Deus habet animarum; & ſimul culpa cum ſupplicio aliquorum tepidorum, ſegnium, negligentium, imò & crudelium Miniſtrorum Dei: quod quidem hominum peſſimorum genus gens ſine conſilio eſt, & ſine prudentia: utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat. Sunt ſacri Paſtores ſal terræ: qui juxta Sanctum Hilarium, meritò ſal terræ nuncupati ſunt, per doctrinæ virtutem ſaliendi modo æternitati corpora reſervantes: & juxta ipſum Sanctum Doctorem, ſi Dei Miniſter familiæ præpoſitus, commoda, atque utilitates commiſſi ſibi populi curans, doctrinæ opportunitate, & veritate diſrupta conſolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ diſpendat, atque hæc agens, hiſque immorans deprehendatur: gloriam à Domino tamquam diſpenſator fidelis, & villicus utilis conſequetur, & ſuper omnia bona conſtituetur, id eſt, in Dei gloria collocabitur. Sed quomodò poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? & ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Utinam Miniſtri Dei non inſipidum æterno Regi præparent cibum; quod quidem agunt, qui, cùm ſint ſal, condire debent mentes fidelium, & non condiunt. Sunt etiam Paſtores ſacri lux mundi, & Dei nomine debent illuminare oculos fidelium, nè umquam obdormiant in morte. Sunt quoque civitas ſupra montem poſita: ut ſint urbes fortitudinis Eccleſiæ: & per eos vult Deus, ut habeat populus munitionem contra faciem Idumææ, hoc eſt, contra horribilem poteſtatem ignorantiæ. Fecit Rex Joathan quod rectum erat coram Domino. Ipſe ædificavit portam domus Domini excelſam. Urbes quoque ædificavit in montibus Juda, & in ſaltibus caſtella, & turres. Ipſe pugnavit contra Regem filiorum Ammon, & vicit eos. Similiter faciet rectum coram Domino ille Paſtor Sacer animarum, qui miniſterium

rium ſuum impleverit, arguens, obſecrans, increpans in omni patientia, & doctrina, prædicans verbum, inſtans opportunè, importunè: maximè ædificans introitum in æternum Regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, aperiens fidelibus portas juſtitiæ, ut ingreſſi in eas confiteantur Domino, per inſtructionem ipſorum Fidelium in fidei Myſteriis, & regulis Chriſtianæ operationis, ut ſic ad vitam habeant portam domus Domini excelſam. Iſti quoque vitæ Doctores, curantes non ſolùm de montibus, ſed etiam de ſaltibus, ædificantes urbes commonitionis pro ſcientibus in montibus, caſtella quoque, & turres pro ignorantibus in ſaltibus, pugnabunt feliciter contra Regem filiorum Ammon, hoc eſt contra Leviathan diabolum, qui eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ: & quoniam initium omnis peccati ſuperbia eſt, vincentes Prælati boni ſuperbiam, vincent Ammon filios; triumphantes contra vitia, & peccata omnia: ac ſic per zelum ſatisfaciendi ſuæ inſtruendi fideles obligationi, ovantes ingredientur cœleſtem Curiam, & Paradiſi capeſſent perennem gloriam. Audiamus jam inſtructionem in oratione prima, & ſecreta hujus Dominicæ nobis ab Eccleſia præſtitam: quia hæc pia profectò mater filios ſuos inſtruit, quando aliquid à Deo pro ipſis petit.

Oratio Officii Dominicæ quartæ poſt Epiphaniam, quæ eſt prima Miſſæ illius.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis, & corporis: ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante, vincamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

EXPLICATIO.

NUlla populo Dei nocebit adverſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Si non pepercerit nobis Dominus, tollens peccatum noſtrum, & auferens iniquitatem noſtram, in pulvere dormiemus, & ſi manè nos Deus quæſierit, non ſubſiſtemus. Adeò ſunt magna peccatorum noſtrorum pericula, ut circumdederint nos dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverint nos: dolores inferni circumdederint nos, præoccupaverint nos laquei mortis. Itaque in tribulatione noſtra invocemus Dominum, & ad Deum noſtrum clamemus, ne cadant ſuper nos carbones, in ignem dejiciat nos: quia tunc in miſeriis non ſubſiſtemus. Utinam quomodò miſeretur pater filiorum, miſereatur Dominus nobis, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus. Ad hanc Domini miſerationem obtinendam conſtituti inter multa pericula clamamus. Niſi quia Dominus adjuvit nos, paulominùs habitaſſet in inferno anima noſtra: ſed ſi quiſque noſtrùm dixerit: *Motus eſt pes meus*, miſericordia Domini adjuvabit nos. Qui cæpimus mergi, clamemus dicentes: *Domine ſalvos nos fac*. Qui navigant mare, ennarrent pericula ejus. Sed Deus dominatur poteſtati maris: motum autem fluctuum ejus ipſe mitigat. Ille aprehenſa manu elevabit nos: tenebit manum dexteram noſtram, & in voluntate ſua deducet nos, & cum gloria aſſumet nos: ut ſciamus, quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael Regis noſtri: in Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos: nam & ſi ambulaverimus in medio umbræ mortis non timebimus mala, quoniam ipſe nobiſcum eſt. Notandum verò, quòd, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, Deo adjuvante, vincamus; petimus ab eo, ut det nobis in tantis periculis conſtitutis ſalutem mentis, & corporis. Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ. Ecce magna mentis, & corporis pericula. Infelices homines, quis nos liberabit de corpore mortis hujus? hoc eſt, de hoc corpore morti, & peccato obnoxio? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Det nobis ſalutem men-

mentis, & corporis: ſed concedat priùs ſalutem mentis, ut habeamus ſalutem corporis: quia in corpore æternaliter pro alio ſæculo non valebimus, niſi ſalutem animæ à Dei gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ad vitandam mortem culpæ, & pœnæ, obtinuerimus. Sic gratia Dei nos liberabit à morte mentis, etiamque ab æterna morte, quæ infligitur in anima,& corpore miſeris damnatis:qui,quamvis in æternum ſint corporaliter poſt reſurrectionem victuri, vivent æternaliter morientes, dum mors fugiet ab eis morti ſecundæ damnationis æternæ deſtinatis. Fortitudo noſtra, & laus noſtra Dominus, & factus eſt nobis in ſalutem: quia egredietur in ſalutem populi ſui, in ſalutem cum Chriſto ſuo. Ideò, Deo adjuvante, ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, vincentes, non timebimus millia populi circumdantis nos: quoniam exurget Dominus, & ſalvos nos faciet Deus noſter, ut cognoſcamus, quod Domini eſt ſalus, & ſuper populum ſuum benedictio illius.

ORATIO SECRETA.

Concede,quæſumus Omnipotens Deus:ut hujus Sacrificii munus oblatum fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper, & muniat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Hodie à Domino Deo noſtro petimus, quatenùs fragilitatem noſtram ab omni malo purget, & muniat Venerabile, & Sanctum Miſſæ Divinæ Sacrificium, ſeu munus hujus Sancti Sacrificii Deo oblatum. Fragilitatem noſtram ab omni malo purgare præcedere debet hoc, quod eſt eamdem fragilitatem munire; quia numquam fortiter muniti erimus, niſi priùs benè purgati fuerimus. Peccatum noſtrum contra nos eſt ſemper, & in foribus peccatum adeſt, quia non benè egimus, imò malè: quia peccavimus, iniquè egimus, peccantes in cœlum, & coram Domino, peccantes ſuper numerum arenæ maris: & ideò peccata noſtra reſponderunt nobis. Reſponderunt quidem mala pœnæ malis culpæ: & juſtè hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ ejus: in Dominum, inquam, Jeſum, qui ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, voluit frater noſter fieri, carni propter nos, & ſanguini communicavit; habitu inventus,ut homo, tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus: qui peccata noſtra ipſe pertulit ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati ſumus. En ſanguis ejus exquiritur. Deprecabatur nos, & non audivimus: idcircò venit ſuper nos tribulatio. Peccata igitur noſtra reſponderunt nobis, fragilitatem noſtram maculantia ſimul, & debilitantia: quia ex hoc ipſo, quòd fragilitatem noſtram inquinatam relinquebant, etiam debilem faciebant, & ob defectum roboris illam ruinæ proximæ parabant. Ergo munus oblatum Sacrificii Miſſæ plurimùm nos juvabit, ſi fragilitatem noſtram ab omni malo purgaverit ſemper, & munierit; ſi eam ſordibus expertem, & muniminis conſtituerit compotem: ſi imbelles maculatos purificaverit, & indefenſos ſordidatos vallo ſecuræ munitionis circumdederit. Utinam tale munus oblatum fragilitatem noſtram reformet, munditia nos donans, & munimine fortificans: ut mundi, quamvìs fragiles, coram Domino grati apparere; & muniti, licèt imbecilles, hoſtibus animæ ſemper valeamus reſiſtere.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

Didacus Baeza hæc habet: *Virgo ajebat: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari*

ſitari meo. Expendo, quòd Altiſſimus Dei Filins ſe ipſum pateſecit ingrediens Virginis uterum, quaſi aliud cœlum ingreſſus. Sanè non ibi minus ſpatiuns magnitudinis oſtentandæ, aperiendæque adinvenit. Ut vel ſic appareat, quàm doctè magnus Hilarius homil. de Aſcenſione, magnitndinem Dei naſcentis è Virgine confert cum magnitudine ejuſdem aſcendentis in cœlum, dicens: In illo die Virginalis templi, in hoc cœleſtis regni ſecreta pateſecit. Enimverò ſicut magno, ſublimique Deo aſcendenti compagum cœleſtium magnitudo, murorumque ſublimitas patuerunt, ſic naſcenti magno, ſublimique Deo amplitudo apparuit templi Virginalis, ubi ſub tam incredibili magnitudine ſe Deus recepit. Barradas ait: *Si infans Joannes in utero exultat, quantum erit Virginis gaudium, quæ tantæ exultationis cauſam in ſanctiſſimis habet viſceribus? O Beata Maria (ait Rupertus Cantic. 1.) inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit, totamque obtinuit, & ſenſiſti, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Propter redemptionem Sionis canunt, lætanturque Iſraelitæ, ob redemptionem mundi canit Canticum, exultatque Virgo. Cùm Dominus captivitatem mundi convertere jam inciperet, facta eſt Virgo ſicut conſolata, imò incredibilem animo percepit conſolationem. Tunc repletum eſt gaudio os ejus, & lingua exultatione. Tunc dictum eſt inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum illa, facta eſt lætans, & exultavit ſpiritus ejus in Deo ſalutari ſuo.*

Pro: *Benedictus.*

SAnctus Auguſtinus ſerm. 18. de verbis Domini ait: *Quia ad medicum venire non poteramus, ipſe ad nos venire dignatus eſt. Benè novit ſanctitas veſtra, Dominum eſſe medicum ſalutis noſtræ, & ſalutis æternæ: & ad hoc eum ſuſcepiſſe infirmitatem naturæ noſtræ, ne ſempiterna eſſet infirmitas noſtra.* Et ſuper Pſalm. 20. ait Sanctus Doctor: *Ipſa redemptio clamat captivitatem noſtram: unde enim redempti, ſi non anteà captivi?* Etiam ſuper illa verba Pſalm. 129. *Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus ſuis*, dicit: *Iſrael vendere ſe potuit, & fieri venumdatus ſub peccato, redimere ſe ab iniquitatibus non poteſt. Ille potuit redimere, qui ſe non potuit vendere. Qui non commiſit peccatum, ipſe eſt redemptor à peccato.* Barradas dicit: *Viſitat ægrum medicus, ut ſaluti illum reſtituat, ſic ſummus medicus ægrum viſitavit hominem, ut ſaluti æternæ illum redderet. Si redemptionem Deus fecit plebis ſuæ, ergo captiva. Itaque dira peccati captivitate tenebamur captivi Adami filii: idem quod Pater ſubivimus captivitatis jugum: quod nullius creaturæ viribus depelli à cervicibus noſtris potuit. Cùm ergo creatura non poſſet, fecit Creator redemptionem plebis ſuæ. Qui Creator erat, voluit etiam eſſe redemptor.* Sylveira ait: *Cecinit Zacharias: Fecit redemptionem plebis ſuæ, cùm tamen in ſalutem hominum venerit: quia juxta Theophilactum, Deus venit primò, ut redimeret populum ſuum Iſrael, illique ſe præſentem exhiberet: nam alias gentes ad ſuam fidem adduxit, non per ſe, ſed per ſuos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores.*

Pro: *Nunc dimittis.*

SAnctus Petrus Chryſologus ait: *Sancti illi, quia venturum longa patientia ſuſtinebant, veniſſe, fideli gaudio ſunt gaviſi. Ex iſtis erat Simeon ille, cui promiſſum erat, ut non videret mortem, donec videret Chriſtum Domini, quem habens in ulnis, in talem vocem prorupit: Nunc dimittis.* Ita ſermo 106. Sylveira in verba: *Nunc dimittis* hæc habet: *Simeon ingenti perfuſus eſt gaudio, dum ſpei ſuæ vidit fructum. Poſſeſſio poſt ſpem longam magnum ingerit gaudium: & ideò Simeon dum obtinet, quod tamdiu deſiderabat, exultat lætitia magna, & ait: Nunc dimittis. Quæ verba Origines homil. 15. in Lucam, Divus Ambroſius, Beda, Zacharias Epiſcopus, & Lyranus interpretantur eſſe optantis mortem.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum prædicta.

NEſcimus homines in magno pretio habere, imò & cognoſcere bonum, uſquequò illud lugemus deperditum. Magnum

Digitized by Google

gnum bonum eſt ſalus, quàm nihili pendit intemperatus, qui poſſidet; ſed pro ea perdita rugit dolore tactus, qui intemperatè vivens fecit valetudinis jacturam: noſcens difficultatem recuperandi eam ſanitatem, quam habebat, & quam viliſſimo pretio vendidit; propter quod miſerè ægrotus remanſit. O quàm noſtra intereſt plùs mente valere, quàm corpore! Utinam tantùm noſtrum periclitaretur corpus, & non ſimul cum ipſo per peccatum peſſumdaretur ſpiritus. Per peccatum namque potior ſalus, & vita deperditur; ſed aliud malum iſta funeſtior ruina affert ſecum, cùm pro obtinenda animæ perdita ſalute pauci ſint qui noſcant, & velint flere. Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Sed Deo reddantur gratiæ, nam gratis venumdati ſumus, & ſine argento redempti: propter quod Virgo Virginum exultat Beatiſſima, & redemptionem generis humani prædicat: curat Zacharias Deum laudare, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ: Simeonque hanc noſtram redemptionem ad Dei laudem extollit, quando jam morti appropians in termino vitæ canit. Empti ſumus pretio magno: & hoc nobis dicitur, non ſolùm, ut Deo gratias pro redemptione agamus, ſed ut aliam peccati captivitatem vitemus. Qui tunc piè redemit, fortè nolet adeò magno pretio ſalvare, & à peccato eruere illum, qui redemptus, iterùm, & iterùm ſe diabolo volens ſubdere, peccat, & ſua ſponte mortis æternæ portis accedit, & appropinquat. Nè talia incurramus, Deum noſtrum quæramus, & eum laudantes, ac ejus beneficia extollentes, illum ſequenti oratione devotè curemus invocare, ut miſericordiæ ſuæ dona alacres valeamus percipere.

Oratio poſt Communionem.

Munera tua nos, Deus, à delectationibus terrenis expediant, & cæleſtibus ſemper inſtaurent alimentis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Qui expediri cupimus, proculdubiò nos impeditos, detentos, ligatos, captos, ſive compeditos agnoſcimus. Ergo terrenæ delectationes nos tenent: quod quidem lucis Dei beneficio intelligimus: & ideò abhorrentes à terrenis delectationibus, pro libertate conſequenda hodiè adimus Dominum Deum noſtrum gementes, & ejus miſericordiam ſuppliciter implorantes. Utinam cum ipſius adjutorio, & gratia, delectationibus terrenis, & in illis peccato, ac dœmoni, fortiter reſiſtamus in fide: dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum: nè ſpiritualiter tot reges alligentur in compedibus, & nobiles in manicis ferreis: hoc eſt, nè noſtri nobiles ſpiritus (qui debent quaſi reges, regere carnis paſſiones, quia ſub homine debent eſſe appetitus peccati, quos quidem debent ſubdere, ac ſubigere: & homines etiam poſſunt nobiliter dominare in medio paſſionum, & appetituum, cùm ſcriptum ſit: Sin malè egeris, ſtatim in foribus peccatum aderit: ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius) nè, inquam, nobiles noſtri ſpiritus facientes peccatum, ſervi ſint peccati: & nè ſinamus peccatum regnare in noſtro mortali corpore, cùm debeamus ſpiritu facta carnis mortificare, ſi volumus vita gratiæ, & ſpiritus vivere. Mirè Sanctus Joannes Chryſoſtomus dixit ſuper illa Chriſti Domini verba: *Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et quomodò qui amat animam ſuam, perdet eam? Qui abſurdis ejus cupiditatibus obtemperat: qui præter debitum ei indulget: quemadmodùm è contrario, qui odit eam in hoc mundo, cuſtodit eam: hoc eſt, qui non paret ei, cùm noxia jubet. Et non dixit: Qui non paret, ſed qui odit. Sicuti enim quos odio habemus, nè vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur: ita & animæ, ſi quid præter voluntatem Dei nobis imperat, vehementer averſari oportet.* Hucuſque Sanctus Doctor. Ergo conſurge, conſurge, induere fortitu-

dine tua Sion (hoc eſt, anima Chriſtiana, & Catholica, verè elevata, ut ſis Regina, quia Regi Chriſto per fidem in Baptiſmo es deſponſata.) Excutere de pulvere, conſurge, ſede Jeruſalem, ſolve vincula colli tui captiva filia Sion. Non decet obſcurari aurum, & mutarì colorem optimum: dedecet filios Sion inclytos, & amictos auro primo reputari in vaſa teſtea, opus manuum figuli: & nefas eſt, quòd ſpiritualiter loquendo, qui veſcebantur voluptuosè intereant in viis, & qui nutriebantur in croceis, amplexentur ſtercora. Omnia hęc mala nobis venerunt, ex quo delectationes terrenæ noſtras animas ceperunt, & occuparunt. Ideò oramus hodie Dominum, quatenùs munera ejus in Sacra Miſſa per Sanctiſſimi hujus Sacrificii valorem, & virtutem, nos à delectationibus terrenis expediant, & cœleſtibus ſemper inſtaurent alimentis: quia his inſtaurati, & per terrenarum delectationum abnegationem, & abdicationem ab illarum tyrannide liberi, in convertendo Dominus captivitatem Sion, facti erimus ſicut conſolati.

CAPUT DECIMUM

Pro Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quintæ poſt Epiphaniam. Qui quidem Textus eſt hic:

Quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabicus ſic legit: *Quòd ſcilicèt Dominus vice una liberavit*. Syriacus: *Cùm una vice Deus populum liberaſſet, altera eos, qui non crediderunt, perdidit*. Clemens Alexandrinus: *Dominus Deus liberavit*. Alii apud La Haye: *Quòd Deus, quòd Dominus liberaſſet*. Alii paſſim apud Cornelium: *Poſteà, deinceps eos, qui non crediderunt, perdidit*. Arabicus: *In vice ſecunda eos, qui non crediderunt, perdidit*. Gloſſa Interlinealis ait: *Quoniam Jeſus, non filius Navè, ſed Dominus noſter, qui non à partu Virginis initium habuit, ſed erat Deus æternus, qui natus de Virgine, nomen Jeſus accepit*. Gloſſa Ordinaria dicit: *Confutatis hæreticis, deinde, ut revocet eos, qui crediderant malignis, & impiis, oſtendit, quanta ſit magnitudo Domini, quem negant, oſtendens, quòd ipſe eſt, qui eduxit populum Iſrael de Ægypto. Quoniam Jeſus &c. Sicut filii Iſrael ex Ægypto ſalvati, propter concupiſcentiam, quam in Ægypto habuerant, diffidentes de potentia Dei in eremo puniti ſunt: ſic iſti magiſtri immunditiæ, & eorum ſequaces, qui per aquas Baptiſmi de tenebris ignorantiæ exierunt credentes, ſi ad prioris vitæ concupiſcentias mente redeunt, damnantur. Sicut priùs per fidem, & bona opera merentur ſalvari, ſic ſecundò per murmurationem, & immunditiam merentur damnari. Vel ſecundò, id eſt, bis perdidit, quia malos & nunc, & poſtmodùm punit. Nam quos præſentia mala non corrigunt, ad ſequentia perducunt.* Hugo Cardinalis ſic explicat: *Quoniam Jeſus, &c. ſcilicet Dominus noſter, Deus Æternus, qui natus de Virgine, nomen Jeſus accepit, Lucæ* 1. *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Hic, inquam, Jeſus per Joſue ſignificatus, vel, à quo Joſue animatus fuit, & roboratus eduxit populum Iſraeliticum de terra Ægypti, ſalvans ipſum, ut nec ab Ægyptiis tangeretur, nec infirmitatibus, vel defectibus gravaretur. Quaſi diceret:* Quan-

Quando humiles fuerunt Judæi, ſalvavit eos: & quoniam murmuraverunt, damnavit. Et hoc eſt, quod ſequitur: Secuudò, id eſt, poſteà. Eos, qui non crediderunt, perdidit: Quando per quadraginta annos fecit eos errare in deſerto, & circuire montem Sinai, donec conſumpti ſunt omnes, qui murmuraverunt. Et ſic ſecundò non dicit ordinem numeri, ſed temporis. Vel ſecundò, ut notetur numerus pœnarum, quia primò punivit pœna temporali, ſecundò pœna æterna illos, qui non pœnituerunt inter flagella. Vel dicit ſeeundò, quia primò murmuraverunt pro labore itineris, ſecundò murmuraverunt pro timore habitatorum terræ promiſſionis, quos viderunt exploratores. In primo murmure perdidit non credentes per incendium, in ſecundo per pœnam quadraginta annorum. In quo ſignificatum eſt nobis, quòd primum peccatum non eſt ita longiturna pœnitentia puniendum, ſed ſecundum, id eſt, iteratum, vehementiùs, & diuturniùs eſt feriendum. Hoc dicit, quia malorum quorumdam pœna hîc incipit, ut in æternum duret, ſicut patet de Herode Act. 12. & de Antiocho, 2. Machab. 9. Nicolaus de Lyra ait: Quoniam Jeſus, ſcilicèt, Chriſtus, populum de terra Ægypti ſalvans, per virtutem ſuæ Divinitatis, quæ ab æterno eſt. Ideò dicitur Hebræor. 13. Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. Secundò, id eſt, pòſt. Eos, qui non crediderunt, perdidit, id eſt, deſtruxit in deſerto, ut dictum eſt. Gloſſa Interlinealis: Populum de terra Ægypti ſalvans, primò humiles, ſecundò eos, qui non crediderunt verbis Moyſi, in eremo poſteà murmurantes, perdidit per ſerpentes, & aliis modis. Eſtius hæc habet: Vos, inquit Sanctus Judas, commonefacio, quòd Jeſus, poſtea quàm populum Iſraeliticum ex Ægypto liberaverat, & ſalvum eduxerat, deinde eos, qui Deo fuerùnt increduli, perdidit. Reſtat igitur, ut ſecundum Latinos Interpretes, & Didymum Græcum, de Jeſu Chriſto Domino noſtro hæc dicta accipiantur; qui quidem hæc omnia fecit, non ut homo, ſed, ut Deus, Dei Filius, repræſentatus autem per Angelum, qui populum Iſraeliticum ex Ægypto per Mare Rubrum duxit in deſertum, ac tandem introduxit in terram promiſſam: per quem etiam Deus exercuit punitionem incredulorum. In quibus omnibus Angelus ille Chriſti Domini ſui perſonam, ac typum geſſit. Hæc enim faciebat Dominus per Angelum Salvatorem. Quæ ſalvatio non tantùm conſiſtebat in eo, quòd populum educeret ex Ægypto, ſed & in eo, quòd adverſarios perderet. Unde & ad eumdem Angelum pertinebat primogenitorum Ægypti interfectio. Nam Salvatores vocabantur, qui expugnando, & occidendo hoſtes, populum liberabant è captivitate, ſervitute, & periculis, quales Joſue, Othoniel, Gedeon, Jephte, Samſon, Samuel, & Joas Rex Iſrael. Per hæc autem deſtruitur hæreſis Ebionitarum, & Photinianorum, negantium, Chriſtum fuiſſe ante Mariam: imò & Arianorum, qui Chriſto veram Divinitatem ademerunt. Portabat enim Angelus ille nomen Domini Tetragrammaton Exodi 3. 20. & alibi. Nec minùs deſtruitur uterque error per id, quod ſequitur. Menochius ſic explicat: Jeſus, id eſt, Joſue, qui à ſeptuaginta Jeſus vocatur. Salvans, id eſt, cùm ſalvaſſet. Secundò eos, qui non crediderunt, &c. Senſus eſt, quaſi dicat Sanctus Apoſtolus Judas Thaddæus: Deus ſemel ſalvavit populum, cùm eum ſequentem eduxit ex Ægypto; at ſecundò, id eſt, alia vice, eum perdidit, cùm, ſcilicèt, incredulus ab eo receſſit, & apoſtatavit, idque non ſemel, ſed ſæpiùs. Porrò Sanctus Judas hoc exemplum fidelibus applicandum relinquit, quaſi dicat: Simili modo Deus fideles, quos primò ſalvavit in Baptiſmo, dum Chriſtum ſecuti ſunt, ſecundò perdet, ſi à Chriſto apoſtatent, & ad hæreticos deficiant. Tirinus ſic explicat: Volo in memoriam vobis reducere, quòd, cùm Jeſus, quà Deus (in nonnulli Græcis Codicibus eſt: Dominus Deus, & ita vertit Syrus, & Clemens Alexandrinus) populum ſuum Hebræum ex Ægypto, & Ægyptiaca ſervitute primò liberaſſet, ſecundò, id eſt, altera vice, eumdem perdidit, cùm nollet credere Deo per Moyſen promittenti introductionem in terram ſanctam, ideòque in Ægyptum redire vellet. Subaudi: Simili modo Jeſus Chriſtianos, quos primò per fidem, & Baptiſmum ſalvavit, ſecundò perdet, ſi à fide apoſtatent, & ad Simonem, Ebionem, vel alios hæreticos declinent.

Cor-

Cornelius ſequentia adhibet : *Omnibus hiſce oſtendit Sanctus Judas contra Simonem, Ebionem, & Arianos Chriſti Divinitatem. Salvans, id eſt, cùm ſalvaſſet, &c. Senſus ergo eſt, quaſi diceret : Deus ſemel ſalvavit populum, cùm eum ſe ſequentem eduxit ex Ægypto; at ſecundò, id eſt, alia vice, eum perdidit, cùm ſcilicet incredulus ab eo receſſit, & apoſtatavit, idque non ſemel, ſed ſæpius. Nam idolatrantes cum vitulo aureo, occidit in Sina: poſteà occidit murmurantes, & carnes deſiderantes in ſepulchris concupiſcentiæ: denique omnes, præter Joſue, & Caleb, damnavit morte in deſerto, ob murmur exploratorum.* Emmanuel de Sa ait : *Quoniam Jeſus, &c. Ego de Chriſto intelligo.* ,

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

TUlit Joab tres lanceas, & infixit eas in corde Abſalom: & ut notavit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Joab, qui David patrem Abſalom, ei reconciliavit, ipſe eum interfecit. Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Caveamus, nè Jeſum verum Joab Patri Æterno nos reconciliantem offendamus: nè fortè nos perdat, qui nos ſalvavit, ille, inquam, Jeſus, qui populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit. Idem Jeſus, qui dicit animæ : *Deſponſabo te mihi in fide*, animam averſatricem minatur, dum dicit : *Judicabo te in judiciis adulterarum, & dabo te in ſanguinem furoris, & zeli.* Invenit paralyticum triginta, & octo annorum, quem apud Piſcinam Probaticam Jeroſolymis fecerat ſanum, Jeſus in templo, & dixit illi: *Ecce ſanus factus es : jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.* Si Dominum provocavit ad iracundiam ſervus ille, qui abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui, quando ille venit poſt multum temporis, & poſuit rationem cum ſervis ſuis: quantò deteriùs continget illi, qui Divinis beneficiis abutens, converterit in Dei offenſiones, & injurias quas recepit dotes, tum ſalutem, tum venuſtatem, tum divitias, tum nobilitatem, quibus omnibus uti debebat ad inſerviendum illi Domino beneficentiſſimo, qui taliter ſervum ſuum honoravit, cùm illi tanta, & talia dona impertiit? Charitas patiens eſt, benigna eſt: ſed taliter aliquando Samaria ad amaritudinem concitat Deum ſuum, ut benignitas, & patientia Dei charitatis, & ejus, quem habet erga nos, amoris, vertatur in iram; quia ſuperexaltat miſericordia judicium, & quò indulgentior liberalitas, eò inexcuſabilior pervicacia, ſecundùm Sanctum Ambroſium. Quia populi meditati ſunt inania, & filii hominum diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, tunc Dominus loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos : reget eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringet eos, cùm excitatus fuerit in furore Dominus. Utinam ipſe non in furore ſuo arguat nos, neque in ira ſua corripiat nos, ſed convertat nos Deus ſalutaris noſter, & avertat iram ſuam à nobis: ac miſereatur noſtri Dominus, quoniam infirmi ſumus. Hanc Dei noſtri miſerationem in oratione prima, ac etiam ſecreta Miſſæ hujus Dominicæ poſtulamus.

Oratio Officii Dominicæ quintæ poſt Epiphaniam, quæ eſt prima Miſſæ illius.

F*Amiliam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi: ut quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

PIetate continua à Deo cuſtodiri ipſius Familiam (quæ quidem ſumus noſmetipſi Catholici Chriſtiani) poſcimus, ut taliter cuſtoditi, Dei protectione ſemper muniamur, qui in ſola ſpe gratiæ coeleſtis innitimur. Si de noſtris viribus fideremus, nihil obtineremus, neque cuſtodiam, neque munitionem per protectionem Divinam: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Perit aliquando, & eradicatur, procella adveniente, arbor

præ-

prægrandis, & procera, & in ejuſdem tempeſtatis fervore manet ſecura humilis, ac debilis hedera: quia hedera habet, ut protectorem, illum parietem, cui innititur, nè ventorum vi tollatur, & deſtruatur; ac ipſe murus, qui eam cuſtodit, etiam illam, ut elevetur, & creſcat, ſecuraque maneat, munit, eo ipſo tempore, quo arbor magna miſerum experitur excidium, quia altè per aeris regionem diſtenta, noſcitur non habere ſuſtentaculum, nec curat quodvis requirere fulcimentum. Satiùs eſſet huic infelici arbori per terram humiliter repere, aut demiſsè aliquod patrocinium quærere, ut poſſet abſque periculo ſcandere, quàm propriæ inniti virtuti, & ob hoc infauſtiſſimè perire, & flatu ventorum miſerrimè peſſumdari. Innitamur ſoli ſpei gratiæ Divinæ, ut de quolibet noſtrùm hodiè verè dicatur: *Ut quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur*: ſed eidem gratiæ, & ſpei gratiæ etiam innixi, creſcamus per humorem proprium liberi noſtri arbitrii à Deo moti, & excitati, & per vegetationem noſtræ liberæ cooperationis gratiæ Dei vocanti nos, & excitanti, ut ſic cum Dei gratia, & adjutorio faciamus liberè, & meritoriè opera ſalutaria, ac mercede æterna digna. Gratiæ quidem principaliter innitamur Divinæ, innitamur quoque in ſola ſpe cœleſtis gratiæ; ſed utamur ſimul benè noſtra propria, & libera voluntate, Dei adjutorio jungentes vim noſtri liberi arbitrii. Diffidamus à ſolius arbitrii noſtri, & noſtræ naturæ viribus, ac bona noſtra opera à nobis, non ſine nobis, neque cum ſolis nobis effecta, principaliter Deo, & ejus gratiæ, atque adjutorio tribuamus. Cum metu, & tremore noſtram ſalutem operemur; operemur, inquam, operantes benè, & operemur verè, quia liberum arbitrium noſtrum à Deo motum, & excitatum, non eſt quaſi inſtrumentum inanime: ſed ſimul operantes benè, & verè, taliter operemur, ſcientes, quòd, cùm ſufficientia noſtra ex Deo ſit, nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto, & quòd non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis. Hæc ſcientes, & credentes, dum in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innixi fuerimus, & eadem gratia benè utentes, vacaverimus exercendis ſalutaribus operibus, non peribimus, quamvìs adeò magnus ventus urens veniat è regione deſerti, qui concutiat quatuor angulos domus alicujus: & quando ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis iniquorum fuerit, & ierint qui bona opera non fecerunt, maledicti in ſupplicium æternum: nos erimus juſti euntes in vitam æternam: ac, cùm peccatores obligati ſint, & ceciderint, nos ſurgemus, & erecti erimus: nam hoc erit conceſſum illis, qui in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innixi, cum Dei gratia, & adjutorio benè fuerint operati, & uſque in finem in gratia perſeveraverint, vel juſtitiam per veram pœnitentiam adeptam ſervaverint, atque in gratia, & charitate ex hac vita mortali deceſſerint. Familiam ſuam, quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur, cuſtodiet Dominus, ut pupillam oculi, ſub umbra alarum ſuarum proteget eam: ac protector ejuſdem familiæ aſpiciet Deus, & erit ipſi in Deum protectorem, & in domum refugii, vel in locum munitum, ut ſalvam illam faciat. Iniqui videbunt finem ſapientium iſtorum filiorum Eccleſiæ, qui in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innixi vacant exercendis operibus ſalutaribus, & non intelligent quid cogitaverit de iſtis juſtis Deus, & quarè munierit illos Dominus. Cùm Deus ſit ſpes horum juſtorum ab uberibus matrum ſuarum, & in ipſum projecti ſint ex uteris, in Deo ſperabit cor eorum, & adjuti erunt. Ergo nobis adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo noſtro ſpem noſtram: ut qui in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innixi fuerimus, cuſtodiri continua pietate à Deo, & ſua ſemper protectione muniri, feliciter obtineamus.

ORATIO SECRETA.

Hoſtias tibi, Domine, placationis offerimus; ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EX-

EXPLICATIO.

JUrè, & optimè deſideramus, quòd placetur ille Deus noſter, & Dominus, cui hodie hoſtias placationis offerimus. Faciem Domini placare non ſolùm eſt nobis opportunum, & proficuum, ſed eſt quoque nobis ad noſtrum bonum magnoperè neceſſarium, quia qui ſub Deo placato beneficia ſuſcipiemus, ſub Deo irato nos perituros formidamus. Exortus eſt ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit, cùm ſit omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflavit in eo. Etiam ſcriptum eſt: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus eſſe conſumptos*. Eſt quoque dictum in Textu Sacro: *Deus repentè flavit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos*. Talis eſt calor, & vis Divinæ vindictæ, & adeò timendus eſt rigor ſeverus Dei iracundiæ. Ipſe terribilis eſt, & quis reſiſtet ei? Ex tunc ira ſua. De cœlo fecit judicium: terra tremuit, & quievit, cùm exurgeret in judicium Deus. Sed, quamvis hoc ſit veriſſimum, convertamur ad Dominum Deum noſtrum: quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium, & libamen Domino Deo noſtro? Convertat nos Dominus, & convertemur. Convertamur ad illum, & convertetur ad nos. Hoc intendimus, & hoc ſperamus, quando ei hoſtias placationis offerimus: quia hæ tales ſunt hoſtiæ, ut Deus ipſis voluerit placari, & nobis auxilium potenti virtute reſtitui. Hoſtias, inquam, placationis illi potentiſſimo Domino offerimus, cum orantes, ut & delicta noſtra miſeratus abſolvat, & nutantia corda ipſe dirigat. Niſi ab illo noſtra fuerint delicta abſoluta, neque etiam dirigentur corda nutantia; ſed, ſi delicta noſtra abſolverit, Deus quoque nutantia corda diriget. Nutant corda delictorum pondere preſſa. Torva, & non recta ſunt corda, quæ huc, atque illuc feruntur propter peccata. Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Ille, qui dixit: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, dixit quoque: *Cor meum conturbatum eſt*. Verumtamen noſtra ipſa corda ſine pondere delictorum, ut pote alleviata, erunt corda non nutantia, ſed directa: non inſtabilia, ſed firma: non conturbata, ſed quieta. Heu! Quid intereſt, quòd corda noſtra non nutent fide, ſi nutant defectu charitatis, & bonæ operationis? Si claudicamus in duas partes, volentes Deo ſervire, & mammonæ, cùm nemo poſſit duobus dominis ſervire habemus corda inquieta, inſtabilia, & conturbata, ac proinde habemus corda nutantia, ſine debita reſolutione Deo unicè (ut decens eſt, & ad ſalutem neceſſarium) inſerviendi. Utinam corda noſtra nutantia dirigat Dei miſerationis (delicta noſtra abſolventis) operatio, ut ſerviamus Domino ſoli, quia ei ſine illo ipſo numquam poſſumus nec placere, nec ſervire. Eja, conſtantes ſimus, & videbimus auxilium Domini ſuper nos. Recti diligunt illum, in ejus ſervitio nolentes nutare: & ideò laudabuntur omnes recti corde. Tales nos erimus, ſi hodie per hoſtias placationis, quas Deo offerimus, ab illo obtinuerimus abſolutionem noſtrorum delictorum, & cordium directionem nutantium.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ET exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

JOannes Maldonatus in Euangelia, ad hunc locum habet ſequentia: *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Euthymius: Gaviſa eſt anima mea in Deo Sal-*

Salvatore meo. Atque is quidem videtur eſſe ſenſus, ſi verba tantùm, non verborum etiam originem conſideremus. Mihi verò repetitio ſuperioris ſententiæ videtur eſſe. Nam minùs cohæret, ut ſe in Deo gaviſum eſſe dicat, cùm non de affectibus ſuis, ſed de Dei laudibus loqueretur. Eſt uſitatiſſimum apud Hebræos, ut verſum unum ſententia una concludat: quæ eadem in prima, & ſecunda verſus parte diverſis variata verbis repetatur. Simon de Caſſia lib. 2. de Virgine Maria, cap. 14. hæc habet: *Exultavit ſpiritus Virginis, quia in eo ſupervenerat Spiritus Sanctus, qui docuit eam, fœcundavit eam, Virginem ſervavit intactam. Ex his nempe, quæ à Spiritu Sancto ſuſcepit, exultavit ſpiritus ejus in Deo ſalutari ſuo, in Filio videlicet, quem geſtabat in utero. Non ſic ſuo, quin etiam omnium. Super quem Simonem prophetavit, cùm natum portavit ad templum: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum*. Franciſcus Toletus Cardinalis ad hunc locum, & verſum ait: *Cujus Beata Maria Virgo commendaverat potentiam, ejus nunc bonitatem in ea exultando manifeſtat: Exultavi, inquit, in Deo Salvatore, id eſt Verbo, carne de meis viſceribus acceptà induto. Hæc eſt illa inennarrabilis lætitia, & exultatio, qua perfuſa eſt in Filii Conceptione, quando Verbum caro factum eſt. Deum Salvatorem appellat Filium Dei factum hominem ad nos ſalvandos. Suum autem, quia de ipſius ſubſtantia carne veſtitus, ipſiuſque filius factus erat*.

Pro: *Benedictus*.

JOannes Maldonatus ait: *Quia viſitavit, liberavit, redemit, ut ſtatim ſequitur. Et fecit redemptionem plebis ſuæ. Plebis ſuæ dicit, cùm omnibus etiam gentibus redemptionem feciſſet, idque Zacharias non ignoraret. Erat enim lux vera, quæ ideò veniebat, ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 2. 9. Erat propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi 1. Joan. 2. 2. & unus pro omnibus mortuus eſt. 2. ad Corinth. 5. 14. & 17. & dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus nobis 1. ad Timoth. 2. 6. Quia primum venit, ut redimeret plebem ſuam Iſrael, illique ſoli præſentiam ſuam exhiberet. Nam alias gentes non per ſe, ſed per Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores viſitavit. Et Iſrael quidem quodammodò ex debito redemit, quia ſuum illi promiſerat adventum, alias verò gentes ex ſola liberalitate*. Simon de Caſſia lib. 3. de Baptiſta dicit: *Viſitavit ſæpè Dominus plebem ſuam, ſed adhuc redemptionem non fecerat. Sed nunc Zacharias ex certitudine, quam habebat, verbis expreſſit ut factum. Et benedixit, quia benedictus eſt ab æterno. Benedixit eum, qui in cœleſtibus benedixit, cujus benedicti omnes electi. Benedixit, qui omnibus benedicit*: Franciſcus Toletus Cardinalis hæc habet: *Cauſam explicat benedictionis: Quia viſitavit, inquit, & fecit redemptionem plebis ſuæ, id eſt, carnem ſumpſit, ut plebem ſuam redimeret, & ſalvaret. Miro artificio utrumque conjunctum eſt verbum. Nam viſitare dicitur aliquando Deus, quando punit, & flagellat: viſitat etiam, quando miſeretur, & benefacit. Viſitatio autem hæc miſericordiæ eſt, non juſtitiæ; potuiſſet enim Deus carne ſumpta plebem viſitare ad judicandum, & damnandum; at non miſit Deus Filium ſuum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per eum. Idcircò viſitaſſe, & feciſſe redemptionem dicitur, quaſi diceret: Homo factus eſt, ut nos redimeret, & ſalvaret*.

Pro: *Nunc dimittis*.

APud Maldonatum hæc inveniuntur dicta illius: *Carmen eſt gratulatorium, quale illud Mariæ ſupra cap. 1. 46. & illud Zachariæ eodem capite, verſ. 68. Solent ferè qui Spiritu Sancto pleni Deum laudant, carmine laudare. Meliores enim verſus Spiritus Sanctus, quàm poeticus furor facit. Sic Moyſes, ſic Debbora, ſic Anna Dei laudes carmine cecinerunt. Itaque genus ipſum dicendi numeris adſtrictum indicat, Simeonem Spiritu Sancto perfuſum hæc cecinisse. Nunc dimittis. Videtur, dicendum, fuiſſe: Nunc dimittes. Et quidem Cyprianus, Origenes, & Ambroſius, Fulgentius, Beda, & Lyranus ita exponunt, ut futurum legiſſe videantur. Putant enim optantis hæc eſſe verba, quaſi Simeon, viſo jam Chriſto, Deum ora-*

verit, ut ſe de hac mortali eriperet vita. *Sed omnes Græci Codices magno conſenſu legunt: Dimittis.* Simon de Caſſia ait: *Omni completa conſuetudine legis pro Chriſto, ipſe Simeon, non templi Sacerdos accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum. Non erat illorum Sacerdotum tenere in manibus Chriſtum: quia per juſtitiam legis credebant conferri ſalutem, quam etiam non impleverant; ſed alius de Jeruſalem veniens ipſum accepit, translationem templi, & Sacerdotum, & Synagogæ prænuntians. Senex erat, antiquior Gentilitas, quàm Synagoga, quæ Chriſtum; Synagoga reprobante, ſuſcepit. Et benè ſunt impleta vota petentis, qui de ſæculo ærumnoſo exire nolebat, niſi priùs videret ſæculi Conditorem, atque Reparatorem: & horrebat mortem, niſi ſpes infallibilis præſtaretur de vita, pro qua conquirenda, & tenenda omnem fortitudinis actionem expoſuit. Et eo typo, quo eum Simeon accepit in ulnas, fecit, & facit Eccleſia, & in membris ſuis uſque ad finem ſæculi eſt factura, & benedictura Deum in donis ſuis, quorum nullum altius, quàm Filium dederit terris, ut terrenos redderet cœlis. Nihil tam obligat hominem ad reddendam poſſibilem vicem, & ad ejus ſervanda mandata, quàm, quòd ſe ipſum Deus hominibus tradidit humanatum. Proinde, cùm alia non poſſimus rependere, benedictio, & laus de ore, atque corde hominum non recedat, juxta Propheticum dictum: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. Et benedicens prorupit in Canticum: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Viſo, & tacto Chriſto, in pace dimittitur ſervus Dei, magis contemplativa mentis, quàm corporis viſione gaviſus.* Cardinalis Toletus dicit: *Laudat Simeon Dei veritatem, per quam quod promiſit implevit, & ſimul gratias agit pro beneficio accepto.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & explicata.

SImus omnes docibiles Dei, qui docet nos facere voluntatem ſuam, quia Deus noſter eſt ille. In magno pretio habeamus viſitationes Divinas, ſiquidem etiam illas, quas nobis facit per tribulationes, dirigit Dominus noſter ad eum finem, ut nos lætitias percipere poſſimus cœleſtes. Tales quoque ſimus, ut Dominum in manibus bonorum operum per plenam Divinæ Decalogi legis cuſtodiam accipere mereamur. Ecce quomodò Beatiſſima Virgo Maria exultat ſpiritu, quando ſe videt plenam Spiritu Sancto, qui eam docuit, quando etiam fœcundavit, ac Virginem intactam fecit. Docet quidem nos Deus, ut ab eo edocti, curemus eſſe virtutibus fœcundi, & in vita immaculati. Ergo juſtitias ejus non repellamus à nobis: ſimus immaculati cum eo, & obſervemus nos ab iniquitate noſtra: ac tunc retribuet nobis Dominus ſecundùm juſtitiam noſtram, & ſecundùm puritatem manuum noſtrarum in conſpectu oculorum ejus. Cantico plauſit Domino Zacharias, celebrans Divinam viſitationem, ex qua orituram ſciebat redemptionem omnium, quà ſperabat ſe à Domino vitæ æternæ applicandum, poſtquàm fuerat tribulatus, eo tempore, quo fuit ob ſuam incredulitatem mutus: & quoniam tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit; in magno pretio Zacharias habuit illam etiam tribulationem, qua Deus illum viſitavit, ut per eam poſſet pertingere ad fructum ejus viſitationis Divinæ, quà Dominus Deus Iſrael viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Simeonis læti videntis Chriſtum erat ipſum accipere, quod quidem non concedebatur Sacerdotibus Synagogæ credentibus, ſed tamen malè operantibus: ergo, oſtendamus ex operibus fidem noſtram, viventes, ſicut benè vivendum credimus, ut cum Simeone juſto, & timorato, accipientes Chriſtum fide, & opere, canamus Dei laudes in hoc ſæculo, & cœlicolis canentes jungamur, almæ Sionis æmuli, vitam beatam ſperantes, in futuro. Gratias igitur agentes Deo nos (maximè in Euchariſtia) docenti; ei etiam ipſi piiſſimo Domino, qui nos valdè amat & quando nos per tribulationes viſitat; ei demùm, qui benè credentibus, & benè operantibus bona ſempiterna ſpondet, & largiter dona

na

na cœleſtia diſtribuit: Orationem ſequentem dicamus poſt hodiernam Communionem.

Oratio poſt Communionem.

Quæſumus, *Omnipotens Deus: ut illius ſalutaris capiamus effectum, cujus per hæc Myſteria pignus accepimus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.*

EXPLICATIO.

Qui pignus accipit, ſpem adquirendi rem per pignus promiſſam concipit. Quò majus eſt, quod promittitur, eò pretioſius eſt pignus, quod pro ſpe illius offertur. Magnum quid eſt profectò illud, quod Deus nobis in cœlo ad noſtram ſalutem æternam ſervat, & nobis offert, quando hujus ſalvationis noſtræ pretioſiſſimum pignus in Euchariſtia Sacroſancta conſtituit: ut hoc Divinum Sacramentum, & Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, & recolitur memoria Paſſionis ejus, ſit etiam, in quo futuræ gloriæ nobis pignus datur: & ſciamus, quòd ſe regnans dabit nobis in præmium ille Deus Dominus omnium, qui homo factus, ſe naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, & ſe moriens in pretium. Qui jam per Myſteria Altaris accepimus pignus noſtri Salvatoris, effectum quærimus ipſius ſalvationis, ſive ſalutaris: qui quidem effectus eſt gratia, præcipuè perſeverans, & finalis, in hoc ſæculo, ut capiamus æternam gloriam in futuro. Qui pignus in Euchariſtia dedit; abſdubiò (ſi per nos non defecerit promiſſorum à nobis in Baptiſmo, & Pænitentia obſervatio, & adimpletio:) promiſſam noſtram glorificationem donabit, ac nos cœlicolis junget. Seriò vult dare nobis vitam æternam, qui nobis ejus pignus donavit per Divinam Euchariſtiam. Ergo omnes ſitientes veniamus ad aquas: & qui non habemus argentum, properemus, emamus, & comedamus: veniamus, emamus abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac. Quarè appendimus argentum non in panibus, & laborem noſtrum non in ſaturitate? Audiamus audientes Dominum, & comedamus bonum, & delectabitur in craſſitudine anima noſtra. Properemus, inquam, ad recipiendum in Sacra Euchariſtia pignus gloriæ cum præparatione debita: & Deo pro tanto beneficio gratias agentes; pro gloria, cujus pignus hoc Sacrum Convivium eſt in Sanctis Altaris Myſteriis, Deum interpellemus: atque, ut ipſe effectum illius ſalutaris, cujus in hoc Divino Sacramento pignus accepimus, nobis concedat capere, humiliter depoſcamus.

CAPUT UNDECIMUM

Pro Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſextæ poſt Epiphaniam. Qui quidem Textus eſt iſte:

Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Arabicus legit: *Non ſervantes ſuum principium.* OEcumenius: *Suam originem.* Syrus: *Suas primas, &c. vinculis ignotis.* Æthiopicus: *In judicium conſtituit, & ligati ſunt in diem magnum, cui ipſimet ſubjecerunt ſe ipſos.* Alius Arabicus ſic vertit: *Projecit Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereli-*

querunt ſuum ordinem, & officium, in tenebras extremas, alligatos in vinculis æternis, reſervando in eis ad hunc diem magnum diem judicii. Hæc verſio invenitur apud Cornelium in hunc locum Epiſtolæ Sancti Judæ. Hugo Cardinalis hæc habet: *Angelos verò, &c. Hìc oſtendit idem quod ſuprà, per exemplum Angelorum ſuperbientium, quos Deus potenter de paradiſo ejecit. Et hoc exemplum adducit, nè aliquis remurmurans diceret: Non eſt magnum, ſi homines fragiles ſuperantur in pœna: quaſi diceret: Non ſolùm homines. Vero, id eſt, ſed etiam Angelos. Qui non, &c. Principatum habebat Lucifer in excellentia naturalium bonorum. Gloſſa interlinealis: Qua per gratiam Dei aliis principabantur ſubjectis ſpiritibus: & conſtat, quod loquitur de Angelis, qui ceciderunt: ergo illi habuerunt gratiam. Vel principatum dicit, quia de omnibus ordinibus aliqui ceciderunt. Unde non ſervaverunt principatum, in quo erant, quia in quolibet ordine erat unus aliquis princeps aliorum. Sed dereliquerunt, &c. id eſt, habitationem cœlorum. Hos, inquam, Angelos reſervavit vinculis æternis, reſervavit, dico, modò. Sub caligine, exiſtentes, id eſt, in pœna poſitos in hoc caliginoſo aere, ſed tandem venturos in judicium magni Dei, quem nihil latere poterit, cui nihil obviare. Si igitur ſic punivit Dominus Angelos, & populum Iſraeliticum: Angelos, dico, qui nondum gratiam, ſecundùm quoſdam acceperant, tamen bona excellentia habebant, per quæ poſſent ſtare, ſcilicet, & populum Iſraeliticum, qui de fructibus terræ jam prægustaverat, de botro, ſcilicet, quem detulerunt exploratores; quantò magis puniet illos, hæreticos, ſcilicet, vel alios peccatores, qui, abjecta Dei gratia gratum faciente, quam in baptiſmo receperant, vel per quam principari & carni, & mundo, & diabolo poterant, non ſervaverunt domicilium, id eſt, unitatem Eccleſiæ, in qua erant à ventis, & procellis abſconditi, ſed dereliquerunt, ventis expoſiti inſtabilitatis, pluviis diverſorum peccatorum, item procellis errorum? His omnibus expoſiti ſunt, quia domicilium Eccleſiæ reliquerunt, quod eſt in umbraculum dici ab æſtu, & in abſconſionem à turbine, & à pluvia, ſicut dicit Iſaiæ 4. Ex his igitur omnibus patet, quòd tales non ſunt imitandi, quia ipſi Deum negant; & omnes tales Deus puniet in æternum, qui potens eſt, & nomen ſanctum ejus, ut bonos remuneret, & extollat.* Hucuſque Hugo Cardinalis. In Gloſſa Ordinaria hæc habentur: *Angelos verò, &c. Et verè non ſunt imitandi, qui Jeſum non verum Deum, ſed hominem de utroque ſexu genitum mentiuntur. Si namque Angelis peccantibus non pepercit, nec hominibus ſuperbientibus parcit. Non ſervaverunt ſuum principatum. Sed homines, qui non ſervant principatum, quo per gratiam adoptionis filii Dei ſunt effecti, ſed relinquunt domicilium, id eſt, unitatem Eccleſiæ, in qua renati ſunt, vel ſedes regni cœleſtis, quas accepturi erant, ſi fidem ſervarent: & ante judicium graviter, & gravius damnabit. Dei vinculis, id eſt, ſuperbia, & corde impœnitenti. Vel ſententia Divina, quæ eos in perpetuum coarctabit. Vel vinculis, cupiditas infimarum rerum, qua vincti ad ſuperiora reverti non poſſunt.* Nicolaus de' Lyra explicat verba relata, dicens: *Angelos verò, &c. Hìc ponitur ſecundum; ſcilicèt, caſus Angelorum, qui propter ſuam ſuperbiam dejecti fuerunt in hunc aerem caliginoſum ad bonorum exercitium, ſed finito hoc exercitio, in die Judicii finalis retrudentur in inferno: & hoc eſt, quod dicitur: Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, id eſt, ſuæ conditionis nobilem ſtatum. Sed dereliquerunt ſuum domicilium, id eſt, cœlum Empyreum, in quo creati fuerunt, tamquàm in loco convenienti ſuæ naturæ, & ab illo dejecti fuerunt, ut dictum eſt. In judicium magni diei, &c. Conſtruatur ſic littera: Reſervavit, ſcilicet, Deus peccantes Angelos: Sub caligine, id eſt, in hoc aere caliginoſo ratione prædicta. In judicium magni Dei, id eſt, uſque ad tempus extremi judicii. Vinculis æternis. Dativi caſus eſt, quia tunc tradentur vinculis æternis, id eſt, in inferno retruſi.* Hucuſque Lyranus. Eſtius hæc habet: *Angelos verò, &c. Judas peccatum eorum per effectus deſcribit. Nam Angeli peccando per ſuperbiam non ſervaverunt ſuum principatum, id eſt, amiſerunt Angelicæ dignitatis honorem, ſicut exponit Œcumenius. Sed dereliquerunt ſuum domicilium.*

lium. Sive habitaculum. Id eſt, peccando cæleſtem habitationem, velut ſtationem honorabilem, in qua collocati fuerant, deſeruerunt. Nam erigentes ſe adverſus Deum per ſuperbiam, neque naturæ, neque loci primævum honorem conſervare potuerunt. In judicium magni diei. Magnum diem vocat, quem alibi Scriptura diem Domini, & emphaticè illum diem, id eſt, diem, ſeu tempus magni, & univerſalis Judicii. Nam quod in quibuſdam codicibus legitur: Magni Dei, mendoſum eſſe conſtat. Vincula æterna methaphoricè ſignificant Dei potentiam, qua tamquàm vinculis quibuſdam æternis, id eſt, numquàm ſolvendis, eos conſtringit, ac detinet, nè liberi ferantur quò volunt. Itaque ſenſus eſt: Dominus Jeſus Angelos deſertores ſimulatque peccarunt, de cælo præcipitatos, in locum caliginoſum, id eſt; in infernum detruſit, in quo velut quibuſdam vinculis, iiſque perpetuis, traditos, & adſtrictos ſervavit, ac ſervat, detinetque, dum ſibi ad judicium illud univerſale exhibeantur, coram toto mundo ſententiam ſuæ condemnationis accepturi. Menochius ait: Qui non ſervaverunt ſuum principatum. Vertunt aliqui: Suam originem, alii: Suam dignitatem, vel ſuum Magiſtratum. Quaſi dicat: Angeli non ſervaverunt ſuam originem, id eſt, originalem ſuam excellentiam, ſtatum, gratiam, juſtitiam, præeminentiam, & dominium inter res omnes corporeas, ut quaſi Principes dominarentur in cælo, & in terra, ad quod à Deo conditi erant. Dereliquerunt ſuum domicilium, Cælum Empyreum, è quo propter peccatum deturbati ſunt. In judicium magni diei, ad extremum Judicii diem, quo die etiam dæmones tamquàm rei, Chriſti Domini tribunali ſiſtentur, & damnationis perpetuæ ſententia ferientur. Sub caligine, in caliginoſis inferni locis. Reſervavit, cruciandos. Tirinus ita explicat: Angelos item, qui principatum, id eſt, originalem præcellentiam, in qua creati ſunt, puta gratiam ſanctificantem, qua conſtituebantur filii, & hæredes Dei, & Principes regni cæleſtis, non ſervaverunt, nempe Deo facti rebelles, eo exciderunt, & ſpoliati ſunt: unde & domicilium ſuum, tanto principatu dignum, puta Cælum Empyreum, in quo creati fuerant, coacti ſunt derelinquere, reſervavit in judicium magni illius diei, qui ſejunget æternum beatos à damnatis, Angelos à dæmonibus, vinculis æternis, & indiſſolubilibus Divinæ potentiæ ſuæ concluſurus eos ſub caligine, id eſt, in caliginoſo carcere inferni. Quòd ſi tam nobilibus creaturis apoſtatantibus, ſibi rebellibus non pepercit Deus, quantò minùs parcet viliſſimis homuncionibus, ſi à Deo ad juratos ejus hoſtes deflexerint? Apud Cornelium hæc explicatio ſequens invenitur: Angelos verò, &c. Quaſi diceret: Quantò magis puniet vos, ò fideles, ac in die Judicii coram toto mundo condemnabit, ſi ab ejus fide apoſtatantes, ad hæreticorum impietatem, & perfidiam deſciſcatis? Patet, Angelos omnes, etiam dæmones, primitùs creatos eſſe in gratia. Ex originali enim gratia, & juſtitia manabat originalis eorum excellentia, & dominium in res omnes. Tropologicè. Etiam Clerici ab ordine, & Religioſi à ſuo ſtatu apoſtatantes, relinquunt ſuum principatum, & quaſi è cælo in infernum corruunt, imò ultrò ſe præcipitant. Dereliquerunt, &c. Dereliquerunt autem non directè, & ſpontè, ſed indirectè, & coactè: quia enim ſponte dereliquerunt cæleſte vitæ inſtitutum, quo Deo adhærebant, & ſerviebant, hinc à Deo coacti ſunt relinquere cælum, cùm ex eo præcipitati ſunt. Ita OEcumenius. Unde Arabicus vertit: Dereliquerunt ordinem, ſeu conſtitutum officium ſuum. Verè Sanctus Auguſtinus Serm. 18. de verbis Domini ſecundùm Lucam: Sanctificatum (ait) eſt cælum, dejectus eſt diabolus. Et paulò antè: Cælum eſt, ubi culpa ceſſavit: cælum eſt, ubi flagitia non ſunt: cælum eſt, ubi nullum mortis vulnus eſt. Hinc liquet, Angelos creatos eſſe in Cælo Empyreo, licèt id nonnulli negent. Moraliter. Diſce, quàm omnis creatura, etiam Angelica, ſit inſtabilis, niſi à Deo confirmetur, & ſtabiliatur. Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Job cap. 4. 18. Rurſum hinc liquet, Angelos primitùs non fuiſſe beatos, nec vidiſſe Deum: ſic enim fuiſſent confirmati in gratia, nec potuiſſent cadere de cælo. Unde Sanctus Auguſtinus 11. de Geneſi ad litter. cap. 13. (ait) dæmonem numquàm guſtaſſe dulcedinem beatæ vitæ.

quam

quam (inquit) *non utique acceptam faſtidivis, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit. In judicium magni diei, puta diei judicii: hic enim erit dies magnus: quia magna in eo fient, ſcilicet, judicium univerſale, conſummatio mundi, deſcenſus Chriſti glorioſus cum omnibus Angelis, & Sanctis: diviſio bonorum à malis, glorificatio bonorum, & damnatio malorum in æternum. Hic ergo dies erit horizon temporis, & æternitatis, diſterminans in omne ævum Angelos à dæmonibus, beatos à damnatis, Paradiſum à gehenna. Vinculis æternis. Vel non propriis, ſed alienis, & coactis, vel, ut Syrus, incognitis, inviſibilibus, quæ, ſcilicet, videri nequeunt. Unde addit Judas: Sub caligine. Vincula hæc ſunt ſpiritualia, puta vis Divina eos detinens, atque obligatio, & alligatio eorum per illam ad carcerem, gehennam, & pœnam æternam. Huic enim Deus ita eos alligavit, & adſtrinxit, ut eam nuſquam, & numquam excutere, vel evadere queant: ideòque vocantur æterna, quia licèt dæmones uſque ad diem judicii permittuntur in hoc aere verſari, & tentare homines, tamen ipſi quocumque vadant, hanc obligationem, & alligationem, adeòque ipſam ſuam pœnam, & incendium, tamquam mancipia catenam ſuam, circumferunt. Sub caligine, &c tum aeris caliginoſi hujus, tum potius inferni, & tartari. Caligo, nox, ſignificat quoque infernum, quia in eo eſt denſiſſima caligo, perpetua, & æterna nox: aliqui enim dæmones verſantur in inferno, alii in hoc aere. Unde Patres docent, aerem hunc eſſe plenum dæmonibus. Ita Sanctus Auguſtinus 11. de Civit. 33 Sanctus Fulgentius lib. 1. de Trinit. & alii paſſim. In vita Sancti Emmerami lib. 2. narratur, tantam eſſe dæmonum in aere multitudinem, ut cuidam viro Sancto revelatum ſit, eos, ſi haberent corpora noſtris æqualia, ſplendorem ſolis mortalibus intercepturos. Reſervavit. Sanctus Judas tò reſervavit refert ad illud: vinculis æternis, quaſi diceret: Reſervavit eos ad vincula æterna, quibus in die judicii eos vinciet, & compinget in carcerem, & ignem æternum. Hinc moraliter nota, quanta ſit miſeria, & infirmitas dæmonum, quòd, nimirum, quaſi rei, catenati ſint, ac proinde quaſi canes ligati, nos invadere, & mordere nequeant, niſi ultrò in eorum rictum, & ungues nos injiciamus, uti docet Sanctus Auguſtinus Serm. 197. de Temp. & Tertullianus de habitu muliebr. cap. 2. Hi ſunt,* ait, *Angeli, quos judicaturi ſumus. Hi ſunt Angeli, quibus in lavacro renuntiamus. Hæc ſunt utique, per quæ ab homine judicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud judices ſuos rei eorum? Quod eſt commercium damnaturis, cum damnandis. Qua conſtantia tribunal aſcendemus decreturi adverſus eos, quorum munera appetimus?* Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba prædicta.

UT ſimus oves ſtatutæ à dextris Jeſu Chriſti Supremi Judicis in die Judicii finalis, & nè ſimus ex hædis ſtatutis à ſiniſtris, qui audient Judicem Summum Regem Regum, & Dominum dominantium ſibi dicentem: *Diſcedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*. Memoremur benè, quoniam idem Jeſus Salvator noſter Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit. Hæc audientes, audiamus, & horreamus, ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Sic horrore peccati, talia etiam in Angelis operantis, ducti, non peccabimus: & de commiſſis jam peccatis dolentes, ac facientes fructus dignos pœnitentiæ, non erimus in Judicii die hædi à ſiniſtris prædictam ſententiam audientes, ſed oves erimus à dextris ſtatutæ Judicis Superni dicturi prædeſtinatis, & ad dexteram ſuam collocatis ovibus: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Quàm benè locutus eſt Doctor Mellifluus Sanctus Pater noſter Bernardus (Patrem appello noſtrum, quia apud Claram-Vallem educavit Sacrum Patriarcham meum Felicem de Valois Galliæ Principem, ac legitimum illius Coronæ hæredem, præterquàm quod mea Religio Diſcalceata in die ipſius Sancti Abbatis fuit inſtituta, & erecta) dum ſerm. 1. de Adventu dixit cuilibet noſtrûm:

Si

Si ſuperbientibus Angelis Deus non pepercit, quantò magis tibi putredo, & vermis? Utique judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa. Juſtus eſt Dominus, & rectum judicium ejus. Judicia ſua abyſſus multa eſſe cognoſcantur, quando tertia pars magni exercitus Angelorum deſcendit præceps in infernum ob unum mortale peccatum. Terminus eorum culpæ fuit etiam terminus eorum viæ, nec illis eſt conceſſum ullum tempus, ſive ſpatium pœnitentiæ. *Videbam Satanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem*, dixit in Sacro Euangelio Dominus. Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer? Deſcendit profectò, eum impellente Divina ſententia, illum cum ſociis, propter unicum peccatum grave ſolius cogitationis ab ipſis omnibus commiſſum, & in ipſis peſſimè admiſſum, damnante. Sic miſeri non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium. Si hoc accidit vaſis aureis, quid fiet, vel potius quid non fiet de fictilibus, & teſtaceis, repertis immundis, fœtoribuſque repletis? Leges humanæ, ſi nobiles delinquentes non abſolvunt, tamen nobilibus reſpectu vilium hominum, & mancipiorum, pœnarum rigorem minuunt. Eſt jam in populis admiſſum, quòd excellens in arte non debet mori: Itaque frequenter excellentes in arte, alia pœna, quàm capitali afficiuntur, quia ad bonum Reipublicæ in arte excellens ſervatur. Non profuit Angelis apoſtatis, & rebellibus Deo, quòd fuerint nobiliſſimæ naturæ, nec quòd haberent ad omnes artes excellentiam, ut Deus juſtiſſimus illos eximeret à damnatione, & morte æterna, vel ſaltem eis minueret aliquomodò ſupplicia: & hoc fecit Deus juſtiſſimè, ut exemplo eorum punitionis nos fugiamus à perpetratione cujuſvis gravis criminis, & à malitia quaſi infinita omnis peccati mortalis. Permiſit Chriſtus Dominus, quòd ſuo pretioſiſſimo ſanguine terra perfunderetur, imò inebriaretur in horto præ ſudore ſanguineo, apud domum Pilati in cruentiſſima flagellatione, & ſpinarum coronatione, & in crucifixione apud Montem Calvariæ: permiſit quoque, quòd carnificum veſtes ſacro eodem cruore aſpergerentur, & tingerentur abundantiſſimè; ſed noluit idem mundi Redemptor vel minimam ſanguinis ipſius Sacratiſſimi guttam ſuo Æterno Patri offerre ad redemptionem Angelorum rebellium, cùm quælibet ſparſi cruoris guttula poſſet eſſe pretium ſufficientiſſimum pro ſolutione omnium debitorum illorum, quæ Angeli apoſtatæ contraxerunt ob ſuum grave peccatum ſuperbiæ; imò in odium peccati Luciferi,& ſociorum ejus elegit potiùs Salvator noſter, ſanguinem ſuum calcari, quàm illum ad redemptionē Angelorum apoſtatarum proficere: quia, ſi eos redemiſſet, non relictum eſſet nobis hoc validiſſimum, quod habemus nunc, Divinæ juſtitiæ, atque vindictæ exemplum; & in hoc Angelorum eventu habemus nunc utiliſſimum hoc experimentum, ut vel præ Dei timore vitemus totis viribus peccatum. Ad illud maximoperè vitandum hæ orationes ſequentes valdè juvabunt, & proderunt.

Oratio Officii Dominicæ ſextæ poſt Epiphaniam, quæ eſt prima Miſſæ illius.

P*Ræſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes; quæ tibi ſunt placita & dictis exequamur, & factis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.*

EXPLICATIO.

QUarè illa, quæ Deo ſunt placita, neque dictis, neque factis exequimur? Immò, quarè ea, quæ Deo diſplicent, in noſtris dictis, atque factis efficimus? Quare? Quia non ſemper rationabilia meditamur. Ex noſtra quidem incuria meditandi rationabilia, provenit, quòd non dicamus, neque faciamus recta, quæ Deo placent: atque etiam, quòd dicendo, & faciendo, patremus iniqua, quæ Deo diſplicent. Si rationabilium meditatio ſemper nos occuparet, teneret, & poſſideret; neque Deo diſplicеremus dictis, nec eſſent in nobis facta tanto Domino noſtro diſplicentia. Eja, Impo-

impoſterùm rationabilium ſemper meditationi vacemus, ut quæ Deo ſunt placita noſtris dictis, atque factis exequamur. Quid nobis rationalibus magis proprium, quàm ſemper ratione uti, ac numquàm ab his, quæ rationi ſunt conſona, diſcrepare, vel recedere? Nolimus fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: quia Deus, qui intellectum nobis dedit, & inſtruxit nos in via hac, qua gradimur, & firmavit ſuper nos oculos ſuos; ipſe Deus, inquam, in camo, & frœno maxillas eorum conſtringet, qui non approximant ad ſe: &, quia multa flagella peccatoris, appropinquemus Deo, & appropinquabit nobis: accedamus ad ipſum, & illuminemur: atque illuminati ab ipſo, ſemper rationabilia, ut rationales, meditabimur, ac ſic meditantes, quæ Deo ſunt placita, & dictis, & etiam factis feliciter exequemur. Faciamus quod rectum eſt coram Domino, & loquamur coram Deo recta, ſicut ſervus ejus Job. Exemplum accipiamus laboris, & patientiæ nos, qui ſufferentiam Job audivimus, & finem Domini vidimus, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſereator. Finis, quem in Job intendit Dominus, fuit, ut Dominus benedixerit noviſſimis Job magis, quàm principio ejus; ſiquidem addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. Quare? Quia Job erat vir ſimplex, & rectus, & recedens à malo. Ecce quomodò Job exequebatur quæ ſunt Deo placita, factis. Job etiam dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Paſſus eſt Job à diabolo, & ab hominibus vexatus magnos labores; ſed in omnibus his non peccavit Job labiis ſuis, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. Ecce quomodò exequebatur Job dictis quæ ſunt placita Deo. Non locuta ſunt labia Job iniquitatem, nec lingua illius meditata eſt mendacium, ſicut ipſe promiſit. Juſtificationem ſuam, quam cœpit tenere, non deſeruit: neque enim reprehendit eum cor ſuum in omni vita ſua: & hoc ideò, quia quoad cogitationes, quoad verba, & quoad facta, ut placeret Deo, ſemper meditatus eſt rationabilia. Ergo, qui ſufferentiam Job audivimus, & finem Domini vidimus, & habemus eumdem Deum, ſimilemque (vel majorem, quia vidimus Chriſti, & Sanctorum exempla) obligationem habemus erga noſtrum bonum Dominum; in manſuetudine ſuſcipiamus inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas noſtras: & ſimus factores verbi, & non auditores tantùm: quia beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Utinam dirigantur viæ noſtræ ad cuſtodiendas juſtificationes Domini. Tunc non confundemur, cùm perſpexerimus in omnibus mandatis Dei nos ipſi, qui cognoſcimus, quàm ſint rationabilia, ut ſemper meditemur ea: & conſequenter cognoſcimus, quòd diligere debemus mandata Domini ſuper aurum, & topazion, ac propterea debemus quoque ad omnia mandata Dei dirigi, & omnem viam iniquam odio habere. Sic fiet manus Domini noſtri, ut ſalvet nos, quoniam mandata ſua elegerimus. Si, ut ſervi, ejuſdem cuſtodierimus mandata, erit nobis in cuſtodiendis illis retributio multa: & erunt, ut complaceant eloquia oris noſtri, ſi meditatio cordis noſtri in conſpectu Dei fuerit ſemper. Sit igitur talis ad placendum Deo meditatio noſtri cordis, ut ſimul exibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum, ſemper rationabilia meditantes; & ſic Domino, qui eſt adjutor noſter, & Redemptor, verbo, & opere ſine omiſſione ſervientes, quæ illi ſunt placita & dictis exequamur, & factis.

ORATIO SECRETA.

H*Æc nos oblatio, Deus, mundet, quæſumus, & renovet, gubernet, & protegat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

QUatuor petimus, per Dei gratiam, & donum, fieri nobis proficua ab oblatione hodie in Sacro Altari, dum

dum ab ipſa oblatione depoſcimus mundari. & renovari, gubernari quoque, ac protegi. Duorum primorum comparatio aget, ut duorum ſequentium ſimus compotes faciliùs, ac ſic quatuor petita obtineamus. Ideò priùs flagitamus mundari, & renovari; poſteà gubernari, & protegi. Gubernio utili proteget, ac protectione nobis commoda gubernabit nos Sacra Hoſtia, vel Altaris oblatio, quæ anteà fecerit nos ipſos, & mundos, & renovatos. Videtur, quòd oblatio ſancta gubernare, & protegere dedignabitur, quos viderit eſſe in culpis ſordidos, & in peccatis vetuſtos. Præeat ergo munditia ſimul cum renovatione, ut digni inveniamur, qui gubernemur, atque ſimul ab Altaris oblatione protegamur. Quia magnæ nobis utilitatis eſt talis gubernatio, & protectio, in magno etiam pretio habere debemus munditiam, & renovationem; quæ, ut gubernati, & protecti ſimus, nos præparant, & noſtrum gubernium, & protectionem facilitant. Non repugnemus mundari, & renovari nos, quorum intereſt & gubernari, & protegi: & qui ſine gubernio periclitantes errabimus, ac ſine protectione ſuccumbentes deficiemus; ad mala vitanda ex defectu gubernationis provenientia, & capeſſenda bona ex eo, quòd gubernati, & protecti ſimus, emanantia, amemus munditiam, & renovationem, nos ad gubernium, & protectionem diſponentes, ut mundati, & renovati, ſimulque à ſacra oblatione & gubernati, & protecti, de malis devictis, & ſuperatis lætemur, atque de bonis obtentis, & adquiſitis gaudeamus.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

E*T exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

CObrnelius à Lapide ait: *Beata Virgo admirans ſpiritu, Dei in ſe incarnati Divinam poteſtatem, ſanctitatem, juſtitiam, benignitatem, beneficentiam, exultat, & præ gaudio geſtit, & jubilat. Sicut ſummum beneficium hìc Conceptionis Verbi Beatæ Virgini fuit collatum, ita ſumma ipſius de eo fuit exultatio, ut præ gaudio ſpiritus ejus è corpore exilire, & in Deum tranſilire videretur, ac fortè re ipſa exiliiſſet, ni Deus illum in corpore ſua vi conſervaſſet. Sic enim ipſa poſt aliquot annos moriens, non morbo, ſed amore, gaudio, & deſiderio videndi Filium ſuum, coque fruendi, mortua eſt, utì ſentiunt Suarez, Caniſius, à Caſtro, aliiſque graves Theologi. In Deo ſalutari meo. Syrus vertit: In Deo vivificatore meo, qui, ſcilicèt mihi, omnibuſque fidelibus vitam, id eſt, libertatem, gratiam, & gloriam contulit, vel conferet: hæc eſt enim ſalus noſtra, quam Chriſtus nobis attulit. Meo propriè, primò, quia Jeſus meus eſt Filius: ſecundò, quia idem meus eſt Salvator, tum, quia me præ cæteris ab omni peccato præſervavit, omnique gratia cumulavit; tum, quia fecit me ſalutis omnium hominum mediatricem, ut ego omnium ſalvandorum ſalutis quaſi cauſa ſim, & mater.* Maldonatus ſic explicat: *Et quod dixerat priùs, magnificat, dicit nunc, exultavit, id eſt, gaudio exultans laudavit. laudat enim Deum qui gloriaus prædicat, quantum ab eo acceperit beneficium. Hoc eſt, quod ait: Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, poſito, ut opinor, ex Hebræorum conſuetudine præterito pro futuro. Exultabit ſpiritus meus, quaſi dicat: Non me ipſam, quaſi meruerim, ſed Deum laudabit anima mea, in eoque gaudebit, atque lætabitur, ab eo ſe fatebitur tantum accepiſſe beneficium. Sicut dixit David: In Domino laudabitur anima mea, id eſt, Domino, non mihi hoc acceptum feram. In Deo ſalutari meo. Priùs vocavit Dominum, quod potentiæ nomen eſt, ut indicat Divus Paulus I. ad Corinth.* 8. 6.

Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Nunc vocat Deum ſalutarem ſuum, id eſt, Salvatorem meum, quod nomen eſt beneficii. Indicat, Deum, & potuiſſe, & voluiſſe ſeſe ſalvare. Unde (inquit Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici) utrumque profeſſa eſt, & Dominum, & Salvatorem, ut pro poteſtate, qua omni ſuæ creaturæ dominatur, jurè metuendum oſtenderet: pro bonitate verò, qua miſericorditer quoſdam ſalvat, dignum dilectione demonſtraret. Cardinalis Toletus dicit: *Tunc magnitudo Dei, virtuſque ipſius magis agnoſcitur, cùm naturæ humanæ imbecillitas conſideratur. Animadvertebat enim Beata Virgo, quæ propriæ naturæ erant, & tunc immenſam potentiam Dei, quæ tam admirabile opus in ea effecerat, apprehendens, dicebat: Magnificat anima mea Dominum: At, dum ſe Spiritu Sancti gratia plenam contemplabatur, & per hanc Filium Dei concepiſſe cognoſcebat, ejus ſpiritus exultabat, & gaudebat. Exultat in Deo ſalutari ſuo, quia quòd Deum concepiſſet, qui ad ſalvandum venerat, gaudii materiam miniſtrabat; exultabat & in adventu Salvatoris, & in eo, quòd venientem conceperat. Eſt autem verbum exultandi, gaudii concepti magnitudinem, & vehementiam exprimens.*

Pro: *Benedictus.*

VErſio Syriaca eſt: *In domo David ſervi ejus.* Perſica: *De familia Davidis ſervi ſui.* Alia Perſica. *Suſcitatum fecit pro vobis cornu ſalutis in domo, &c.* Textus Æthiopicus ait: *Erexit nobis cornu redemptionis noſtræ, è domo David.* Sanctus Cyprianus legit: *Excitavit cornu, &c.* Sanctus Hieronymus: *Erexit cornu nobis ſalutis noſtræ.* Cajetanus ex Græco: *Erexit cornu ſalvationis, &c.* Simon de Caſſia ait: *Erectum eſſe cornu ſalutis in domo David, aſſerit Zacharias, & novo loquendi genere, monſtrat adeſſe ſalutem. Et velamentum eſt in oratione verborum, quod ſtatim auferetur, cùm tranſimus in Chriſtum. Cornu quaſi os eſt, & diſcreta origine, ab aliis oſſibus procedere, perſpicuum eſt: quoniam cætera corio, & carne velantur, cornu verò carnem excedit, præter corium, & ſupra corium ſe protendit, & alicui animali præterquàm in capite, non apparet. Arma ſunt animalium cornua in capitibus orta. Cornu ſignificatur regia poteſtas: quoniam in veteri teſtamento oleum, quo ungebantur reges, ferebatur in cornu: juxta quod dictum eſt Samueli, cum reprobatus eſſet Saul: Imple cornu tuum oleo, & mittam te ad Iſai Bethleemitem, providi enim in filiis ejus mihi regem. Quod Samuel uſquequaque perfecit. Proinde cornu erectum in domo David, eſt regia Chriſti poteſtas, qui ſecundùm carnem de lumbis David, Scriptura tradente, genealogia diligenter inſpecta (ut Matthæus, & Lucas commemorant) mundo natus apparuit. Erecta eſt Chriſti poteſtas, quoniam omnis depreſſa erat potentia Judæorum, quibus omnis ſpes ſalutis erat adempta, niſi redderetur per Chriſtum, & omnis humana poteſtas malè peſſundata vitiis ſubjacebat, quamquam etiam humano faſtu Romana eſſet diffuſa per orbem. Nulla prorſus eſt erecta poteſtas, niſi erigatur ſuper vitia, niſi ad cœleſtia ſublevetur. Nempe depreſſa erit omnis poteſtas, in moribus nequiter ſubjecta dæmonibus, poſt hanc vitam ſuis includenda carceribus. Quæ regalis hominum, quæ imperialis poteſtas mortalium, quæ nec ſe ipſam, neque ſubditos poterat à poteſtate tartarea liberare? Sed Chriſto, ut Dei Filio, quamvis eſſet ab æterno ſumma poteſtas, in plenitudine verò temporis erecta dicitur in domo David: ex cujus ſemine per incorruptam Virginem factus eſt homo ſecundùm carnem, antiqua promiſſione nunc tradita veritati, cum ſibi legimus: Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus: & iterum: Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit. Et alibi dictum invenimus: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Hucuſque ſunt verba Simonis de Caſſia. Gloſſa Interlinealis ſuper verba: *Erexit cornu, &c.* ait: *Id eſt firmam celſitudinem ſalutis. In domo, quia de Judæis naſcetur. David: De ſemine David natus.* Beda in Gloſſa Ordinaria: *Per cornu, quod carnem excedit, cùm omnia oſſa carne tegantur, regnum Chriſti ſignificatur, quo mundus, & gaudia carnis ſuperantur. In cujus figuram David, & Solomon cornu*

olei

Digitized by Google

olei ſunt in regni gloriam conſecrati, ut priùs Saul lenticula. Cornu, id eſt, Chriſtum, quia cornu nec caro, nec os. Sic Chriſtus nec caro tantùm, nec os tantùm divinitatis. Gloſſa moralis ſic explicat: *Erexit cornu ſalutis nobis in ſua Reſurrectione, & Aſcenſione. In domo, quia de illa domo natus fuit.* Nicolaus de Lyra ita interpretatur: *Erexit cornu ſalutis nobis, id eſt, virtutem conſequendi ſalutem æternam: & hoc fecit in ſua Reſurrectione, qua reſurrexit ad vitam immortalem, educens Patres Sanctos de limbo inferni, detentos ibi: & ſua Aſcenſione, qua illos ad cœleſtia introduxit. In domo David pueri ſui. Quia iſta adimplevit Chriſtus in carne aſſumpta de domo David.* Eſtius ait: *In domo, &c. id eſt, in familia David ſervi ſui.* Menochius dicit: *Et erexit, &c. Cornu Hæbraica phraſi potentiam, florentem rerum ſtatum, & regnum ſignificat: erexiſſe hoc cornu dicitur Dominus, quia nimirum dejectum erat priùs, & afflictum. In domo David, in familia David, cui regnum promiſſum erat.* Tirinus ait: *Cornu, id eſt robur, potentiam, gloriam, ſalutis, ſcilicet, operatricem, erexit nobis per Meſſiam: quaſi dicat: Potentiſſimum, & glorioſiſſimum regnum Iſraeliticum, quod olim ſub Davide mirificè floruit, ſed jam concidit, rursùs per Meſſiam Davidis filium inſtaurabitur, & longè majori ſplendori reſtituetur. Ita Theophilactus, Euthymius, & Beda. Metaphora cornu deſumpta eſt à cornutis animalibus, quorum omnis potentia, & gloria eſt in cornibus.* Cornelius à Lapide, in ſequenti explicatione ſe monſtrans verè Cornelium, dicit: *Nota: Cornu per Catachreſin in Scriptura ſignificat robur, potentiam, victoriam, gloriam, & conſequenter regnum: omnis enim gloria, & robur animalium cornutorum, ait ex Chryſoſtomo Theophylactus, conſiſtit in cornibus. Hinc Sanctus Cornelius Pontifex, & Martyr, pingitur cum cornu, & ab eo nomen accepit, quia cornea fortitudine reſtitit Decio Imperatori acerrimo perſecutori, totamque Eccleſiam Romanam ad reſiſtendum induxit: itaque de eo per martyrium glorioſè triumphavit. Quarè corneum ejus robur mirè dilucidat Sanctus Cyprianus Epiſt. 1. ad Cornelium. Senſus ergo eſt, quaſi diceret Zacharias: Deus cornu ſalutis, id eſt, ſalutiferam potentiam, & gloriam regni Iſraelitici, quæ olim ſubigendo hoſtes Chananæos, Philiſthæos, Moabitas, &c. tempore Joſue, Davidis, & Salomonis floruerat, jam verò conciderat, rursùm per Chriſtum Davidis filium erexit, cornu, inquam, non temporale. Alludit ad Ezechiel. 29. 21. In illa die pullulabit cornu Domus Iſrael. Ita Theophylactus, Beda, Euthymius, Janſenius. Maldonatus, & alii. Hinc patet, cornu ſalutis eſſe ipſum Jeſum Chriſtum Salvatorem, ejuſque potentiam, victoriam, & regnum: hic enim ſalutem robuſtam devictis dæmonibus, cæteriſque hoſtibus, attulit Iſraeli, totique mundo: Chriſtus enim è domo, id eſt, ex familia, & ſtirpe David prognatus eſt, juxta illud Annæ: Dominus dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. 1. Reg. 2. 10. Et illud Davidis: Illuc producam cornu David. Pſalm. 131. 17. Origines ſuper illud Iſaiæ 5. 1. Vinea facta eſt in cornu, id eſt, inquit, Eccleſia plantata in Chriſto.*

Pro: *Nunc dimittis.*

JOannes Maldonatus ait: *Quidam ſic exponunt, non quaſi de tempore præſenti loquatur, dicatque ſe jamjam de vita migrare; nec enim, cùm hæc diceret, animam agebat: ſed quaſi jam mori ſibi tranquillo animo liceret. Tamquàm ſi diceret: Quandocumque tibi placuerit ſervum tuum ex hac vita dimittere, in pace dimittes, cùm viderim oculis meis Salvatorem tuum. Non improbo, ſed alium ſenſum, quem Cyprianus in libro de Mortalitate, & Euthymius in Commentariis indicant, magìs probo. Promiſerat Simeoni Deus, fore, ut non antè, quàm Chriſtum vidiſſet, moreretur; quaſi poſtquàm vidiſſet, ſtatim moriturus eſſet. Hoc ergo cùm ſciret Simeon, etiamſi tunc non moriebatur, tamen, quia ſtatim ſe moriturum credebat, tamquàm moriens, præſenti uſus eſt tempore: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine. Dubium, ad quem verba hæc dirigantur, id eſt, quem Simeon Dominum vocet? Theophilactus hoc loco, & optimus auctor ſui temporis Algerus lib. 2. de Sacramento, cap. 1. ad Chriſtum referri, putant.*

Hinc enim probant, Simeonem Chriſti Divinitatem cognoviſſe, quod Dominum eum appellaverit. Melius alii Auctores ad Patrem referunt, à cujus Spiritu reſponſum Simeon acceperat, non viſurum ſe mortem, niſi prius Chriſtum Domini videret. Cardinalis Toletus ſic explicat: *Senſus eſt: Nunc morior contentus, & lætus, ut promiſiſti mihi, Domine. Loquitur in tertia perſona de ſe, ſervum ſe Dei appellans: mortem autem verbo dimittendi ſignificat: nunc, inquit, dimittis me ab hoc ſæculo in pace quietum, deſiderio meo completo, ſecundùm verbum tuum, id eſt, ut mihi promiſiſti, nempe, me non viſurum mortem, nec dimittendum ab hoc ſæculo, niſi viſo Chriſto. Vidi quod optabam, implesti quod promiſiſti, lætus, & contentus dimittor. Annotandum eſt, convenire Doctores, hanc dimiſſionem eſſe ſolutionem à corpore per mortem temporalem, quam ſibi jam imminere ex Oraculo accepto noverat.* Cornelius à Lapide ait: *Tropologicè: Eccleſia quotidie in Completorio ſub veſperam hunc Simeonis hymnum decantat duabus de cauſis. Prior eſt, ut Fideles, ac præſertim Sacerdotes Eccleſiaſticos moneat cogitare de morte, itaque vivere, ac ſi veſpere eſſent morituri. Poſterior, ut moneat eoſdem induere deſiderium Simeonis, ſcilicet, tranſeundi ex hac vanitate, & vitæ hujus ærumnis ad veram, beatamque vitam in cœlis: ut quotidie hunc hymnum recitantes, poſtulemus à Deo dimitti, dicamuſquem cum Paulo: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Philipp.* 1.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita. & explicata.

DIvinam magnitudinem, etiam eam accidentaliter magnificans, celebravit ſuo Cantico Deipara Domina noſtra, ſimul exultans, & ſe exultaviſſe in Deo ſalutari ſuo, demonſtrans. Præ exultatione ſanè, quam ſentiebat, expiraſſet, niſi à Domino Deo noſtro mirè confortata, atque conſervata fuiſſet; Cornu ſalutis noſtræ fuiſſe à Creatore, & Salvatore noſtro erectum, Zacharias prædicat, & hac prædicatione tanti beneficii in nos clementer collati, Conditorem noſtrum beniſſimum magnificat. Se ſervum Dei Simeon optimo jure appellat, quando voti compos effectus, per brevem, & felicem mortem vitæ perenni appropinquat. Ergo reprehenſione merita carpemur à Dei Genitrice, à Zacharia, & Simeone, ſi fuerimus tepidi, & negligentes circa gratiarum actionem debitam poſt præceptam Sacram à Divino Altari Euchariſtiam. Deipara quidem totis viribus ferè uſque ad exanimationem exultans in Domino, frigiditatem noſtrorum affectuum arguit: Præcurſoris Divini Pater beneficium Verbi Incarnationis ardenter commemorans, noſtram Dei oblivionem nota ingratitudinis inurit: ac Senex juſtus Simeon, ut ſervum ſe Deo mancipans, & conſecrans, nos Divino obſequio recalcitrantes reprehendit. Agejam, ſaltem nè taliter arguamur, inuramur, & reprehendamur: explodamus á nobis tum geliditatem cordis, tum oblivionis originem, tum etiam antiquam placito Divino reluctationem. Imò adſit nobis, maximè de Altari Divinum panem, ſumentibus, pro priſtino frigore, ignitio;pro oblivione,jugisDei recordatio; ac pro priori reluctamine, perfecta noſtri ipſorum placito Divino traditio: ignitio, inquam, quæ æſtuantes Deum diligamus jugiter; recordatio, qua beneſicia Divina in mente taneamus firmiter; & traditio noſtri perfecta, per quam Deo ſerviamus ſideliter. Sic per illum æſtum gratiæ refrigerio abundabimus, per eam recordationem, Deum noſtri memorari, comparabimus, & per dictam plenam traditionem verè liberi, imopotiùs erimus regnantes, omnemque in Divino ſervitio conſolationem capientes. Quis igitur, cùm hæc ita ſint, impoſterùm non inhiabit conſequi, refrigerationem,inDei amore exardeſcens? quis non curabit, ut Deus ejus recordetur, per Domini ejuſdem ſui beneficiorum memorationem aſſiduam? & quis demùm non ſolicitabit veram libertatem, gerens officium perfectæ Dei ſervitutis, ut attendat plenæ adimpletioni omnis beneplaciti, & voluntatis ſui excelſi Creatoris? Omnia hæc bona pro nobis habet in votis noſtra Sancta Mater Eccleſia, dum nos

hodie

Digitized by Google

hodie poſt Sacram Communionem docet oratiunem ſequentem.

Oratio poſt Communionem.

COeleſtibus. Domine, paſti deliciis: quæſumus, ut ſemper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.

EXPLICATIO.

IN loco paſcue nos Deus collocavit, quandoquidem ille ipſe, qui Diviniſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pro nobis paſcendis inſtituit liberaliter; ut eo paſcamur, nos ad Catholicam Romanam Eccleſiam vocavit miſericorditer. In eadem Sancta Eccleſia per Sacratiſſimum Miſſæ Sacrificium tanto alimento, & aliis bonis donamur: & quia taliter nos Deus, & Dominus noſter per Communionem, & Miſſam regit, nihil nobis deerit, in quorum conſpectu menſam paravit adverſus eos, qui tribulant nos: & miſericordia ſua ſubſequetur nos omnibus diebus vitæ noſtræ: & ut inhabitemus in domo Domini in longitudinem dierum, qui in tali loco paſcuæ collocati ſumus, dat gratiam Euchariſticam propitius. Sic in menſa Altaris cœleſtibus paſti deliciis, rogamus Dominum, ut ſemper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus. Deliciæ Dei eſſe cum filiis hominum, maximè per Divinum Euchariſtiæ Sacramentum: & dilectus noſter, qui paſcitur inter lilia, indicavit nobis, ubi paſcat, ubi cubet in meridie, nè vagari incipiamus poſt greges ſodalium ſuorum; ut ab negantes noſmetipſos, tollamus crucem noſtram, & ſequamur eum: quia, ſi ignoramus nos, egrediemur, & abibimus poſt veſtigia gregum, deliciis fruentes, quibus amici Dei ex omni conditione, ſtatu, profeſſione, & officio fruuntur in Divino Euchariſtiæ Sacramento; paſti, quibus illi paſcuntur, deliciis; gaudentes quibus iidem gaudent, conſolationibus; ditatique, quibus ipſi præmiis ditantur cœleſtibus: dummodò gradientes nos per imitationem poſt ipſoſmet Dei amicos, eorum inhæſerimus veſtigiis, & illorum inſtructi ſimul, & accenſi evaſerimus exemplis. Verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos rogare Deum, ut ſemper ea, per quæ veraciter vivimus appetamus, qui in SacroAltari deliciis cœleſtibus paſti ſumus. Veraciter non vivit ille, qui vita gratiæ Divinæ non gaudet. O quàm multi habent nomen, quòd vivant, & mortui ſunt! Veraciter vivit, quem Chriſti gratia replet. Ergo quiſque noſtrum appetat gratiam, per quam veraciter vivit: & appetat Sacramenta, per quæ poteſt vivere veraciter. Appetat noſtrum quilibet ſacras, & cœleſtes delicias, quæ ſunt in Euchariſtica menſa: quia qui manducat Chriſtum & ipſe vivet propter eum, qui eſt via, veritas, & vita: veraciter ſiquidem vivit, qui dignè tantum Sacramentum accipit. Ipſe Dominus, qui eſt vera vita, Jeſus Chriſtus cibat nos pane vitæ, & intellectus: pane quidem vitæ, ut veraciter vivamus, & pane quoque intellectus, ut intellectum à Deo datum accipientes vivamus, & his cœleſtibus paſti deliciis, ea, per quæ veraciter vivimus, deſideremus, amemus, & appetamus. Jucunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper nos, ſi benè præparati Sacram Euchariſtiam acceperimus, ille ipſe Dominus, qui cibat nos pane vitæ, & intellectus: ut jucundi, & exultantes, (quia cœleſtibus paſti deliciis) qui taliter paſci per Miſſæ Sacrificium, & Sacram Communionem, cognoſcimus, ſupplices petamus à Deo, ut ſemper eadem gratiæ Divinæ auxilia, eadem remedia, eadem opportuna adjutoria, per quæ veraciter vivimus, appetamus: nam ſic appetentes, ampliùs deliciis cœleſtibus affluemus; & affluentes deliciis aſcendemus innixi ſuper dilectum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui notas nobis fecit vias vitæ, & adimplevit nos lætitia cum vultu ſuo, quand dedit nobis Sacramentum, in quo latet ſua cum Deitate ſimul, & humanitas, cùm in cruce lateret ſola Deitas. Ambo credimus, & confitemur: & ideo adoramus devotè laten-

latentem Deitatem, quæ ſub figuris, & accidentibus Euchariſticis verè latitat: noſcimus enim, quòd ibi pignus delectationum, quæ in dextera ſua ſunt uſque in finem, nobis donat. Sic profectò, ſi in juſtitia apparuerimus cum vultu ſuo, ſatiabimur, cùm apparuerit gloria ſua.

CAPUT DUODECIMUM

Pro Dominica Septuageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ Septuageſimæ. Qui quidem Textus eſt hic:

Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: *Cum illis fuerant extra ſtupra inquinatæ, propoſitæ ſunt exemplo*. Verſio Syriaca: *Judam, & Amura, &c. poſitæ ſunt ſub igne æterno, obnoxiæ judicio*. Arabica: *Mente, quæ ſimilis eſt menti eorum ſcortatæ, &c. factæ ſunt dignæ ignis æterni pœna*. Æthiopica: *Civitates conſociatæ illis, quæ ad exemplum earum ſcortatæ, ſectatæ ſunt eas in libidine ſcortationis, traditæ ſunt condemnationi earum*. La Haye ſic interpretatur: *Id eſt, extremè fornicatæ, extremam, ſcilicèt, & peſſimam libidinem exercentes, id eſt, extra debitum naturæ vas fornicatæ, maribus ſe commiſcuerunt. Factæ ſunt exemplum, &c. Alii: Factæ ſunt dignæ ignis æterni pœna: non enim hìc pœnas inferni ſuſtinuerunt, nec hìc cruciatæ ſunt igne æterno, ſed ob præpoſteram libidinem, ut habet Arabicus, factæ ſunt dignæ ignis æterni pœna, qua poſt incendium civitatem ſuarum affecti ſunt*. Hugo Cardinalis ait: *Oſtendit Sanctus Judas, quod Fideles Chriſtiani non debent imitari eos, qui Chriſtum negant, propter pœnam, quæ inde ſequitur. Monet, nè imitentur illos transferendo gratiam Dei in luxuriam. Quaſi diceret: Non ſunt imitandi, quia ex eorum imitatione ſequitur mors æterna. Suſtinentes, pœnam temporalem, ſcilicet, per quam non ſunt purgati, ſed illa pœna fuit eis initium ignis inferni. Iſti autem puniti ſunt igne temporali, quia exarſerunt igne libidinis: nec aliquod peccatum tantum habet ardorem, ſicut illud. Item, non ſolum igne, ſed ſulphure ſimul ſunt puniti, quia in illo peccato eſt vehementiſſimus fœtor. Et propter hæc duo, quæ ſunt in illo peccato, ardor, ſcilicet, & fœtor, dicitur illud peccatum eſſe exemplum ignis æterni. Ille enim ignis ardebit igne, & ſulphure, ſicut dicitur Apocalypſ. 21. 6.* Gloſſa ordinaria hæc habet: *Dederat Sanctus Judas exemplum damnationis eorum, qui ſolum Dominatorem negant, commemorato interitu infidelis populi, vel Angelorum erigentium ſe contra Deum: dat etiam exemplam pœnæ illorum, qui Domini gratiam transferunt in luxuriam, commemorans incendium Sodomorum. Exemplum ignis, id eſt, ſignificatio æternæ combuſtionis. Sicut exarſerunt igne libidinis, arſerunt igne temporali, qui temporalis non fuit purgatorius, ſed initium pœnæ, & ſignum futuri*. Nicolaus de Lyra dicit: *Hìc ponitur tertium exemplum. quod habetur Geneſ. 29. de civitatibus ſubverſis, & igne ſulphureo combuſtis propter habitantium fœditatem, in quibus vigebat vitium contra naturam, & hoc eſt, quod dicitur: Sicut Sodoma, &c. Finitimæ civitates, id eſt,* pro-

Digitized by Google

propinquæ duabus dictis. Simili modo exfornicatæ, id eſt, eodem vitio infectæ. Et abeuntes poſt carnem alteram, id eſt, inconvenientem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes. Factæ ſunt exemplum, id eſt, ſimilitudo, & figura. Pœnam ſuſtinentes incendii ſulphurei. Ignis æterni, ſcilicèt, gehennæ. Eſtius ait: *Hæ civitates erant Adamas, & Seboim, quas duas etiam Oſee Propheta nominat cap. 11. Omnium autem quatuor nomina repetuntur à Moyſe Deuteronom. 29. Nam quinta Segor, intercedente Loth, ſervata fuit, alioqui cum cæteris peritura. Geneſ. 19. Porrò civitates vocat eorum habitatores, id eſt, cives, incolas, aut certè civitates cum habitatoribus. Simili modo, Græcè: Simili cum illis modo, nempe, cum Sodoma, & Gomorrha. Significat enim Apoſtolus, civitates Sodomæ, & Gomorrhæ vicinas, ſimilia cum illis flagitia commiſiſſe: ideòque eadem pœna fuiſſe involutas. Ea flagitia denotat, dicens: Exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram. Quidam exfornicatas interpretantur fornicatas, ſtrupis inquinatas; compoſitum accipientes pro ſimplici. Verùm Sanctus Judas ſine dubio plus aliquid ſignificare voluit ea voce compoſita, ac parùm uſitata: nempe, fornicationem, quæ fiat extra, ac præter modum naturæ. De quo genere libidinis Sodomitas infamat Scriptura Geneſeos. Et hoc eſt, quod Apoſtolus, velut exponendo, ſubjungit: Et abeuntes poſt carnem alteram, ſive, ut quidam alii vertunt: Et ſecutæ ſunt carnem alteram. Non enim carnem alteram, ſive alienam dicit carnem quamlibet non ſuam, id eſt, non ſuæ uxoris, quomodò nonnulli interpretantur; quaſi peccatum adulterii hìc inſinuetur. Nam de adulterio nihil expreſsè meminit Scriptura civitatum illarum peccata recenſens. Sed carnem alteram intelligit carnem maſculam, quæ altera, vel aliena dicitur, quia quod ad generationem attinet, duo mares una caro eſſe non poſſunt, ſed tantùm mas, & fœmina. Proinde caro maſcula ſemper manet caro aliena reſpectu maſculæ. Sic exponit OEcumenius, & alii plerique, & eum ſenſum hiſtoria poſtulat. Nam Simoniani, atque Nicolaitæ Gnoſticorum parentes, hujuſmodi portentoſas, atque infandas libidines exercuiſſe leguntur; quos hìc notare voluit Apoſtolus. Dubium eſt, quò referendus ſit genitivus ignis æterni, utrùm ad exemplum, an ad pœnam. Si ad exemplum, ſenſus erit: Civitates illæ ſuſtinentes pœnam in Geneſi deſcriptam, ſcilicèt, ignis, & ſulphuris, propoſitæ ſunt in exemplum ignis æterni, id eſt, punitionis impiorum in igne æterno. Nam illarum civitatum tam horribilis pœna, fuit inſignis quædam figura gehennæ. Si referatur ad pœnam, ſignificabitur, illas civitates in eo, quòd ſuſtinent pœnam ignis æterni, propoſitas eſſe peccatoribus in exemplum.* Menochius hæc habet: *Exfornicatæ, id eſt, extremè fornicatæ, extremam, & peſſimam libidinem exercentes. Abeuntes poſt carnem alteram. Caro altera, vel, ut Pagninus vertit, aliena, eſt caro maſculi: nam præpoſtera cum ea libido, eſt aliena ab inſtituto, & uſu naturæ, quia incongrua, & inepta, imò adverſa generationi liberorum. Factæ ſunt in exemplum Divinæ ultionis, ut alii ab hujuſmodi ſcelere deterreantur. Ignis æterni, &c. Nam incendii illius veſtigia hodieque ſuperſunt, mare mortuum fumans, & exhalans bitumen, & ſulphur. Vel ignis æterni in inferno: peccatores enim illi Sodomitæ à temporali incendio ad æternum tranſmiſſi ſunt.* Tirinus ait: *Exfornicatæ, id eſt, extremè fornicatæ, ſeu extremam, ac peſſimam libidinem, puta præpoſteram, exercentes, & poſt carnem alteram, ſeu alienam ab inſtituto, & uſu naturæ, abeuntes, maſculi maſculis, & fœminæ fœminis, beſtiis, vel dæmonibus incubis, vel ſuccubis, ſe commiſcentes, factæ ſunt exemplum, ſeu publica Divinæ vindictæ oſtenſio, pœnam ſuſtinentes ignis æterni, partim, qui tunc de cœlo delapſus eſt, cujus etiam num in lacu Aſphaltite durant reliquiæ, partim, qui in inferno Sodomitas excepit, & torquebit in æternum. Ita Iſidorus Peluſiota.* Cornelius hæc habet: *Eſt hoc tertium exemplum, quo Simonianorum, & Gnoſticorum infames libidines, quibus æternum ignem intentant, perſtringit. Quo tacitè notat, eos inſtar Sodomitarum, præpoſtera, & infanda libidine ſe contaminaſſe. Exfornicatæ, id eſt, extremè fornicatæ, extremam, & peſſimam libidinem exercentes, ut omnem ejus modum,*

& men-

& menſuram exceſſiſſe, utque omnes corporis vires, omne ſemen, omnem ſanguinis, & vitæ ſuccum in fornicando exhauſiſſe videantur. Alii interpretantur: Exfornicatæ, id eſt, extra fornices, non cum meretricibus, quæ in iis proſtabant, ſed cum pueris domi fornicatæ ſunt. Abeuntes poſt carnem alteram. Syrus: Ambularunt poſt carnes alias. Mas enim, & fœmina in conjugio fiunt una caro ad generandam prolem, juxta illud Matthæi 19. 5. Erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. At mas, & mas non poſſunt fieri una caro ad generandum: ergo ſunt duo, &, ſi miſceantur, abeunt poſt carnem alteram. Igitur caro altera, vel, ut Pagninus vertit, aliena, eſt fœmina concubina, & meretrix: hæc enim altera eſt ab uxore legitima: vel potiùs eſt maſculus. Hujus enim caro, & præpoſtera cum ea libido, eſt aliena ab inſtituto, & uſu naturæ. Abeunt ergo poſt carnem alteram, cùm mares maribus, aut fœminæ fœminis, aut viri fœminis extra naturale vas præpoſterè commiſcentur. Factæ ſunt exemplum, id eſt, juxta Græcum, qui legit: Projectæ ſunt in exemplum, propoſitæ in oſtenſionem. Ignis æterni, &c. Primo, quia Sodoma, & Pentapolis cœleſti igni conflagravit, ita ut concremationis hujus veſtigia jugiter extent, & in perpetuum extituræ ſint, uſque ad finem mundi, nimirum deſolatio perpetua, ac mare mortuum, perpetim fumans, & exhalans bitumen, & ſulphur, quo conflagravit, nec piſces, aut vivum ullum admittens, quin protinùs eos enecet: poma, & fructus non alios producens, quàm vapidos, & cinereos, adeò, ut Sodoma præteriti incendii habeat ſpecimen, & futuri in gehenna vivum ſit exemplar. Ita Cajetanus. Citat enim Judas hiſtoriam incendii Sodomæ narratam à Moſe Geneſ. 19. ubi temporale tantùm ejus incendium, non æternum in gehenna, enarratur. Audi Strabonem lib. 17. Quòd illa regio ignita eſt, permulta ſigna afferunt: nam & petras exuſtas oſtendunt, & terram cineraleſcentem, & picis guttas ex petris diſtillantes, & flumina fœtida odore efferventia. Similia in Sodomitas etiam noſtri ævi Divinæ vindictæ exempla, quibus à Deo tonitruis, & fulminibus ſiderati, & in cineres redacti ſunt, videre eſt de Peruanis, & Mexicanis apud Ferdinandum Corteſium in Themiſtitan civitate pagin. 307. quin & Europæa funeſta non deſunt exempla. Celebris eſt illa Sancti Hieronymi in Epiſtola ſententia: O ignis infernalis luxuriæ! cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia, cujus ſcintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. Secundò, ignis æterni, quia Sodomitæ omnes ab igne temporali tranſmiſſi videntur ad ignem æternum gehennæ. Unde Syrus vertit: Poſitæ ſub igne æternitatis, rei judicii. Et Arabicus: Cùm projicerentur in ignem æternum per judicium juſtitiæ. Ita Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt 203. Cogitent ergo luxurioſi, cogitent hæretici, cogitent peccatores, dum eos libido, aut concupiſcentia quælibet ad peccatum ſolicitat, ignem Sodomæ, imò ignem gehennæ: cujuſque metu cupiditati reſiſtant. Ignis enim modicæ concupiſcentiæ luendus eſt igne perenni gehennæ. Audiant intonantem Iſaiam cap. 33. 14. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? & Sanctum Chryſoſtomum homilia 44. in Matthæum. In ignis (inquit) fluvium, atque pelagus intruduntur, pelagus impertranſibile, atque magnitudine acerbiſſimum, in quo ignei fluctus montium inſtar eriguntur. Et homilia 13. in Epiſtolam ad Romanos: Expendito vitæ alterius mala, quæ ſint futura, regni cœlorum privationem, à gehenna inuſtum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, preſſuram loci anguſtam, igneos fluvios, fornaces numquam extinguendas. Et Sanctus Gregorius 14. Moral. 10. agens de Sodoma: In ipſa, ait, qualitate ultionis notavit maculam criminis: ſulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem, qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul igne, ac ſulphure perirent. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba prædicta.

SIgnum amoris erga nunc navigantes, ac etiam erga poſteà mare navigaturos, eſt ſcopos, ubi naves aliquæ ſunt perditæ,

ditæ, & in pelagi profundum barathrum detruſæ, notare, præfigendo arenæ, aut ſaxis malum navigii perditi, eo pacto,ut malus non ex toto ſub aquis abſcondatur, & occultetur, ſed ex parte à nautis poſſit perſpici, utique ut per ejus conſpectum prora dirigatur ſecurè, & ſic poſſibile ſit pericula valdè imminentia vitare. Intelligamus, quòd in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuamus, quàm per terram ambulamus, ut ajebat Sanctus Pater noſter Bernardus. *In ſalo hujus vitæ circumſtantibus agitamur procellis*, dicit Sanctus Auguſtinus. *O quot periere in iſto Euripo animæ!* exclamat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Innoxiè, & ſecuriſſimè navigavit pelagus ſæculi hujus Sanctus Apoſtolus Judas Thaddæus: & qui navigavit mare, enarrat pericula ejus. Enarrabat verbo, dum prædicaret, oſtendens damnationem impiorum: enarrat nunc in ſua Epiſtola, demonſtrans pœnas, quas incurrerunt Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates propter ſua horrenda peccata, quaſque etiam incurrunt, qui peſſimos habitatores civitatum dictarum imitantur. Sciebat Apoſtolus Sanctiſſimus, & nunc meliùs ſcit, quòd plectuntur quidam, ut ceteri corrigantur, ut docuit Sanctus Cyprianus, & quòd cæditur canis, ut paveſcat leo, ut dicit Sanctus Ambroſius. In bonum noſtrum igitur, & amore noſtri motus, & ductus, perditionem iniquorum refert, & notat Sanctus Thaddæus, ut videntes oculis fidei, & conſiderationis malum, quod indicat damnationem eorum, fugiamus malum, & recedamus à via mali, ſaltem timore ſupplicii. Sed inter hæc etiam eſt conſiderandum, quòd civitates finitimæ, & propinquæ Sodomæ, & Gomorrhæ ſimili modo ſunt exfornicatæ, ideòque illæ quoque, ſicut Sodoma, & Gomorrha, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. O quomodò malæ ſocietates, non ſolùm attrahunt homines ad peccatum, verùm etiam pertrahunt in infernum! Aſſociant damnati in tormentorum perpeſſione eos, quos ſunt imitati, atque comitati in crimine; illi miſeri juvenes præcipuè, qui ad malum perpetrandum, iniquis adjungi, & aſſociari voluerunt. Aliorum deglutierunt etiam condemnationem, dum avidè illorum hauſerunt iniquitatem; qui iniquitatem quaſi aquam bibunt, quando à ſociis peſſimis numquàm ſeparari volunt. Non attendat igitur homo ad temporales utilitates, quæ poſſunt fortè derivari à ſocietate iniqua, quando perſpicit, quòd malum culpæ, & malum pœnæ poſſunt ei provenire à tali verè noculenta ſocietate. Ideò Sanctus Hieronymus explicans verba Chriſti Domini: *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te*, ait: *Si*, inquit, *ita eſt quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & eſt utilis, atque ſolicitus, & acutus ad perſpiciendum, ſcandalum autem tibi facit, & propter diſſonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius eſt, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas: nè, dum vis lucrifacere cognatos, & neceſſarios, cauſam habeas ruinarum*. Huculque Maximus Doctor. Ergo fugiat contagionem criminum ille qui vult ſalutem juſtorum: & qui audit dicentem: *Cum perverſò pervertèris*, paveat ad conſpectum infirmitatis culpæ, quæ eſt cauſa mortis æternæ gehennæ. Hunc proficuum timorem habeamus, quando orationes ſequentes attentè Deo obtulerimus.

Oratio Officii Dominicæ Septuageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

P*Reces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi: ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.*

EXPLICATIO.

A Domino hodie quærimus, clementer exaudiri preces populi ſui. Sperat in Domino omnis Congregatio Chriſtiani Catholici Romani populi, & effundit coram illo corda ſua, dum ſciunt, quòd Deus adjutor noſter eſt in æternum,

Dominus, qui ſpiritum precum effudit, credimus, quòd propitius à nobis poſtulata concedet. Clementer preces exaudiet, qui nobis preces, quibus ipſum invocemus, ſuggerit. Dat clementer precandi ſpiritum: dabit etiam plebi ſuæ piæ petitionis effectum. Si Deus clementer nos exaudierit, benè expediti, ab ejus aula egrediemur conſolati. Qui benè expediri cupimus, tantùm, ut Deus clementer exaudiat preces noſtras, flagitamus; ſcientes, quòd idem erit Dominum noſtrum preces noſtras clementer exaudire, ac nobis ab eo poſtulata concedere; quia neſcit exaudire clementer, niſi quando beneficia, & favores dare vult miſericorditer. Ideò dicimus: *Ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur*. Hic eſt finis clementis exauditionis, quem intendimus: hanc liberationem cupimus, cùm, ab eo clementer preces noſtras exaudiri, poſtulamus. Aſſumimus proinde medium clementem Dei exauditionem (cùm deprecamur) petendi, ut finem liberationis ab iis, quæ meruimus ob noſtra peccata, valeamus lætantes conſequi. Juſtè patimur, juſtè pro peccatis noſtris affligimur; ſed Dei larga clementia ſcit piè ſolvere eos, quos ſevera juſtitia illius novit ligare: & Divina miſericordia ſolet nobis indulgere, quibus ipſius iracundia juſtè ſtatuerat parare, & infligere ſupplicia. Gloria erit nominis Dei nos liberare per miſerationem ab his, quæ ob peccata noſtra nos affligunt juſtè per Domini noſtri ſeveritatem nobis pœnas, quas meruimus, infligentem. Appetamus quidem indulgentiam nobis proficuam, ſed petamus eam, & cupiamus ad Domini noſtri gloriam: imò & deſideremus potiùs noſtram liberationem, ut ad Dei laudem illa proficiat, quàm, ut in commodum noſtrum, & utilitatem vergat. Sic plùs etiam nobis proderit noſtra hodierna ſupplicatio, in qua depoſcimus, preces noſtras à Deo clementer exaudiri, ut pro nominis Domini noſtri gloria miſericorditer liberemur, qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur.

ORATIO SECRETA.

Muneribus noſtris, quæſumus Domine, precibuſque ſuſceptis, & cæleſtibus nos munda Myſteriis, & clementer exaudi. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Quomodò Deus noſter munera noſtra, preceſque ſuſciperet, niſi donaret nobis munera, & preces quoque donaret? Quomodò vocaremus noſtra munera ea, quæ in Altari ſacro ſunt Deo à nobis oblata, & noſtras quoque appellaremus illas, quas in conſpectu tam magni Domini preces fundimus, niſi ipſe Dominus piiſſimus miſericorditer, & gratuitò dediſſet nobis quæ offerimus munera, & quas proponimus preces? A Deo utique nobis veniunt munera, quæ libamus, & preces, quibus depoſcimus. Hæc bona nobis proficua deſcendunt à Patre luminum, & potiùs ſunt ſua, quàm noſtra: ſed ipſe voluit, utpote beniguiſſimus bonorum omnium largitor, concedere nobis talia munera, taleſque preces, ut per illius magni Domini gratuitum, & liberaliſſimum donum poſſimus appellare noſtra ea, quæ verè ſunt ſua. Dei igitur dona ſunt noſtra munera, noſtræque preces, de quibus loquimur, cùm hodie dicimus: *Muneribus noſtris, precibuſque ſuſceptis*. Qui muneribus nos, ut ea ipſi offerremus, ditavit, etiam preces, ut illas ei poſſemus præſentare, impertivit. Si ſuſceperit munera, & preces; ſperamus, quòd cæleſtibus nos Myſteriis mundare, & clementer nos etiam volet abſdubiò exaudire. A' Deo mundati per cœleſtia myſteria, confidimus etiam, clementer fore exaudiendos à ſua Majeſtate Divina. Utinam nos mundet, ut exaudiat. Faxit ipſe, ut nihil in nobis inveniat ſordidum, quod clementem illius exauditionem præpediat, quando eum deprecamur. Appetamus igitur per cœleſtia Myſteria noſtram emundationem maximè Deo placentem, & nos ad clementem execuditio-

nem

nem Domini noſtri aptantem. Gaudeamus per cœleſtia myſteria mundati, ut Deo ſimus obſequentes, & placiti, atque ad hoc quoque, ut ab illo clementer exaudiamur, diſpoſiti. Felicia nobis munera, & felices preces erunt, quæ & quas, præſentaverimus Deo, & ipſe voluerit à nobis ſuſcipere, ſi motus per ſuam pietatem his muneribus, & precibus, dignatus fuerit nos cœleſtibus Myſteriis mundare, & clementer exaudire. Totum ipſi Deo adſcribetur principaliter (quamvìs etiam nobis præmium bonæ inclinationis liberi noſtri arbitrii, & voluntatis reſpondebit) ſi gratiæ noſtri Domini voluerimus cooperari, à Deo excitati, & moti: quando Deus ipſe voluerit munera noſtra, noſtraſque preces ſuſcipere, & his ſuſceptis, pius Dominus cœleſtibus Myſteriis nos mundare, & clementem exauditionem nobis dignatus fuerit concedere.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ET exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Nunc dimittis ſervum tuum Domine.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Pro *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Meritò igitur Beata Virgo, quæ ſe ſingulariter electam videbat, quia ſingulariter gratiam acceperat, quaſi privilegio quodam electionis Divinæ confirmata, fiducialiter ipſum, quem pro ſalute mundi Filium conceperat, ſuum etiam cum lætitia, & exultatione Salvatorem vocat.* Cornelius habet ſequentia verba: *Hac de cauſa Sanctus Cyrillus homil. 6. habita in Concilio Epheſino in ipſo Deiparæ Templo, ipſam nuncupat mundi gaudium. Sanctus Fulgentius Serm. de laudibus Mariæ: Ex Partu* (ait) *Salvatoris facta eſt Maria feneſtra cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen. Facta eſt Maria ſcala cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras; ut per ipſam homines aſcendere mereantur ad cœlos. Facta eſt Maria reſtauratrix fœminarum, quæ per ipſam à ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ. Vide Sanctum Ephrem Orat. ad Virginem, ubi inter cætera auguſta, & plurima, hæc elogia ei dat: Regina omnium, ſpes Patrum, gloria Prophetarum, Apoſtolorum præconium, honor Martyrum, lætitia Patriarcharum, cœtus omnium Sanctorum, Virginum Corona. Et inferiùs: Ave Dei ſplendidiſſimum vas. Ave ſtella fulgentiſſima, ex qua Chriſtus prodiit. Ave Canticum Cherubim, & hymnus Angelorum. Ave pax, gaudium, & ſalus mundi. Ave generis humani lætitia. Ave Patrum præconium, & Prophetarum decus. Ave Martyrum pulchritudo, & Corona Sanctorum. Ave piorum gloria. Ave præſtantiſſimum orbis terræ miraculum. Ave paradiſe deliciarum, &, immortalitatis. Ave lignum vitæ, gaudium, & voluptas. Ave vallum fidelium, & mundi ſalus. Ave progenitoris Adæ reſurrectio. Ave omnium parens. Ave fons gratiæ & conſolationis. Ave refugium peccatorum, & hoſpitium. Ave propitiatorium laborantium. An non ergo meritiſſimè exultet Beata Virgo in Deo Jeſu ſuo? Denique Beatus Joannes Damaſcenus manum, qua apologiam pro cultu Sanctarum Imaginum ſcripſerat, ſibi fraude Leonis Iſaurici Imperatoris Iconoclaſtæ amputatam, ac per Beatam Virginem miraculosè reſtitutam advertens, cecinit: Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, & in Matre ejus; quia fecit mihi magna qui potens eſt uti ex Joanne Jeroſolymitano narrat noſter Caniſius lib. 5. de Deipara, cap. 19. & alii.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Pro: *Benedictus*.

SImon de Caſſia ait: *O quàm erectum cornu ſalutis noſtræ, cùm ſemen David in Filio Dei ſedeat ſuper ſedem Alti Omnipotentis Dei! Omnifariè cornu ſalutis noſtræ erectum dicitur, cùm Dei Filius Davidica carne veſtitus, cœlos penetraverit, ſuperna conſcenderit, & à dextris ſedeat Altiſſimi Dei. Et velut cornu excedit carnem, & corium, ſic Chriſtus terram exceſſit, omneque cœlum, cui à Patre in cœlo, & in terra omnis eſt collata poteſtas. Hoc Anna prophetico ſpiritu longè antè prævi-*

 derat,

derat, dicens: *Dominus dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Erectum eſt cornu, ſublimatum eſt cornu.* Maldonatus hæc habet: *Cornu potentiam Hebraica phraſi ſignificari, nemo ignorat: quia, ut ait Theophilactus, quæ animalia cornuta ſunt, ea in cornibus totum ferè robur habent. Sic multi hoc loco accipi putant, & ego confirmo. Cornu igitur ſalutis appellatur cornu ſalutare, id eſt, Divina manus, atque potentia, quæ nobis ſalutem affert, ut Pſalm. 17. 3. Deus meus, adjutor meus, & ſperabo in eum; protector meus, & cornu ſalutis meæ.* Barradas inquit: *Hoc loco erigere cornu ſalutis, ſive cornu ſalutiferum, eſt, ſalutiferum robur, ac potentiam, adverſus hoſtes excitare. Erexit Deus cornu ſalutis, id eſt, Regiam Meſſiæ potentiam, fortitudinem, ac celſitudinem ſalutarem ad ſuperandum Satanam, & peccatum extulit. Simile illud eſt Ezech. 29. In die illa pullulabit cornu domui Iſrael, id eſt, robur, ac potentia.* Sylveira ſic interpretatur: *Apellat Propheta regnum Chriſti cornu ſalutis, & ait: Erexit, ſeu excitavit cornu ſalutis; quia, dum ſuis auxiliatus eſt, ejus regnum, quod quodammodò dejectum videbatur, dum ſuis opem non ferebat per ſui Adventum; nunc verò quaſi erectum, & in ſublime poſitum fulget. Ita explicat Divus Gregorius lib. 1. Expoſit. lib. Regum, cap. 2. Theophylactus hìc ait:* Hoc regnum nobis erexit, & excitavit, dum contrivit omnes, qui oderunt nos, dæmones. *Secundò. Carthuſianus:* Erexit, dum nobis annuntiavit beatitudinem Regni cœleſtis. *Tertiò. Alii:* Erexit, dum pro nobis in Cruce paſſus eſt, *juxta illud Habacuc 3. num. 24. Cornua in manibus ejus. Quartò. Divus Bonaventura, & Hugo exiſtimant, Prophetam hìc loqui de Reſurrectione; ac ſi dicat: Viſitavit Incarnatione, redemptionem fecit Paſſione, erexit Reſurrectione. Erexit nobis, id eſt, ad utilitatem noſtram, vel nobis credentibus, & non aliis. 1. Petri 2. num. 7. Vobis igitur honor credentibus. Aliqui hæc verba connectunt cum illis: Salutem ex inimicis noſtris. De quo ibi ſermo erit. In domo David; quia Chriſtus ex familia David ortus eſt, & ei ſpecialiter facta eſt promiſſio de Chriſto.* Hucuſque habet Sylveira. Illi conſonat Toletus, qui ait: *Utramque ſignificationem, nempe, fortitudinem, & regnum huic cornu applicat Euthymius: nam in Chriſto erecta eſt fortitudo ſalutis; ipſe enim vicit, & ſuperavit inimicos noſtros, nobiſque virtutem ad eos devincendos ſuppeditat. Ipſe etiam regnum inſtituit æternum, qui Rex regum eſt, & Dominus dominantium, & regnare facit ſuos, & in hoc ſæculo per gratiam, & in æterna vita per gloriam conſummatam. Sicque de ſemine David ſurrexit Chriſtus, in quo regnum deperditum renovatum eſt, multò tamen auctius, perfectius, & durabilius, quàm illud fuit.* Sic Toletus.

Pro: *Nunc dimittis.*

SImon de Caſſia ſic explicat: *Dimittit Deus in pace ſervum ſuum, non idolorum, aut quorumlibet vitiorum, ſeu rerum temporalium ſervum, nec eum, qui temporalibus Dominis ſervit in peccatis; aut eum, qui in licitis actionibus infideliter ſervit; ſed ſervum ſuum, qui voluntatem ejus novit, & facit; qui nihil faciendum omittit; qui unum pro alio non poſtponit; qui, cùm omnia benè fecerit, ſe inutilem ſentit, & nihil ſe feciſſe judicat, penſans altitudinem præceptoris, & ſui deficientiam ſervientis; qui non contemnit ad verbum, nihil grave judicans, quod jubetur; cui nullum præceptum diſplicet; qui Domini placitum ſuum facit; qui, etſi non poſſit plenè perficere, quod jubetur, non ad impoſſibilitatem præcepti, aut indiſcretionem Domini hoc adſcribit, ſed ſuo defectus deputat, quod non fecit. Et hic eſt ſervus Domini, quem Dominus dimittit in pace.* Cornelius à Lapide ait: *Hinc videtur, quòd Simeon voti ſui factus ſit compos, ac paulò poſt mortuus: quarè pergens ad limbum, primus Adæ, Abrahæ, Moyſi, Davidi, Iſaiæ, cæteriſque Patribus ad Chriſtum ſuſpirantibus, lætiſſimum de eo nato, viſoque nuntium attulit; itaque mirifico omnes gaudio cumulavit. Porrò Simeon ſui voti à Deo factus eſt compos. Nam paulò pòſt in pace conquievit. Hinc Sanctus Epiphanius lib. de Prophetarum vita, & interitu cap. 24. Sanctum Simeonem inter Prophetas reponit, aitque: Vita functus eſt Simeon iſte quidem pluribus annis obſitus, pænè*

con-

conſectus: *nec tamen à ſacerdotibus poſtremum honorem conſecutus*, *humatus eſt*. *Cur autem id acciderit nullam affert cauſam*, *ſed ea putatur*, *quòd palàm Chriſti adventum annuntians*, *in ſe ſacerdotum cæterorum invidiam*, *& odium concitarit*. Toletus hæc habet: *Annotandum eſt*, *Theophylactum*, *& Euthymium referre illud*: *Domine*, *ad Chriſtum*, *quaſi Simeon ad Chriſtum*, *loquatur*. *Quidam alii ad Patrem*. *At melius Athanaſius lib. de Communi Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti eſſentia*, *ad Spiritum Sanctum refert*, *à quo oraculum acceperat*, *id quod indicat illud verbum*: *Secundùm verbum tuum*. *Unde hoc loco probat Athanaſius Spiritus Sancti divinitatem*. *Verba ejus ſunt*: *Cùm induceretur puerulus in templum*, *& geſtaret eum in ulnis Simeon*, *reſponſum eſt ab illo*: *Nunc dimitte ſervum tuum Domine*, *ſecundum verba tua in pace*. *Igitur Spiritus Dominus & herus eſt*. *Hæc Athanaſius*. *Re ipſa ad Deum ipſum*, *qui Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus eſt*, *oratio dirigitur*, *cùm ſit conſubſtantialis Trinitas*: *tamen Spiritus Sancti perſona exprimitur*, *à quo acceperat reſponſum*, *non viſurum ſe priùs mortem*, *niſi videret Chriſtum Domini*. Ita Toletus.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

UT in gratiarum ſemper actione maneamus, ut à Dei numquam laude ceſſemus, & ut omne, quodcumque faciamus in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti faciamus, gratias agentes Deo, & Petri per ipſum (nam verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos Deo Trino, & Uni ſemper, & ubique gratias agere;) hodie audivimus Mariam Virginem, Zachariam, & Simeonem ſenem pronuntiantes Dei laudem. Laudem Domini loquatur os noſtrum, & benedicat omni caro nomen ſanctum ejus, quem laudaverunt Deipara exultans, Pater Baptiſtæ prophetans, &, juſtus Simeon morti lætus appropinquans. Itaque nos laudemus Dominum in eo lætantes, ad ſobrietatem ſapientes, & pro gaudio vitæ æternæ ſuſpirantes; laudemus, gaudentes in Domino ſemper; laudemus, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes; nolentes plus ſapere, quã oportet ſapere: & laudemus, cupientes diſſolvi, & cum Chriſto eſſe: laudemus Deum, mundanorum riſum reputantes errorem: laudemus, odientes ſæculi ſcientiam, quæ inflat, & diligentes eam charitatem, quæ ædificat; & laudemus, odientes malum, & adhærentes bonum: nobis autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo noſtro ſpem noſtram. Sic bene occupati erga Dei laudem, imitabimur Beatam Mariam, Zachariam, & Simeonem. Profuit Sanctiſſimæ Dei Genitrici laudibus celebrare ſalutem mundi; Zachariæ extollere elogiis Regnum Chriſti; & Simeoni applaudere virtuti Spiritus Sancti. Proderit quoque nobis verſari circa Deum, cum laude ejus magnitudinis, illiuſque erga nos beneficiorum, ut hic repleamur conſolatione, & paremur æternæ beatitudinì. His intenti, humili voto Deum adeamus, & fervidè, poſt Communionem ſequentem Orationem recitemus.

Oratio poſt Communionem.

FIdeles tui, *Deus*, *per tua dona firmentur*: *ut eadem*, *& percipiendo requirant*, *& quærendo*, *ſine fine percipiant*. *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*, *&c.*

EXPLICATIO.

PEr anchoras in mari naves ſecuræ redduntur, nè nutantes inter procellas miſerè pereant, & diſrumpantur: nè aquarum impetu, atque vi huc, & illuc deductæ in ſaxum impingant, aut in voraginem veniant. Pondus Dei donorum nos firmat, nè nutemus; detinet, nè vacillemus; ſtabilit, ne pereamus: & ideò hodie à nobis Deus noſter exoratur, ut fideles ſui per ſua dona firmentur. Æquum eſt, ut Dei dona nos in Dei ſervitio firment; nec fas erit, nos Dei donis repletos dege-

degere in alterius; quàm ipſius Dei, & Domini noſtri obſequio, ſervitio, & obedientia occupatos. Firmentur igitur fideles per Dei dona, novo utique Dei dono valdè iiſdem proficuo (quod quidem hodie depoſcimus à Deo ipſo) ut firmati non deficiant; ut non deficientes, ſemper ipſum Deum habeant: ut Deum habentes, lætentur; & ut in Deo lætantes, gloriam per gratiam adipiſcantur. Deſiderat Eccleſia, quòd Fideles Dei per Dei dona firmati, dona ipſa percipiendo requirant, & quærendo ſine fine percipiant. Quomodò ſunt requirenda jam habita Dei dona? Quæ eſt iſta donorum Dei perceptio, cum qua conjungitur donorum eorumdem requiſitio. Si jam per Dei dona ſunt Fideles ipſius Dei firmati, quo pacto ea ſunt percepturi, ut ea percipientes, valeant de novo requirere? Sanè firmati per dona Dei, non ſolùm ea percipiendo poſſunt requirere filii Eccleſiæ, ſed etiam eadem quærentes valent ſine fine percipere. Nam, ut Sanctus Auguſtinus ait, *melior, meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod & inveniendum quæritur, & quærendum invenitur: nam & quæritur, ut inveniatur dulciùs, & invenitur, ut quæratur avidiùs*: & ut dixit Sanctus Gregorius Magnus, *ſpiritales deliciæ, cùm non habentur, in faſtidio ſunt, cùm verò habentur, in deſiderio, tantoque à comedente ampliùs eſuriuntur, quanto & ab eſuriente ampliùs comeduntur. In iſtis appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpiritales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quantò magìs earum ſapor percipitur, eò ampliùs cognoſcitur, quod avidiùs ametur. Et id circo non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur.* Hucuſque Sāctus Gregorius. Ergo, ſi Fideles Dei (obtenta nova, quam hodie à Deo petimus, gratia) per dona Dei ipſius fuerint firmati, poterunt ea percipiendo, requirere, & quærendo, ſine fine percipere: quia ita in Deo firmabuntur, ut quærentes ſine fine percipiant ea dona æternaliter habenda, quæ à Deo (per ipſa dona firmati) curaverunt in hoc ſæculo ſemper percipientes requirere.

CAPUT DECIMUMTERTIUM

Pro Dominica Sexageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ: qui quidem Textus eſt hic:

Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt: majeſtatem autem blaſphemant.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: Et *hi inſomniis agitati, carnem quidem polluunt, in ſplendores maledicta congerunt.* Vatablus: *Deluſi inſomniis, &c. in gloria autem conſtitutos, maledictis inceſſunt.* Arias: *Et hi ſopiti, &c. dignitates blaſphemant.* Syrus: *Dominationem deprimunt.* Arabicus: *Sic illi dormiendi tempore ſecedentes, dominationi contradicunt, & in Deum gloriæ blaſphemant.* Æthiopicus: *Et abnegant Deum ſuum, & blaſphemant contra gloriam ſuam.* Gloſſa Interlinealis ſic interpretatur: *Similiter, & hi, ſicut ſodomitæ, ſicut damnandi, carnem quidem maculant, ſuam, vel aliorum, dominationem autem ſpernunt, ſicut populus non credens, majeſtatem autem, ideſt, Angelos ſanctos, blaſphemant, ſicut Angeli apoſtatæ.* Gloſſa ordinaria: *Dominationem, &c. in minoribus peccatis majeſtatem blaſphemantes, in criminalibus nolendo*

Digitized by Google

lendo humiliter confiteri, & pœnitere, nullum habentes timorem, vel fidem venturi Judicis. Hugo Cardinalis: *Carnem quidem maculant. Et eſt hic argumentum, quòd omnis hæreſis fundata eſt ſuper luxuriam. Dominationem, &c. hoc refertur ad populum incredulum; qui murmurando, quaſi ſpernebat Dominum, non credendo promiſſionibus ejus: quaſi diceret: Iſti Deum ſpernunt murmurando contra ipſum, ſicut illi fecerunt: propter hoc puniendi ſunt, ſicut illi: unde non ſunt imitandi. Et quod ſequitur: Majeſtatem, &c. refertur ad Angelos peccantes: ſicut apoſtatæ Angeli Deum blaſphemant, ſic iſti ſuperbiendo contra ipſum: & propter hoc pœna ſimili puniendi ſunt. Imitandi, & imitatores punientur pœna conſimili. Majeſtatem, id eſt, Angelos ſanctos. Et videtur difficilis, ſed ſic poteſt exponi. Iſti aliqua Scripturæ myſteria ignorant, & contemnunt, & ſic blaſphemant quodammodò Angelos, qui permiſſione, & voluntate Dei, occulta, & incerta Scripturæ frequenter hominibus aperiunt. Vel: Majeſtatem, &c. id eſt, Deum, quem in Scriptura ſibi ignota non venerantur, ſed potiùs à Deo non eſſe datam, dicunt, quia myſteria, quæ latent, non intelligunt, nec attingunt*. Nicolaus de Lyra: *Carnem, &c. Et hi ſunt ſimiles Sodomitis, & in hoc notantur, non ſolum de fornicatione, vel adulterio, ſed etiam de vitio contra naturam. Dominationem autem ſpernunt. Id eſt, ipſum Chriſtum, qui non ſolùm dicitur Dominus in concreto, ſed etiam dominatio in abſtracto propter excellentiam dominii ſui. Et ſic aſſimilantur hæretici Angelis de cælo ejectis propter ſuam ſuperbiam. Majeſtatem autem blaſphemant, id eſt, Sanctam Trinitatem: quia blaſphemia eorum contra Chriſtum redundat in totam Trinitatem, & in hoc aſſimilantur Judæis exiſtentibus in deſerto, de quibus dicitur: Uſquequò detrahet mihi populus iſte? Et ſic merentur condemnari, & puniri, ſicut prædicti*. Eſtius interpretatur ita: *Similiter & hi carnem quidem maculant. Cohæret hæc pars cum verſu ſuperiore: quaſi dicat: Illi exfornicati ſunt, & poſt carnem alteram abierunt: ac proinde ſicut illi igne cælitùs emiſſo puniti ſunt, ſimiliter & hi igne æterno punientur: quandoquidem ignis ille exemplum, & figura fuit ignis æterni. Dominationem autem ſpernunt. Hoc non comprehenditur ſub adverbio: ſimiliter, ſed adjungitur, ut diverſum, ac ſi dicat: Nec illud tantùm faciunt quod Sodomitæ, ſed prætereà dominationem ſpernunt, &c. Propriùs reſpondet hic interpretatio OEcumenii ad dogma hæreticorum Apoſtolicæ temporis. OEcumenius ſignificari putat univerſalem dominationem Dei, qua mundum inſtituit, & gubernat, qua mendaces illi magiſtri per ſuas fabulas de mundi creatione, & gubernatione confictas, quarum Irenæus meminit, ſpreta, atque repulſa, tamquam oculis à Deo omnium dominatore averſis, converterunt ſè, ac demerſerunt in omnem carnalem impudicitiam. Majeſtatem autem blaſphemant. Græcè plurali numerò, glorias, majeſtates, dignitates, ut quidam vertunt. Oſtendimus, eos probabiliter ſentire, qui glorias interpretantur cæleſtes virtutes, id eſt, Angelos Dei miniſtros, de quibus ad eorum injuriam, & contumeliam, multa abſurda, & indigna veteres hæretici confixerunt, ut inter alios refert Theodoretus lib. 1. fabularum hæreticarum. Vocantur autem Angeli majeſtates, ſeu gloriæ, vel propter gloriam ſupernæ beatitudinis, qua fruuntur, vel quia ſunt à Deo conſtituti Principes regnorum, & Eccleſiarum, quod illis honorificum eſt, & glorioſum*. Menochius hæc habet: *Carnem maculant, infandis libidinibus, nam, ut ait Divus Paulus 1. ad Cor. 6. 18. omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Dominationem autem ſpernunt. Et Deum omnium Dominum, & ſcelerum vindicem aſpernantur. Aliqui per Dominationem intelligunt publicam poteſtatem, & leges. Majeſtatem autem blaſphemant. Non verentur Magiſtratus, & Principes, quorum eſt glorioſa, & majeſtate plena poteſtas, blaſphemare. Vel etiam non verentur blaſphemias jacere in ipſam Divinam Majeſtatem*. Tirinus interpretatur hoc ſequenti modo: *Similiter hi Nicolaiti, Gnoſtici, aliique hæretici, perinde ac Sodomitæ infandis libidinibus carnem, & naturam humanam maculant. Græca addunt: Sopiti, quaſi toti obſcenitatibus illis abſorpti. Perinde atque Hæbræi refractarii, ac rebelles, dominatio-*

nem,

nem, id eſt, Magiſtratum omnem, tum civilem, tum Eccleſiaſticum, ſpernunt, ac detrectant, ſomniantes, ſe per Chriſtum liberos factos ab omni Superiorum obedientia. Denique inſtar Luciferi Majeſtatem Divinam blaſphemant, tam ore, quàm opere, ut Epiphanius prolixè teſtatur. Et an non ingens blaſphemia Chriſto adimere divinitatem? & miracula, doctrinam, præcepta illius ridere, & exſibilare? Apud Cornelium hæc notabilia verba inveniuntur: *Similiter & hi carnem quidem maculant, &c. Græca addunt: Hi ſomniantes, vel ſomniis deluſi. Veteres, ut Sanctus Epiphanius hæreſi 26. & ex eo OEcumenius, & Clemens lib. 3. Stromat. cap. 1. idipſum legunt, ſicque exponunt, quaſi dicatur: Simon, & Gnoſtici non docent veritatem, ſed ſua ſomnia, & commenta de libidine, carnis licentia, contemptu Superiorum, &c. populis obtrudunt. Hic ſenſus huic loco valdè congruit: tò enim: ſomniantes, non ſolùm ad: Carnem maculant, ſed & ad ſequentia: Dominationem ſpernunt, majeſtatem blaſphemant, refertur, ut patet ex Græco. Unde & Arabicus vertit: Aſſimilantur illis etiam hi, qui videntes ſunt ſomnia. Et ſic pſeudoprophetæ ſæpè à Prophetis vocantur ſomniantes, eo quòd non Dei oracula, ſed ſuæ phantaſiæ figmenta, & ſomnia prædicarent. Secundò, alii appoſitè tò: ſomniantes, ſic exponunt, quaſi dicatur: Adeo libidinibus ſunt dediti, ut non, niſi de iis, cogitent, loquantur, imaginentur, imò ſomnient. Unde Syrus vertit: In ſomno pelliciuntur ad carnem à contaminatoribus. Quocircà ſapienter de ſomno moderando ita ſcribit, & præſcribit Sanctus Bernardus ad Fratres de Monte Dei: Cave, ſerve Dei, nè totus aliquando dormias, nè ſit ſomnus tuus non requies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati: non reparatio, ſed extinctio ſpiritus tui. Suſpecta res eſt ſomnus, & ex magna parte ebrietati ſimilis. Exceptis enim vitiis, quibus in dormiente, cum corpore dormitante ratione, non eſt qui contradicat; quantùm ad debitum continui profectus, nihil temporis tam deperit de vita noſtra, quàm quod ſomno deputatur. Unde idem Sanctus dat ſalubre conſilium: Iturus ergo ad ſomnum ſemper aliquid defer tecum in memoria, vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnumquàm etiam ſomniare juvet, quod etiam evigilantem te excipiens in ſtatum heſternæ intentionis reſtituat. Sic tibi nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placidè obdormies, in pace quieſces, facilè evigilabis, & ſurgens facilis, & agilis eris ad redeundum in id, unde non totus diſceſſiſti. Sobrium enim cibum, ſobriumque ſenſum ſequitur ſobrius ſomnus. Carnalis verò ſomnus, & brutus, & ſicut dicitur, lethæus, abominandus eſt. Viciſſim libido ipſa tam ardens, & bruta eſt, ut mentem, & rationem ſopiat inſtar ſomni, Hinc Hippocrates libidinem dicebat eſſe brevem quamdam epilepſiam, teſte Gellio lib. 19. cap. 1. Moraliter, ſomniantes: quia libido, omniſque voluptas tranſit inſtar ſomnii. Unde ſapienter, & patheticè exclamat Petrus Chryſologus ſerm. 124. Quid ſtupemus? Quis eſt iſte, qui nos eludit ſomnus? Quæ eſt iſta, quæ nos tenet oblivio lethalis? Quarè non cælo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus? Carnem quidem maculant, per pollutiones, & infandas libidines. Dominationem autem ſpernunt, id eſt, Magiſtratum, tum civilem, tum potiùs Eccleſiaſticum ſpernunt, dicentes, ſe per Chriſti legem factos eſſe liberos, ut nulli Principi, aut Magiſtratui ſint ſubjecti. Majeſtatem autem blaſphemant. Cajetanus, & Arias per Majeſtatem accipiunt Chriſtum, ejuſque utramque naturam Divinam, & humanam. Hæretici primò Principum, deinde ſenſim magis inſoleſcentes Angelorum, ac tandem Dei jugum, nomenque excutiunt. Porrò Gnoſticos blaſphemaſſe Deum, diſertè aſſerit Epiphanius. Idipſum ſignificat magis tò: Blaſphemant. Blaſphemia enim propriè eſt convitium in Deum. Unde Syrus vertit: A' majeſtate non moventur, dum blaſphemant, quaſi diceret: Cogitatio Majeſtatis Divinæ, quam invadunt, & violant, deberet eos abſterrere à blaſphemia: at non abſterret, quia eam contemnunt.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Re-

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba prædicta.

C*Arnis renuntiemus operibus*, ajebat Sanctus Leo Magnus. Optimum conſilium: nam plures diſſipant ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè, & carnem maculant miſeri. Pariunt maculoſa, quando concipiunt venerea. Peccavimus? Non adjiciamus iterùm ad peccandum, ſed & de priſtinis deprecemur, ut nobis dimittantur. Amando veritatem, lavemus lachrymis maculas criminis. Ne dicamus: *Peccavi, & quid mihi accidit triſte?* Altiſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato nolimus eſſe ſine metu, neque adjiciamus peccatum ſuper peccatum. Triſte accidit ei, qui carnem maculavit, & triſte accidet, ſi verè eum non pœnituerit, quia quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum dabitur illi tormentum, & luctum. Triſte accidet, ſi carnem maculans, nec de hac carnis maculatione pœnitens, duplicaverit damnationis cauſam, dominationem ſpernens, & majeſtatem blaſphemans. Eripiat nos Deus de luto luxuriæ, ut non infigamur, quando tot infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt. Noſcat qui infixus eſt in limo profundi, quòd non eſt ſubſtantia: nam quem fructum habuimus tunc in illis, de quibus nunc erubeſcimus? Implevit Deus facies noſtras ignominia, ut quæramus nomen illius: tribulatio, & anguſtia invenerunt nos, ut mandata Dei meditatio noſtra ſit, & ut convertamur in ærumna noſtra, dum configitur ſpina. Quæ aliquando peccantes diximus in cordibus noſtris, in cubilibus noſtris compungamur, laborantes in gemitu noſtro, lavantes per ſingulas noctes lectos noſtros, recogitantes Deo omnes annos noſtros in amaritudine animarum noſtrarum, qui, cùm peccavimus, facti ſumus tamquam vas perditum; erravimus ſicut ovis, quæ periit; ad nihilum redacti ſumus, & neſcivimus. Hoc faciamus, nè ob defectum noſtræ pœnitentiæ poſſit dici de nobis: *Diſſipati ſunt, nec compuncti*. Ergo compunctione affecti attendamus ad id, quod à Deo noſtro in ſequentibus Orationibus depoſcimus; ut ille Deus, cui eſt ſacrificium ſpiritus contribulatus, & qui cor contritum, & humiliatum non deſpiciet: ille, inquam, qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, reſpiciat in Orationem humilium; & non ſpernat preces ſuorum humiliatorum Fidelium.

Oratio Officii Dominicæ Sexageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

D*Eus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus: concede propitius, ut contra adverſa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

MAgnus Sanctus Paulus vas electionis, verè dignè eſt glorificandus, qui & meruit thronum duodecimum poſſidere: ideò de ipſius hodie confidimus protectione. *Sol eſt quidam hominibus Paulus*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus: ergo (cùm ſol ſit vas admirabile, opus Excelſi, & ſolem dederit Deus ipſe in poteſtatem diei, quoniam in æternum miſericordia ejus, ac fecerit ſolem luminare majus, ut præeſſet diei;) hunc ſolem, Sanctum ſcilicet Paulum, collocavit Dominus ad bonum Eccleſiæ in Cœli Empyrei altitudine ob ſuam Divinam miſericordiam; ut talis, ac tantus ſol pellat tenebras noſtræ ignorantiæ, &, ut in ſpiritualibus, & temporalibus, iſtius ſolis experiamur patrocinium per ejus charitatis calorem, & ſupernæ ſcientiæ lucem; quia iſte Sanctus Apoſtolus, Vas electionis, eſt quaſi vas auri ſolidum, omni lapide pretioſo ornatum. Jurè Sancta Eccleſia, quæ hodie labores, quos eſt paſſus Sanctus Paulus, & pericula, quæ eſt expertus, in Epiſtola hujus Dominicæ Sexageſimæ nobis proponit; eum, qui didicit ex his, quæ paſſus eſt, nobis compati; apud Deum pro nobis interponit, ut ipſe Sanctus Apoſtolus

ſtolus pro nobis Dominum Deum noſtrum interpellet. Faciet quidem hic noſter Advocatus, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis: itaque de Sancto Paulo verbis Sancti Bernardi poſſumus dicere, quòd *Deus inter continua ſuæ pietatis beneficia indulſit hominem mundo, cujus multi ſalvarentur exemplo*: & quòd *factus de medio appropriavit Deo, ut multò plures ejus interceſſione ſalvarentur. In terris viſus eſt, ut eſſet exemplo, in cœlum levatus eſt, ut ſit patrocinio. Hìc informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi jam poſtulans nihil, totum in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum. Quid enim quærat ſibi, qui nullius eget?* Curemus tamen nos ita vivere, ut ſimus gaudium, & corona Sancti Pauli, omnes ſtantes in Domino, ut ejus filii chariſſimi: & qui ſtat videat, nè cadat. Nolimus errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Vult Sanctus Paulus, omnes nos eſſe, ſicut ſe ipſum: ut ſimus imitatores Dei ſicut filii chariſſimi, & ambulemus in dilectione. Rogat nos idem Sanctus Apoſtolus, & obſecrat in Domino Jeſu, ut quemadmodùm accepimus ab illo, quomodò nos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambulemus, ut abundemus magìs. Ipſius igitur Sancti Pauli vacemus, & innitamur tum doctrinis, tum exemplis, qui ejus optamus ſublevari protectione, & patrociniis. Ex nulla noſtra actione confidamus: ut conſpiciens Deus, quia ex nulla noſtra actione confidimus, concedat propitius, ut contra adverſa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Ejus protectio, Deo dante, taliter nos valet munire, ut fortes ſimus contra mala culpæ, & pœnæ: contra mala quidem culpæ, nè peccata nos apprehendant, & nè regnet peccatum in noſtro mortali corpore: & contra mala pœnæ, nè quæ pro peccatis noſtris patimur, nos vincant, & per defectum patientiæ, ac ſuſtinentiæ nos ad deſperationem deducant. Verè nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas. Præcipuè nobis adverſa ſolùm ſunt mala moralia, in quorum pœnam nobis à Deo infliguntur mala phyſica. Utinam tales ſimus, ut pœnas ob peccata non mereamur: & dummodò peccatum abſit à noſtra anima, & corde, veniant ſuper nos, quæ ad probationem noſtram, noſtrumque exercitium expedierit venire mala pœnæ. Non ſeparet nos à Charitate Chriſti tribulatio, anguſtia, fames, nuditas, periculum, perſecutio, neque gladius, ut cum Sancto Paulo, ejus oratione, & protectione muniti, certi ſimus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

ORATIO SECRETA.

O*Blatum tibi, Domine, Sacrificium vivificet nos ſemper, & muniat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

PRopter nomen ſuum Deus vivificabit nos in æquitate ſua. Hoc facit per Miſſæ ſanctum ſibi oblatum Sacrificium: & quando adhæſit pavimento anima noſtra, vivificat nos ſecundùm verbum ſuum. Adhæreat igitur pavimento anima noſtra, non, ut, ſicut ſerpens, ſuper pectus noſtrum gradiamur, virus portantes; non ad inſtar ſuperborum, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium; ſed ſicut David, qui afflictus fuit, & humiliatus fuit nimis, & dixit: *Vide humilitatem meam, & eripe me*, loquens illi cuſtodienti parvulos Domino, qui quando humiliatus eſt, liberavit eum: ac etiam, ut Daniel vir deſideriorum, qui jacebat conſternatus ſuper faciem ſuam, & vultus ejus hærebat terræ, & ecce manus tetigit eum, & erexit eum ſuper genua ſua. Deum noſtrum itaque, humilitate proſtrati ante ipſum, oremus, & ipſi preces, humiles cum fletu cordis effundamus,

mus, ut ab eo per ſacrificium oblatum vivificemur. Adhæreat pavimento anima noſtra, & oremus omni tempore in ſpiritu, quia ſcimus benè, quòd ſpiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Curemus à Domino, juxta ipſius promiſſa, per Sacrificium oblatum vivificari: curemus etiam ab eodem muniri. Oblatum quidem Sacrificium poteſt nobis conferre ſanctificationem, valet quoque nobis præbere munimen; ſanctificationem, nos vivificando, ut ſimus immaculati; & munimen, nos cuſtodiendo, ut permaneamus ſecuri. Sic abſque muro habitabitur Jeruſalem, & Dominus erit ei murus ignis in circuitu, & in gloria erit in medio ejus. Utinam nos Divinum Sacrificium vivificet, quia conſequenter, quos vivificaverit, muniet. Non patietur Deus, eſſe immunitos, quos per ſacrificium habuerit vivificatos. Auctor eſt noſter Dominus ſimul noſtræ vivificationis, & muniminis: ideò in ipſo ſperet cor noſtrum, & adjuti erimus, tum ipſius vivificationis beneficio, tum etiam ejus muniminis dono. Non refugiamus Domini vivificationem, qui appetimus Domini noſtri munimen: nam vivificationem reſpuens, erit abſdubio etiam munimine carens. Ideò qui nihil nos poſſe ſine Dei valido munimine noſcimus, avidè vivificationem ipſi placitam, nobiſque proficuam verè appetamus. Appetamus, inquam, non fallaci velleitate, ſed ſeria, veraque voluntate, & conſtanti, jugique reſolutione: nam homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos per æternitatem beatam, quærens ad hoc aſſequi munimen ſecurum; neceſſarium eſt, quòd divertat à malo, & faciat bonum. Bonum autem facientes nos deficiamus: ſed ſperantes in Domino, & facientes bonitatem, delectemur in Domino, & paſcemur in divitiis ejus. Ipſe dabit petitiones cordis noſtri, & bonitatem faciet cum ſervis ſuis Dominus ſecundùm verbum ſuum: bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam docebit nos. Sic vivificabit nos ſecundùm verbum ſum, & mirificabit miſericordiam ſuam nobis in Civitate munita Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ per oblatum ipſi Sanctum Sacrificium Miſſæ; quatenus ipſe Deus pius concedat, ut hodie petimus, quod illius plebs expectat, nempe, ut oblatum eidem Domino Sacrificium vivificet nos ſemper, & muniat.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QUia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Secundum verbum tuum in pace.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

SYrus legit: *In humilitatem &c.* Perſicus: *In humilitatem demiſſionis ancillæ ſuæ intuitum fecit*. Caietanus: *Reſpexit ad exiguitatem.* Salvianus: *Demiſſionem &c.* La Haye ex Græco: *Vilitatem, exiguitatem, abjectionem*. Aliqui ex Hebræo: *Reſpexit anihilationem ancillæ ſuæ*. Textus Græcus apud Janſenium: *Quia reſpexit parvitatem ancillæ ſuæ*. Gloſſa interlinealis: *Quia reſpexit, ut unus Deus, humilitatem ancillæ ſuæ*. Beda in Gloſſa Ordinaria: *Ecce quàm vilia de ſe ſentit, & totum gratiæ attribuit*. Gloſſa Moralis: *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradiſum aperuit, & hominum animas liberavit: facta eſt Mariæ humilitas ſcala cœleſtis, per quam Deus deſcendit ad terras*. Nicolaus de Lyra hìc: *Quia licèt ex omnibus virtutibus fuerit diſpoſita ad Conceptionem Filii Dei, ſpecialiter tamen hoc fuit ex humilitate*. Eſtius ait: *Græca vox non ſignificat virtutem humilitatis, ſeu modeſtiæ, ſed humilitatem, ſeu tenuitatem conditionis: quæ & ſignificatur per id, quod additur: Ancillæ ſuæ. Nec ſatis conveniebat modeſtiæ Virginis, ut ipſa in cantico hoc laudis, & gratiarum actionis, ſuam virtutem prædicaret ſine neceſſitate; ſed potius, ut ſe indignam reputans, magìs digna tanto beneficio efficeretur. Humilitatem*

tem autem hoc modo in Scripturis accipi frequens eſt. Pſalm. 24. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & alibi ſæpè; ubi videre, ſeu reſpicere humilitatem, eſt aliquem ex humili, & abjecta conditione ſublevare, vel eum, qui contemptus erat, honorabilem reddere. Menochius: *Id eſt, vilitatem, parvitatem, abjectionem.* Tirinus: *Id eſt, vilitatem, exiguitatem, abjectam conditionem, quam opponit Virgo magnitudini Divinæ.* Hugo Victorinus inquit: *Benè Maria ſolam in ſe humilitatem Dominum reſpexiſſe teſtatur: quia Divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per ſuperbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Nam, quia in ea Verbum Patris carnis ſubſtantiam, quam ſibi uniret, aſſumpſit, quaſi ad eam, quam priùs abjecerat, naturam ſublimandam per miſericordiam reſpexit. Reſpexit ergo humilitatem Mariæ Deus: cui propter humilitatis meritum dedit, ut Filium ſuum in carne ſua conciperet, & de ſua carne verum Deum, & hominem omnium hominum (quantùm in ipſo eſt) Salvatorem generaret. Cum humilitatis virtute mox determinans ſubjungit: ancillæ ſuæ. Nam, quia humiliter ſe, quod erat, ancillam cognovit, ideò quod non erat, ſublimiter mater eſſe meruit.* Vincentius Regius ſic explicat: *Deus, inquit Beata Virgo, meam ancillæ ſuæ humilitatem dignatus eſt reſpicere. Unde materiam adinvenit anima mea Dei potentiam laudandi, quam in me vili evehenda oſtendit: itemque ſpiritus exultandi in Deo ſalutari meo. Videtur autem antitheſis quædam in his verbis latere; nam humilitatem magnitudini Dei opponit, propter quam dixit: Magnificat anima mea Dominum; Deum porrò non vocavit magnum, quaſi ſuperbum, ſed præpotentem, eminentemque: quo fit, ut hic humilitas vilitatem, & indignitatem videatur potiùs ſignificare, quæ magnitudini opponitur, cùm humilitas virtus ſuperbiæ opponatur. Hinc Juvencus lib. 1. Hiſtor. Euang. Quòd me eſt dignatus in altum erigere, ex humili celſam, cunctiſque beatam gentibus, & ſæculis, voluit Deus æquus haberi. Reſpexit Deus Virginis humilitatem: reſpice & tu, ut imiteris, & cum illa in altum evehare.*

Pro: *Benedictus.*

SImon de Caſſia ait: *Salutem dat Chriſtus in ſuo cornu, liberat à dæmonibus in ſuo cornu. Nam & David antè prævidit, quod nunc Zacharias in ortu filii de Chriſto nondum nato prophetavit, dicens: Protector meus, & cornu ſalutis meæ. Protector eſt Chriſtus, ab omnibus incurſantibus malis, & omnibus ſperantibus in eum, eſt cornu ſalutis: & in eo merito ſubveniens nobis, quo de lumbis, ſecundùm carnem deſcendit, in qua paſſus, mortuus, ſanguinem fudit, reſurgens à mortuis, ſuperna conſcendit. Hoc per David Deus Pater antè prædixerat, cùm introducturus eſſet Filium in orbem terrarum, ad confringendum omnia cornua ſuperborum, quòd cornu ejus eſſet erigendum, & ſuper omnia exaltandum: Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti. Nemo juſtus inter homines, niſi qui peccare non potuit: Et quamquàm multi dicantur juſti, non tamen proprio, ſed iſtius juſti merito facti ſunt participes, cujus exaltata ſunt cornua, videlicèt, Crucis, quæ, Propheta dicente, fuerunt in manibus, in quibus ſtat obſcondita fortitudo illius.* Vincentius Regius dicit: *Cornu ſalutis dicitur Hebraico more, quaſi ſalutare cornu: continetur etiam methaphora ibi, erexit cornu, ſumpta à tauris, qui quò robuſtiores, altiùs cornua erigunt. Hoc autem cornu ſalutis, ſeu ſalutaris hæc potentia, quam ſuſcitavit Deus Judæis ex familia David, Chriſtus ipſe eſt, quem toties David in Pſalmis fortitudinem ſuam appellat, ſicut ſalutem hìc Zacharias. Idem autem ſecundùm rem videtur erigere cornu dejectum, ſuſcitare, germinare facere, ſeu repullulaſcere. Vocat David ſervum non ob ſanctitatem modò, ſed quia Dei miniſter erat tamquàm Rex.* Sylveira interrogans, quare Chriſti Regnum per cornu ſignificetur? dicit: *Reſpondet primò Divus Hieronymus: Quia regnum Chriſti regnum forte, ita, ut omnes inimicos vincat, & proſternat, & numquam ab eis ſuperari poſſit. Secundò Divus Bonaventura, & Hugo: Cornu inter omnes partes animalis valdè durabile, Regnum Chriſti æternum, & durabile innuit. Hæreticorum*

rum regnum facile rumpitur, & conſtringitur. Tertiò Hugo: Cornu nec caro, nec os, ſed medium: ſic Chriſtus nec homo tantùm, nec Deus tantùm, ſed Mediator Dei, & hominum. Quartò Toletus: Regnum Chriſti meritò per cornu ſignificatur; nam cornu percutit animal, ſicque percutit, ut procul abjiciat inimicum. Chriſtus autem percuſſit diabolum, & peccata noſtra procul abjecit. Quintò: Cornu non in manibus, ſed in capite inter oculos apparet; quia regnum Chriſti ſecundùm prudentiam, & rationem, per oculos ſignificatam, non verò ſecundùm vim, & potentiam per manus deſignatam, gubernandum erat. Sexto: Quia cæteræ partes animalis, ut oſſa, cor, jecur, carne, & ſanguine velantur; cornu verò carnem excedit: ſic Regnum Chriſti alienum ab omni affectu propinquitatis, carnis, & ſanguinis futurum erat. Et ad hæc reſpiciunt Beda hic, & Angelom. lib. 1. Reg. cap. 2. Cornu excedit carnem: & ideò cornu ſalutis Regnum Chriſti vocatur, quò mundus, & carnis gaudia ſuperântur. Hucuſque Sylveira.

Pro: *Nunc dimittis*.

PErſica Verſio ait: *Secundùm verbum tuum in ſecuritate*. Cajetanus: *Secundùm promiſſionem tuam*. Gloſſa interlinealis: *Secundùm verbum tuum: quia reſponſum acceperat à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini. In pace, in ſinu Abrahæ requieturum*. Nicolaus de Lyra: *Id eſt, de cætero dimittes me de hac vita tranſire in cordis quiete*. Menochius: *Sicut mihi promiſiſti, & promiſſum præſtitiſti, vitam uſque ad Meſſiæ adventum producendo. In pace: Lætus, contentus, & alacer*. Tirinus: *Id eſt, juxta promiſſum mihi factum, dimittis me ia, ſeu cum pace, animo quieto, & voti compote*. Toletus ait: *Eſt unum, quod Simeoni peculiare in hac pace fuit, nempe, quòd Chriſtum præſentem vidit, qui reconciliare venerat Deum cum hominibus; propter quod 2. Epheſ. dicitur pax noſtra. In pace ergo dimitti ſe, profitetur, quia in Pacificatoris, & pacis ipſius adventu recedebat; hoc enim inſinuare voluit in hoc verbo, conſentitque verbo Angelorum: In terra pax hominibus*. Vincentius Regius ait: *Significat autem in pace contentum expletis votis, ſeu compotem voti, & quieto animo: quaſi dicat: Dimittis lætum, & quietum, ſicut mihi etiam promiſiſti. Alii inquiunt, idem eſſe in pace, ac plenum dierum mori, nec præmatura morte, nec repugnantem. Vox Hebræa: Schalon, pax, ſignificat ſanitatem, integritatemque, ſucceſſus boni, & votorum omnium adeptionem, animi etiam tranquillitatem, & letitiam*. Simon de Caſſia: *Dimittitur in pace ſecundùm verbum, ſcilicèt, reſurrectionis, quod à Spiritu Sancto ſuſceperat, promittente infallibiliter viſionem. Fidelis enim Deus, in verbis ſuis ſemper efficit quod promittit, ſi promiſſarius ſua juſſa cuſtodit*. Cornelius hæc habet: *Tropologicè Origenes: Simon, ait, optat mori in pace, id eſt, in gratia, & amicitia cum Deo, in qua juſtus moritur. Symbolicè Sanctus Auguſtinus ſerm. 20. de temp. Nunc, ait, Domine, dimitte me in pace, quia video pacem, puta Chriſtum, qui pacificabit cœlum cum terra, Deum, & Angelos cum hominibus, & homines cum ſeipſis. Sancta Maria Ægyptiaca ſub mortem à Sancto Sozima Eucharistiam (quam per quadraginta annos, quibus vixerat in deſerto, non ſuſceperat) percipiens, præ devotione lachrymans, & jubilans cecinit: Nunc dimittis Domine ſervam tuam ſecundùm verbum tuum in pace, ac illicò animam Creatori reddidit, ut habet ejus vita. Idem fecit Sancta Maria Magdalena, multique alii. Quarè quoties communicamus, cum eis dicamus: Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei (imò fauces meæ guſtarunt, ac ſtomachus meus ſuſcepit) ſalutare tuum*. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & explicata.

HUmiliemur ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore viſitationis. Verè Deipara Virgo magnam fabricam conſtruxit celſitudinis, quæ adeò verè, ac profundè de fundamento cogitavit humilitatis. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primàm? Re-

Recuſat ſanè (quamvis inſcius hujus rei) exaltationem, qui reſpuit humilitatem: quia, cùm verum ſit, quòd omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur; quantò quis aſcenſum appetit, eò velociùs deſcendit, & quantò deſcenſui inhiat, eò feliciùs ſcandit. Viam veræ ſublimitatis homines neſcimus, quando à ſemita humilitatis deflectimus. Erexit Pater Æternus cornu ſalutis, quando exaltavit Chriſtum Filium ejus Unicum, Dominum noſtrum, qui humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum. Sunt jam oculi noſtri videntes Præceptorem noſtrum, qui in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Oculis fidei eum aſpicimus, quem non per ſpeculum in ænigmate, ſed videre in cœlo facie ad faciem ſperamus. Nobis reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, qui præbens nobis humilitatis innumera exempla, dignatus eſt nobis dicere: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* O humilitas noſtri Redemptoris! O humilitas ipſius Sanctiſſimæ Genitricis! Chriſtus ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens: Beata Maria ſe ancillam apellavit Domini, quando eligebatur ad Maternitatem Hominis Dei: & quia ita ſe voluit abjicere, & humiliare, reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Quem Zacharias depinxit in ſuo Cantico erectum, & ſublimatum, vidit Sanctus Senex Simeon humillimum, & quia ab eo, & Deipara in ſua Purificatione accepit humilitatis exempla, vocans ſe humiliter ſervum Domini, mortuus eſt morte Sanctorum pretioſa, & dimiſſus eſt in pace. Æmulemur chariſmata meliora cum hoc feliciſſimo ſene: & humiliter Deo noſtro proponamus noſtras preces in oratione ſequenti, ut à Domino mereamur exaudiri.

Oratio poſt Communionem.

Supplices te rogamus, Omnipotens Deus: ut quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Audiamus igitur & Sacerdotes, & ſubditi, quali eſca facti ſumus digni: audiamus, & horreamus. Sanctis carnibus ſuis nos dedit Chriſtus impleri: ſemetipſum appoſuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excuſatio, cùm talibus paſti, talia peccemus? cùm lupi fiamus Agnum comedentes? cùm tamquam oves paſti, more leonum diripiamus? Hæc intonat fulgurans potiùs, quàm loquens, Sanctus Joannes Chryſoſtomus, os aureum, & os Chriſti, vel ex his tantùm verbis, juſtiſſimè appellatus. Ergo Dei refecti Sacramentis à Deo ipſo, debemus placitis moribus illi deſervire, ſuo obſequio mancipati. Hoc dignanter nobis concedi à Deo, Eccleſia poſtulat, quæ ſimul Dei gloriam, ac noſtram utilitatem deſiderat. Quæ Dei gloria à nobis erit, vel proveniet, ſi nos ab eo benè cibati, ipſi Domino injuſta rebellione, ac fœda ingratitudine dorſa voluerimus vertere? Quæ erit noſtra utilitas, ſi refecti Divinis Sacramentis, poſteà deglutiverimus ſive terram, ſive carbones, ingerentes nobis noxia vitia terrena, & immundas delectationes mundiales? Serviamus ergo, dignanter à Deo adjuti, Domino ipſi moribus placitis, qui ab illo ſuis reficimur Sacramentis. Juſtum eſt, ut noſtri ſervitii, & obſequii omnis applicetur cura erga illum Dominum piiſſimum, & liberaliſſimum, qui nos reficere dignatus eſt tamquàm ſervos, & milites, ſua pretioſiſſima annona. Si etiam Pater ille eſt (qui ipſum petenti panem, non lapidem dabit illi; imò, quia Pater eſt, de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe) ubi eſt amor ejus? Et, ſi Dominus idem ipſe eſt (qui dedit, & dat prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis:) ubi eſt timor illius? Talibus igitur, qualibus paſcimur à Deo, ſuis Sacramentis paſti, non more leonum diripiamus: nec talibus, qualibus à Domino reficimur, refecti, peccemus: imò Deo placitis moribus attentiſſimè, & jugiter deſerviamus. Tamquam oves paſti, nolimus vivere, vel operari, ut lupi, aut rapaces leones; nam ille Dominus, qui

oves

Digitized by Google

oves ſervat creditas, arcet lupos: & qui eſt Paſtor ovium, quas non rapiet quiſquam de manu ſua (quia juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis) ille, inquam, Dominus Rex, qui in judicio ſtatuet oves à dextris, molas leonum confringet, & ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens, peccatores: etenim in corde iniquitates operantur, in terra iujuſtitias manus eorum concinnant: & lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. Et dicet homo: *Si utique eſt fructus juſto, utique eſt Deus judicans eos in terra*: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Deſervieutes itaque Deo placitis moribus, & vita juſtorum viventes, panem cœleſtem manducemus, & Calicem Divinum bibamus, & ſic manducantes, & bibentes, iterùm, & quoad vixerimus, Deo deſerviamus placitis moribus. Ita ſervire, ſit noſtra optima ad Altaris Sacramenta percipienda, diſpoſitio: & etiam ſic Deo ſervire ſit noſtra debita gratiarum actio, cùm jam fuerint à nobis percepta hæc Sacramenta Divina. Non lupi ſiamus agnum comedentes: quia, ut etiam dicit Sanctus Chryſoſtomus, *ſi oves fuerimus, vincimus; quodſi lupi fuerimus, vincimur: tunc enim à nobis Paſtoris auxilium recedit, qui non lupos, ſed oves paſcit*. Utinam ad bona multa per Sacratiſſimam Communionem adquirenda, & maxima mala per ipſius virtutem præſtantiſſimam vitanda, obtineamus à Deo, quod hodie petit Eccleſia, nempe, quòd Deus nobis donet, & concedat dignanter, ut quos ipſe ſuis reficit Sacramentis Omnipotens Deus, non inveniat umquàm vitiis implicatos; imò concedat dignanter, ut quos ſuis reficit Sacramentis, faciat, ipſi, tamquàm Domino vero, ſervire placitis moribus.

CAPUT DECIMUMQUARTUM

Pro Dominica Quinquageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ Quinquageſimæ. Qui quidem Textus eſt hic:

Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Oecumenius legit: *Certans diſputaret, non eſt auſus illi judicium impingere*. Vatablus: *Notam maledicti impingere*. Syrus: *Qui cum calumniatore loquens, &c. judicium proferre blaſphemiæ. Ac Michael Princeps Angelorum, cum fraudulento diſceptans, alloqueretur eum de corpore Moyſi, non eſt auſus ferre ſententiam*. Joannes de la Haye: *Quaſi dicat: Hi ipſum Deum blaſphemant, & maledictis proſcindunt, & tamen Michael Princeps Angelorum noluit ipſum dæmonem omni maledictione, & execratione dignum maledicere*. Gloſſa interlinealis: *Vos non debetis blaſphemare, quia nec Michael cum diabolo contendens, &c. judicium inferre blaſphemiæ, ut malediceret ei; quaſi malæ creaturæ*. Gloſſa Ordinaria: *Cùm Moyſes, qui ut Deus erat conſtitutus Pharaoni, & qui erat Princeps, & Nuntius quantum ad alios, diſputans cum Pharaone altercaretur, id eſt, ſigna faceret alterna contra ſigna magorum, de corpore Moyſi, id eſt, populo Iſrael, ut permitteret eos ſacrificare Deo ſuo,* non

non eſt auſus inferre pœnam blaſphemiæ hujus ſæculi, ſed dixit: Imperet tibi Dominus. Vel aliter: Cùm Dominus Jeſus altercaretur cum Pilato de corpore Moyſi, id eſt, Eccleſia, noluit aliquam blaſphemiam inferre, ſed tamquàm ovis ad occiſionem ductus eſt. Vel ſic: Mortuo Moyſe, ſubtraxit Dominus, miſſo Angelo, corpus Moyſi, ita, ut nullus de populo, cui præfuerat, ſciret ſepulturam. Præviderat enim Dominus, Moyſen poſt mortem à Judæis adorandum, & ſi corpus haberent, pro Deo habendum: & ideò diabolus cultum legis deſiderans verti in idololatriam, altercatus fuiſſe dicitur cum illo Angelo, quia qui à Deo miſſus fuerat, Michael dicitur, id eſt: Quis, ut Deus? Hugo Cardinalis ait: *Sic igitur patet, quod dixit, eos eſſe blaſphemos & in Deum, & in Sanctos: propter quod ab omni blaſphemia monet eſſe cavendum, dicens: Cum Michael, &c. Et probat hoc per locum à majori: quia Michael noluit, nec auſus eſt blaſphemare diabolum: ergo multò minus ipſi debent blaſphemare Sanctos, & Deum.* Nicolaus de Lyra: *Hic conſequenter declarat ultimò dictum, ſcilicet, quòd blaſphemia ſit valdè grave peccatum, per hoc, quòd Michael non fuit auſus blaſphemare dæmonem propter ejus naturam bonam. Et per hoc patet, quòd blaſphemare Deum, cujus natura eſt excellentior in infinitum, eſt graviſſimum peccatum. Dicit ergo: Cùm Michael, &c. Volebat diabolus revelare corpus Moyſi Judæis ad idololatriam pronis, ut eum adorarent, tamquam Deum. Michael autem tunc Princeps Synagogæ hoc volebat impedire. Non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ. Ipſi diabolo ratione dicta.* Eſtius inquit: *Quæritur, unde Beatus Judas iſtam hiſtoriam Michaelis cum diabolo diſputantis acceperit? Multi depromptam putant ex libro quodam apocrypho, velut illo, cui titulus: Aſſumptio Moyſis. Quod ſi ita eſt, non idcircò periclitatur auctoritas hujus Epiſtolæ. Nam, ut in hæreticorum libris non omnia falſa ſunt, ita nec in apocryphis. Apoſtolus autem ſpiritu Divino præditus, haud dubiè diſcernere potuit inter ejuſdem libri vera, & falſa. Quamquàm fortaſſè probabilius eſt, Judam hæc habuiſſe ex traditione majorum non ſcripta. Porrò Michaelem Apoſtolus Archangelum vocat, id eſt, omnium Angelorum Principem, non autem, ut nonnulli putant, unum ex ordine Angelorum. Nam Michaelem inter omnes Angelos eſſe ſupremum, ſatis liquet, tum ex iis, quæ de eo ſcribuntur Apocalypſ. 12. tum ex Officio Eccleſiaſtico, in quo Primas cæleſtis exercitus, atque Angelicæ militiæ Princeps appellatur. Non eſt auſus, &c. Senſus eſt, Michaelem Archangelum in illa contentione cum diabolo, abſtinuiſſe à maledictis ei inferendis, id eſt, noluiſſe ei maledicere, cùm jure poſſet. Ac ſi dicat Apoſtolus: Illa traditio, ſive ſcripta, ſive non ſcripta, ad quam reſpicio, non inducit Michaelem in illa altercatione maledicentem diabolo.* Menochius ſic explicat: *Non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, id eſt, blaſphemare diabolo, maledicere, convitiari, diris eum devovere. Argumentum ergo Apoſtoli eſt hujuſmodi. Michael Archangelus, cùm ſit puriſſimus, ſanctiſſimus, & modeſtiſſimus, non auſus eſt aliquid effari, quod blaſphemiam ſonaret, aut maledicentiam, nè vel per umbram eam nominandò ſe contaminaret, & quia maximè execratur blaſphemiam, & blaſphemos: ergo iniquiſſimum, & indigniſſimum eſt, infimæ notæ homunciones, & ſcelerum maculis notatiſſimos, Magiſtratuum, Principum, & Dei majeſtatem blaſphemare.* Tirinus: *In hac tam juſta Michaelis, tam iniqua diaboli cauſa, non eſt tamen auſus Machael inferre, ſeu impingere diabolo judicium blaſphemiæ, ſeu blaſphemam ſententiam, convitium: Maledicte Satan, abi perfide in gehennam, &c. ſed modeſtè, ac graviter illum compeſcuit.* Cornelius à Lapide hæc inter alia plurima habet: *Eſt argumentum ab exemplo, ait OEcumenius, quaſi diceret Sanctus Judas: Michael contendens cum Satana non auſus eſt eum, licèt impudentem, & merentem, blaſphemare, id eſt, convitiari: quomodò ergo hæretici audent blaſphemare majeſtatem, non tantùm Angelorum, & Sanctorum, ſed & ipſiuſmet Dei? Opponit ergo Michaelem modeſtum Gnoſticis impudentibus, & blaſphemis. Michael Archangelus. Arabicus: Princeps Angelorum. Eſt enim Michael omnium Angelorum ſummus, & Princeps, ideòque Tutor Eccleſiæ, uti olim fuit Sy-*

Synagogæ. Eſt hîc duplex in perſonis comparatio. Prima, quaſi diceret: Si Michael Archangelus non eſt auſus, quis hominum jure audeat? Secunda: Si nec diabolus quidem maledicendus eſt, quo jure Magiſtratus, & Principes maledicentur? Cum diabolo. Intelligit Luciferum: hic enim eſt Princeps dæmonum, uti Michael Angelorum: ideòque ejus antagoniſta. De Moyſi corpore: Vix alia ratio fingi poteſt, cur juſſerit Deus, Moyſen ab Angelis ſecretò ſepeliri, niſi, nè, ſi publicè ſepeliretur, adoraretur à Judæis. Quod enim aliqui dicunt, honoris cauſa id factum, ut ſcilicèt Hebræi Moyſen, quaſi abſconditum, vel raptum, magìs revererentur, minùs aptum videtur. Nam longè major, imò continuus, & perpetuus, fuiſſet honor Moyſis apud Hebræos, ſi ejus ſepulchrum viſere, & colere potuiſſent, ſicut ſepulchrum Sanctæ Catharinæ ſepultæ ab Angelis in Monte Sina, ab eiſdem revelatum, magna Fidelium è toto orbe adventantium peregrinatione, & devotione colitur. Plures alias ſententias de cauſa altercationis hujus recenſet noſter Serarius. Probabilior eſt illa ipſius Serarii, contendiſſe, ſcilicèt, diabolum, ut corpus Moyſi inferretur in terram promiſſionis, nec extra eam in Moab, utpote regione ſibi in idolorum cultu addicta, ſepeliretur, nè ab eo aliquod damnum acciperet, uti accepiſſe ſe à Sancti Babylæ ſepulchro in Daphne queſtus eſt, ſicut habet vita Sancti Babylæ, & ex ea Baronius tom. 4. Qua de cauſa ipſe ubique per hæreticos Sanctorum reliquias comburere, vel abolere ſatagit. Porro perperàm hæretici hanc abſconſionem corporis Moyſi torquent contra oſtenſionem, & cultum ſanctarum Reliquiarum. Nec enim Chriſtiani adorant cultu latriæ reliquias, ut Hebræi adoraſſent corpus Moyſi, nec ex Reliquiis, idololatriæ apud Chriſtianos eſt periculum, uti erat ex corpore Moyſis apud Hebræos. Vide Bellarm. lib. 2. de Reliquiis Sanctorum, cap. 4. Imò verò cultus Reliquiarum ex hoc loco evincitur. Si enim Sanctus Michael tantam habuit curam corporis Moyſi, ejuſque ſepulturæ, majorem utique nos habere debemus. Rurſum: Hinc collige: Si diabolus ita certat pro corpore Sanctorum in morte, quantò magìs certat pro eorum anima? Et viciſſim, ſi Michael, & Angeli ita defendunt corpora Sanctorum morientium, multò magìs defendent eorumdem animas. Hinc diabolus multis in morte apparet, ut eos percellat, & in deſperationem, aliudvè peccatum adigat. Unde Sanctus Martinus moriens, eo viſo: Quid hîc, ait, aſtas, cruenta beſtia? nihil in me funeſtum invenies, teſte Sulpitio in ejus vita. Hinc rurſum de Michaele canit Eccleſia: Conſtitui te Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas. Sanctus Michael enim, ſive per ſe, ſive per Angelos ſibi ſubordinatos in morte ſuſcipit animas juſtorum, eaſque defert in cœlum, vel immediatè, ſi nil purgandum habeant, vel mediatè per Purgatorium, ſi quid eo expiandum habent. Vide Serarium, & Lorinum hîc. Hinc illa Eccleſiæ pro mortuis precatio: Occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus, & offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. Non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ. Judicium blaſphemiæ vocat blaſphemiam, id eſt, maledictum juſtum, & meritum, juſtoque judicio irrogandum. Tigurina vertit: Non eſt auſus notam impingere maledicti, vel, ut Vatablus, convitium illi facere. Arabicus: Non eſt auſus ingredi in contradictionem ad eum blaſphemiæ. Aut judicium vocat condemnationem, & punitionem blaſphemiæ, qua Satan blaſphemabat Moyſen, cùm Michael vellet ejus corpus loco recondito ſepelire. Prima expoſitio, uti facillima, ita planiſſima eſt, eamque exigit ſequens antitheſis: Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant. Nota tò: Non eſt auſus; non, quòd Michael timeret diabolum, ſed quòd timeret proferre blaſphemiam, id eſt, convicium, & maledictum, utì rem ſe indecentem. Mirebatur diabolus maledictum, ſed per Angeli os blaſphemia exire non debuit, ait Sanctus Hieronymus ad Titum 3. Reſpexit Michael, ait Didymus, ad bonam diaboli naturam, atque idcircò maledictis abſtinuit, ſuoque exemplo docuit, quid nos facere oporteat, qui ſæpè odio, vel ira inflammati, non tam vitia, quàm homines inſectamur, & maledicimus. Idem diſertè docet Sanctus Hieronymus lib. 2. contra Ruffinum, ſervandum eſſe cuilibet Chriſtiano certanti cum ſuis æmulis, & obtrectatoribus, qualis Sancto Hieronymo erat

Ruffinus. Imò Eccleſ. cap. 21. 30. Dum maledicit (inquit) impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam. Quia hæc in impietate ſimilis eſt diabolo: illius ergo impietatem condemnans, ſuam ipſius condemnat. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

AB initio diabolus peccat, cujus invidia mors ingreſſa eſt in orbem terrarum. O quam peſſimus eſt noſter hic inimicus! Ipſe mundi deſtructor, ipſe eſt horribilium ſcandalorum patrator. Ideò juſtam indignationem Sancti Archangeli Michaelis meruit, quia ſua malitia animas pervertere voluit. Ex patre diabolo ſunt, qui proximos ſuos ſcandalizant, quod quidem ſufficere videtur, ut peccatum ſcandali maximè odio habeatur. Fugiat ſcandalizandi perverſitatem, qui horreſcit, quando audit, ſe, cùm talia agit, ducere a Satana originem. Sed heu! Multi nolunt filii diaboli appellari; & non divertunt à mala operatione dante occaſionem iſtius nomenclaturæ. Pejus eſt eſſe filios diaboli, quàm nomen diaboli filiorum habere. Nè ergo proximos ſcandalizemus, ut ex patre diabolo non ſimus. Ulteriùs. Sanctus Princeps Angelorum Michael valdè offenditur ab hominibus allicientibus alios homines ad peccatum, & ideo æmulantibus, ac imitantibus peſſimam conſuetudinem, & exercitium malignantium dœmoniorum. Scandalizantes proximorum animas, contrarii ſunt operationi Sancti Michaelis Archangeli: nam quod iſte perfecit, deſtruunt; quod iſte adquiſivit, peſſumdant, & quod iſte ædificavit, nequiſſimè labefactant. Michaelem Præpoſitum paradiſi honorificant Angelorum cives, quia eſt Dei nuntius pro animabus juſtis, & quia ei tradidit Dominus animas Sanctorum, ut perducat eas in paradiſum exultationis. Quomodò ergo non cum Sancto Michaele omnes Sancti Angeli, & Archangeli, omnes ſancti beatorum ſpirituum Ordines, omnes quoque Sancti, & Sanctæ Dei, deſpicient, & odio habebunt impium, qui perſuadet ſuo dicto, aut exemplo ad peccatum, ſcandalizans proximum, quaſi nuntius pro dœmonibus, & animabus iniquis, & diaboli imitator, qui ad hoc deſiderat animas, quas ad peccandum provocat, ut eas à Deo auferat, à paradiſo releget, & ad barathrum gehennalis condemnationis perducat? Diſcamus, vel ob iſta, vitare peccatum ſcandalizandi proximum. Orantes in duabus orationibus ſequentibus, ab omnibus quidem delictis optemus exui; ſed præcipuè eripi ab iniquitate ſcandali.

Oratio Officii Dominicæ Quinquageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: atque à peccatorum vinculis abſolutos ab omni nos adverſitate cuſtodi. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

ORamus hodie Dominum noſtrum, ut noſtras velit preces clementi exauditione proſequi: quia eadem Dei clemens exauditio, dum nos fuerit conſolata, aſſociabitur ab aliis beneficiis nobis per Divinam Majeſtatem conceſſis. Inſuper rogamus Deum, quatenùs quos à peccatorum vinculis abſolverit, ab omni adverſitate dignetur nos cuſtodire. Jam abſolvens à peccatorum vinculis, à majori omnium nos cuſtodiet adverſitate; quia nulla eſt, quæ peccatis poſſit comparari, cùm nihil peccato pejus, nihil nobis magìs contrarium, & adverſum poſſit umquàm reperiri, quàm peccatum. Qui jam à Deo noſtro obtinuerimus eſſe à peccatorum vinculis abſoluti, conſequenter etiam (ſi ipſe voluerit) à temporalibus omnibus adverſitatibus cuſtoditi, tenebimur majoris erga Deum gratitudinis debito, & obligatione. Nam duplicatum nobis bonum eſt vinculis peccatorum carere, & ab omni quoque cuſtodiri adverſitate. Quamvìs pretioſius nobis ſit à vinculis peccatorum abſolvi, in magno etiam pretio habere

bere debemus, quòd nobis Deus etiam in temporalibus benefaciat, & ab omni adverſitate cuſtodiat ſuos ſervos, quos noverit quoquo modo tribulatos. Utroque Domini noſtri favore egemus, qui vinculis peccatorum conſtricti, ac etiam ſumus multiformi circumdati adverſitate. Nos (quibus eſt opus Medicus, quia ſumus fragiles, & infirmi, & quibus eſt neceſſitas tum abſolutionem, tum cuſtodiam inquirendi, quia benè degere non poſſumus, quin ſimus à peccatis abſoluti, atque ab omni adverſitate cuſtoditi) utrumque beneficium à pietate Dei noſtri percipere jurè optimo ſperamus (quamvis meritum nobis non inſit) & ſperare debemus; ſiquidem animarum noſtrarum, ſimulque & noſtrorum corporum benigniſſimus Conditor, qui de nihilo voluit, & potuit nos facere, curam aget ſpiritus, atque etiam carnis noſtræ; & quoad temporalia non obliviſcetur noſtri, qui quoad ſpiritualia nobis miſericorditer ſtatuerit benefacere. Hæc omnia conſequendi ſpe firma ſimul ducti, atque obarmati, orationem ad Deum hodie fundimus, petentes ab eo, ut ipſe, qui eſt noſter Dominus, preces noſtras clementer exaudiat, atque à peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos adverſitate cuſtodiat.

ORATIO SECRETA.

HÆc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta: & ad Sacrificium celebrandum, ſubditorum tibi corpora, menteſque ſanctificet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

UT ab Altaris Hoſtia emundentur noſtra delicta, utque ad Sacrificium Sanctæ Miſſæ celebrandum, ſubditorum Deo corpora, menteſque ſanctificet eadem Hoſtia in Altari Sacro ipſi Domino oblata; hodie ante ſuam Majeſtatem Divinam ſiſtimus, optantes non apparere vacui in conſpectu ejus, cujus benignitatem pro bonis obtinendis ſuppliciter exoramus. A delictis emundati quoad animam, etiamque quoad corpus; erimus apti, qui Domini cultui dicemur, & applicemur, ac taliter ſanctificati, dicati, & applicati, Deo placeamus ipſi. Quid ignominioſius nobis, quàm fœdari delictis? & quid nobis honoratius, quam ſanctificari, emundati in corpore, & anima, ut mundi apparere valeamus (quantùm poſſibile fuerit) coram Majeſtate Divina? Subditi proinde ſimus Domino, & oremus eum, ut à tanto, ac tali Domino inter fideles ſervos computari, & intrare in gaudium illius, mereamur proſperè, & jucundè conſequi. Sancta ſanctè tractabuntur, ſi mundi ſint pueri, ut panem ſanctum poſſint ad ſuam refectionem recipere. Sint mundi, maximè a mulieribus, pueri, quia regnant cum Deo, & Agnus Dei cum illis, hi, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Sint ſanctificata corpora, & ſanctificentur mentes, ut Sacrificium celebretur, & ut acceptabile fiat Sacrificium noſtrum. Lavemus in bona confeſſione lachrymis maculas criminis, & accipiemus majorem fructum, appropiantes ad Altare Dei, & ad Sanctum Sacrificium. Præeat Sacramentalis Confeſſio, ut ſubſequatur facta ab Altaris hoſtia corporum, & mentium ſanctificatio. Immolemus Deo ſacrificium laudis: demus gloriam Deo, & confiteamur, ut quondam dicebat militi Achan ille magnus Dux Joſue. Sacrificium laudis honorificans Deum magni pendatur à nobis. Illic iter, quo oſtenditur nobis ſalutare Dei, quandoquidem viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Oſtendit nobis Dominus miſericordiam ſuam, & ſalutare ſuum dat nobis, quando Miſſam Sanctam celebramus, ac Sacram Communionem percipimus. Ad tanta igitur, & talia benè paremur, nè noſter Dominus inveniat nos imparatos. Non vincamur ſocordia, qui horam, qua Dominus nos vocaturus ſit per mortem, neſcimus, & diem noſtræ migrationis ex hoc corpore ignoramus. Qui Deo in Altari hoſtiam laudis immolamus, reddamus Altiſſimo vota noſtra, quia congruit libantibus, ut vota noſtra Domino reddamus in conſpectu populi ejus, maximè quando in Altari Sacro Calicem ſalutaris

Digitized by Google

accepturi ſumus, & nomen Domini ſumus ibidem invocaturi. Hæc dignum, & juſtum eſt nos retribuere Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis, profectò repletis illius innumeris beneficiis. Sed, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, quando introjerimus domum Dei in holocauſtis, ac reddiderimus illi vota noſtra, quæ diſtinxerunt labia noſtra, & locutum eſt os noſtrum in tribulatione noſtra; ſciamus, quòd ſi iniquitatem aſpexerimus in corde noſtro, non exaudiet Dominus. Emundemus nos ergo ab omni inquinamento corporis, & ſpiritus, ut levemus manus puras ad Deum; ſcrutatur quippe ille renes, & corda, & ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis ipſe, qui etiam eſt Sol Divinus, cujus ſanitas eſt in pennis ejus; qui, ſi ſanaverit nos, verè ſanabimur, & ſi ſalvos fecerit nos, ſalvi erimus. Utinam Altaris hoſtia emundet noſtra delicta, & ad Sacrificium celebrandum, ſubditorum Deo corpora, menteſque ſanctificet. Propterea exaudiet Deus, & attendet voci deprecationis noſtræ. Tunc cognoſcemus, quòd Deus eſt benedictus Dominus, qui non amovit orationem noſtram, & miſericordiam ſuam à nobis, quos ſuis impleverit exoptatis beneficiis.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QVia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Secundùm verbum tuum in pace.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro *Magnificat*.

SImon de Caſſia ait: *Ad quam veritatem Virgo ſe contulit, unde à Domino reſpecta eſt, advertamus: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Virgo hæc noverat, quid gratam coram Domino ipſam potuit efficere. Quod cùm reperiſſet, cunctis viſibilibus prætermiſſis, ſibi adſcivit in voce. Non propinquitatem generis, non pulchritudinem corporis, non artis additamenta, non eloquentiam, non humanam prudentiam, non divitias, non cætera talium, ut à Deo reſpiceretur, enuntiat; necnon & quæ majora ſunt, reticet: non ſanctificationem in utero, non virginitatem in placito, non orationem, non contemplationem, non ſenſuum cuſtodiam. Alias omnes ſilet ipſa virtutes, dumtaxàt ſibi de humilitate blanditur, quia illam in ipſa præ omnibus vernantibus bonis, intuitus eſſet Altiſſimus. Aptè porrò, quoniam à contraria feneſtra ejus ſe prima mulier cum omni ſua prole de arce bonitatis dejecerat, & inde Lucifer de altiſſimis ſedibus ad pallidas ſedes cum ſuis ſequacibus potenter ejectus eſt. Mirum in modum non prodit fidem, ſubticet ſpem, non nominat ſuperexcedentem omnia charitatem: cunctæ virtutes in ſilentio factæ ſunt, pro humilitate ſolùm ſe reſpectam à Domino, gloriatur: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Hucuſque Simon de Caſſia. Hugo Victorinus dicit: *Parentes noſtri in paradiſo in ſuperbiam elati deſpexerunt eſſe ſub illo, à quo fuerant conditi, & voluerunt per vorsè cum illo eſſe in majeſtate conſimiles, qui non erant in natura æquales. Convenienter ergo gratia culpæ reſpondet. Eva per ſuperbiam creaturam Dei ſe eſſe, & opus Dei, non conſiderans, Deo parificari voluit; Maria autem ſuo factori humiliter ſe ſubdens, ancillam ſe nominavit: & idcircò illa abjecta, & iſta electa eſt. Superbam deſpexit, & humilem reſpexit: & quod ſuperba perdidit, humilis recepit. Ideò ait: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Cornelius dicit: *Dat Beata Virgo cauſam, cur exultet in Deo Jeſu ſuo, quia, ſcilicet, ipſe reſpexit, id eſt, benignis oculis aſpexit, approbavit, amavit, amplexus eſt humilitatem Virginis, in eaque ſibi complacuit. Audi Sanctum Auguſtinum hic: Benè ergo Maria, ſolam in humilitatem Dominum reſpexiſſe, teſtatur, quia Divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per ſuperbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Beatus Bernardus ſerm. 57. in Cantica: Deus, inquit, reſpicit terram, & facit eam tremere, è regione reſpicit, Mariam, & infundit gratiam. Reſpexit,* ait,

ait, humilitatem ancillæ ſuæ. Baeza tom 1. in Euang. cap. 9. de Mariæ Deiparæ Cantu apud Zachariæ domum ait : *Singulari prudentia Virgo Maria tribuit humilitati ancillæ; quòd fuerit à Deo proſpecta. Una enim forma ſervi, obedientiſque ancillæ ad ſe rapit Divinitatis oculos. Hinc Maria Virgo penſat ſua merita, ob quæ oculis Divinis placeret, nimirum ob obedientiam, quatenus ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita Mariæ oculi ad Dominum Deum noſtrum.* Barradas hæc habet : *Eſt ergo ſenſus : Deum magnificat anima mea, atque exultat, quia meam humilitatem, id eſt, exiguitatem, & abjectionem reſpexit, quia miſericordiæ pleniſſimos oculos in me abjectam ancillam ſuam conjecit. In hunc ſenſum exponit Catena Græca adjuncta Pſalmis Theodoreti, quaſi dicat Virgo : Quæ ego ſum ad tantum officium? Ipſe reſpexit, non ego expectavi, humilis namque eram, abjecta, & nunc à terra in cælos tranſeo, & ad arcanum miniſterium trahor. Hæc in Catena. Reſpexit Virgo humilitatem ſuam, id eſt, animi ſummam ſubmiſſionem, qua ſe abjectam ancillam habebat, conſiderabat: Deus verò reſpexit ejus humilitatem, id eſt, animi ſummam ſubmiſſionem, qua ſe abjectam ancillam reputabat. Divus Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 5. §. 1. Beata, inquit, Maria quantò major fuit, tantò minor ſibi ipſi videbatur, propter immenſam humilitatem, &c.*

Pro : *Benedictus*.

SImon de Caſſia dicit : *Chriſtiana poteſtas in cornu natura ſignatur. De carne cornu conſurgit, ſed carnem omnino eſſe negamus. Qui cornu nunc utitur in carne vivens, ſuper carnem factus agnoſcitur. Cornu utitur qui à carnalibus vitiis omnino receſſit, qui in virtute ſolidatus, non molle ſcit terrenis deliciis; qui mundum ventilat, à ſe ipſo excutiens; qui repugnat impugnantibus; qui cornu petit inviſibiles dæmonum poteſtates; qui velut cornu ſuſtinet aereas poteſtates; qui carnem per omnia ſuperat; qui temporalium rerum pellem per omnia ſuppeditare contendit; qui manet impaſſibilis ad forinſecas actiones. Etenim cornu in his, impaſſibilis dicitur eſſe naturæ, ut neque pluviam, neque aeris ſerenitatem, neque aeris qualemcumque pro tempore intemperiem expaveſcat, quamvis & beſtiarum pili hac impaſſibilitate potiantur, ſed carent virtute, qua poſſint violenter, aut ultrò adverſa depellere. Dicam cuique, quàm ei ſit benè, ſi exiſtens in carne, ipſam exceſſit : degens in corpore, ipſum ſuperavit : corporali pondere preſſus, ſpiritualiter vixit : in terrenis habitans, in cæleſtibus mente converſatus eſt. Sed hoc cornu non inſurgit à natura corrupta, non à nobis radicatur in capite : erectum eſt nobis à Domino in domo David pueri ſui, ſervi Dei, famuli Dei, ſcilicèt, in Chriſto, in ejuſque domo, in Eccleſia ſancta ejus, ubi eſt omnis ſanctitas ejus. Domus Chriſti, Eccleſia Chriſti. Extra illam, nemini erectum eſt cornu ſalutis. Nulli ſalus, qui de ipſo non erit. Domus Chriſti, domus virtutum, domuſque donorum, ubi nobis erecta ſunt cornua. Nam & Joannes vidit Agnum tamquam occiſum, in cujus capite cornua ſeptem. Cornua ſeptem, virtutes ſeptem, dona ſeptem, beatitudines ſeptem, quibus omne ad ſalutem nobis oppoſitum impugnemus, non in noſtra, ſed in Agni virtute, qui tollit peccata mundi, ut non condemnetur, ſed ſalvetur mundus per ipſum.* Hucuſque Simon de Caſſia. Maldonatus ſic explicat : *Erexiſſe autem hoc cornu Dominus dicitur, quaſi prius dejectum fuiſſet; dum opem populo ſuo non ferebat, nunc verò, quaſi rectum, & in ſublime ſublatum appareat. Significat cornu, aut Regem, ſive regni gloriam, quia Rex tota gloria, totum robur eſt regni. Hic etiam ſenſus rectè in hunc locum congruit, eo etiam magis fortaſſe, quam alter, quòd myſterium magis exprimit, dum non quodcumque à Deo auxilium, ſed ille ipſe tamdiu expectatus Chriſtus miſſus declaratur. In domo David pueri ſui. Servi, aut Miniſtri ſui, ſervum autem, aut miniſtrum Dei Davidem vocat, non ſolùm, quia Deo placuerat, ſicut omnes ſancti ſervi Dei vocantur, uſque adeò, ut Deus quodammodò gloriaretur, ſe virum inveniſſe ſecundùm cor ſuum, & omnes Reges boni dicerentur in viis Domini ambulaſſe, juxta omnia, quæ fecerat David ſervus ejus; ſed etiam, quia miniſter fuerat Dei in ejus populo gubernando :*

do: & quia in ea ipſa re Chriſti perſonam geſſerat, & illuſtriſſima illius figura fuerat, ita prorſus, ut Chriſtus multis locis David appelletur, & eo nomine populo promittatur.

Pro: *Nunc dimittis.*

BArradas ait: *Hoc eſt: A te accepi, non viſurum me mortem, donec viderem Chriſtum Domini. Jam video Chriſtum Domini: jam ergo in pace, tranquilla, & quieta morte ex hac procelloſa vita abire poſſum. Jam moriar lætus.* Toletus dicit. *Annotandum eſt, pacem hanc non eodem modo ab omnibus intelligi. Euthymius quidem multipliciter interpretatur. Primò in pace cogitationum: antequàm enim impletum eſſet oraculum, variæ cogitationes mentem Simeonis agitabant, eo autem impleto, tranquillus eſt ejus animus; quaſi diceret: Nunc quæ me turbabant de Divina Incarnatione cogitationes pacificatæ. Secundò ſum in pace intrepiditatis; timebat enim mori propter profundam ſenectutem; at viſò jam Chriſto, ſecurus erat, ſe non moriturum, Chriſto non viſo. Tertiò in pace gaudii, quaſi diceret: Deinceps non contriſtabor propter libertatem Iſraelis, quia vidi jam liberatorem. Hæc Euthymius.* Maldonatus hæc habet: *In pace, ut ſit ſenſus: Nunc dimittis me in pace, id eſt, contentum, atque quietum animo, quemadmodum mihi promiſſeras. Ad utrumque refertur. Cùm enim Deus Simeoni promiſit, ſe illum non dimiſſurum, niſi Chriſtum vidiſſet, promiſit, Chriſto viſo, ſe illum in pace dimiſſurum. Atque hoc eſt, quod dicit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. In pace autem Cyprianus interpretatur in libro de mortalitate, quaſi in pacem, tamquàm ſe non in pace, id eſt, contentum, atque tranquillum mori, dicat, ſed quaſi ad vitæ æternæ pacem ex hujus vitæ carcere dimitti. In eamdem ſententiam Theophylactus interpretatur. Alii, quaſi in pace jam per Chriſtum inter Deum, & homines conciliata, ut Origenes homil.15. Ambroſ. in Commentar, & Gregorius Nyſſenus apud Sanctum Thomam.* Vincentius Regius inquit: *Cùm mors (ait Sanctus ſenex Simeon) omnibus terrori ſit, nunc, dum vitam manibus, & ſinu geſto, metus mihi omnis adimitur, nec elabi patiar hanc tutò, & cum gaudio moriendi opportunitatem. Cùm quis manus plenas divitiis habet, vel in theſaurum incidit, locare illum in tuto loco ſtatim cogitat. Ita ego, ait, inventum hunc theſaurum, per mortem meam tutum in ſempiternum reddere cogito, quem certè multis expoſitum periculis in hac vita, non ignoro.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & explicata.

DEus, qui Beatæ Mariæ maximè favit, quando illius humilitatem reſpexit, favorem magnum fecit David puero ſuo, cùm cornu ſalutis, nempe potentiam, & regnum Chriſti, nobis erexit, in ejus familia, & domo: nec oblitas eſt idem Dominus Simeoni ſeni favere, quem voluit dimitti in pace. Tribus perſonis ſanctis, nempe, Deiparæ Virgini, David, ac Simeoni Deus impertivit beneficia pro ſua infinita miſericordia, ſed omnibus tribus humilitatem conceſſerat, per quam tres animas iſtas ad ſua dona paraverat percipienda. Eo plùs in adamante lucet ſplendor, & claritas, quò in ipſo major invenitur apta ad coruſcandum profunditas: nec profectò adamas adeò micaret, ſi ſibi proficua profunditate ad lucem percipiendam, imò & refundendam, careret. O mirum fundum, quo gaudere adamas noſcitur, & per quod dum lucem accipit, pulchrum ſplendorem diſtribuit! Non ſic vitrum, quamvis refulgeat, quia illud, dum de profunditatis defectu notatur, ictu quolibet deſtruitur; nec refert adamantem in ſoliditate, etiam gaudens pulchritudine. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Voluit Deus, ſuam Sanctiſſimam Genitricem, Davidem quoque, & Simeonem ſuæ gratiæ dono ditare, ſed in omnibus his decrevit humilitatem ſtatuere. Dei Genitrix humillimè ancillam ſe nominat; David dicit: *O Domine, quia ego ſervus, tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillę tuæ;* ſe exercens in profunda humilitate: Si-

meon

meon quoque humiliter vult deſcendere ad inferiores partes terræ, optans in limbum abire. Iſtis humilibus dedit Deus gratiam, ut eſſent in ſe verè ditati, & nobis poſſent exemplum profundæ humilitatis prębere. Itaque æmulemur quod in ipſis celebramus: vacuemur ſuperbia, nè Deus nobis reſiſtat: repleamur humilitate, ut ille nobis det gratiam. Et nunc humiliter oremus poſt Sacram Communionem receptam, ut quo humiliores, eò magis ſimus in dono cœleſti divites.

Oratio poſt Communionem.

Quæſumus, Omnipotens Deus: ut qui cœleſtia alimenta percepimus, per hæc contra omnia adverſa muniamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Tamquàm leones igitur ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, loquens de ſacra menſa Euchariſtica, in qua mirabilem fortitudinem dat nobis Divina miſericordia. Sed, ut ſciamus, quòd abſque Dei dono, & carentes ſua gratia, nihil poſſumus; ideò ab Eccleſia edocti, à Deo humiliter petimus; ut nobis concedere velit idipſum, quod communiter efficere Divina Euchariſtia aſſolet. Oramus itaque, ut qui cœleſtia alimenta percepimus, per hæc contra omnia adverſa muniamur. Reſiſtemus quidem diabolo fortes in fide, Deo dante, qui myſterium fidei accepimus, dum pane cœleſti cibati ſumus. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, id eſt, ut ait Areſius, Sanctiſſimum Sacramentum, quod apellat Clypeum Solis Tertullianus, Deo agemus gratias, qui dabit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in Deo noſtro tranſgrediemur murum. Ipſe Deus, ut ſcuto bonæ voluntatis ſuæ coronavit nos: & lætabimur omnes, qui ſperamus in eo, in æternum exultabimus, & habitabit in nobis. Hoc fidei ſcuto circumdabit nos veritas ejus, ut nos nulla pericula timeamus; cadent à latere noſtro mille, & decem millia à dexteris noſtris, nobis forti adeò ſcuto circumdatis: quia Deus, qui nos dilexit, & erga nos bonam voluntatem habuit, ad fortitudinem noſtram hoc Sanctum Euchariſticæ Sacramentum inſtituit. Portans Judith aſcoperam vini, & panes, profecta eſt, ut Holofernem dejiceret, ut faceret confuſionem in caſtris Aſſyriorum, & ut hæc conſequens, ſibi intrepida provideret, dum etiam eo facto, cuncto populo Dei ſua fortitudine proſpiceret. Quarè, niſi quia panes, & vinum præfigurabant apud Judith Divinum Euchariſtiæ Sacramentum? Ergo nos, qui non figuram Sacræ Euchariſtiæ, ſed eam ipſam ſumimus quotidie inter Miſſarum ſolemnia, ſacro appropriantes Altari: qui hodie, inquam, celebrantes, & Sacram Communionem ſumentes, cœleſtia alimenta percepimus, quia ſumus mirabiliter refecti Corpore, & Sanguine Chriſti; dum talibus verè, & realiter muniti ſumus, jurè per hæc Divina Myſteria muniri fideliter ſperamus contra adverſa omnia; quia ad hoc largitas Divina talia, ac tanta nobis indulſit myſteria. Faxit Deus, ut horum myſteriorum perceptio ſit fortitudo fragilium, ſit contra omnia mundi pericula firmamentum. Utinam qui cœleſtia alimenta percepimus, per hæc contra omnia adverſa muniamur. Si adverſatur peccatum, hæc cœleſtia alimenta contra peccatum nos roborent per gratiam, quam ſecum afferunt. Si adverſatur mors, muniamur contra mortem, quia accipientes panem vitæ, panem accipimus defendere valentem ab ſpirituali, ac etiam corporali morte, ſiquidem vitam mentis, ac etiam corporis ſolet multoties largiri. Si adverſatur paupertas, contra eam muniamur, qui Chriſtum, cui omnia dedit Pater in manus, & cujus manus tornatiles ſunt, accipimus. Si adverſatur infamia, contra eam muniamur per cœleſtia myſteria, verum nobis honorem filiorum Dei portantia. Ergo magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, à quo tam magna bona petimus, & ſperamus.

CAPUT DECIMUMQUINTUM

Pro Dominica prima Quadrageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ primæ Quadrageſimæ. Qui quidem Textus eſt hic :

Sed dixit : Imperet tibi Dominus.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

VErſio Æthiopica legit : *Sed dixit : Te potior Deus eſt.* OEcumenius : *Sed dixit : Increpet tibi Dominus.* Pagninus : *Increpet te Dominus.* Gloſſa Interlinealis explicat : *Imperet tibi Dominus, ut quieſcas.* Nicolaus de Lyra : *Sed dixit : Imperet tibi Dominus. Ut deſiſtas à dicta revelatione. Licèt antè hoc non ſit ſcriptum in fine Deuteronomii ubi agitur de ſepultura Moyſi, tamen credendum eſt firmiter, ſic fuiſſe, propter dictum Apoſtoli loquentis ex Spiritu Dei.* Eſtius: *Sed dixit: Imperet tibi Dominus. Græcè: Increpet te Dominus. Quod & in nonnullis eſt manuſcriptis Latinis. Utrumvis autem legas, ſenſus convenit, eſtque hujuſmodi : Deus te coerceat, & conatum tuum prohibeat. Hoc autem non erat maledicere, ſed tantùm imprecari à Deo mali conatus impedimentum. Simile quid habetur Zachariæ 3. Dominum, id eſt, Angelum Domini, dixiſſe ad Satan : Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te. Ubi pro Satan, diabolum tranſtulerunt Interpretes Septuaginta. Porrò argumentum hujus loci tale eſt : Si Michael Angelorum Princeps noluit maledicere diabolo, quamvìs peſſimo, & æternis ſuppliciis addicto, ac omninm maledictione digniſſimo ; ſed modeſtiſſimè ei reſtitit, tantùm utens his verbis : Increpet te Deus : quæ igitur audacia, & ſuperbia eſt, homines terrenæ, fragiliſque naturæ convitiis inceſſere ſpiritus illos Angelicos qui ſunt in cœleſtibus, & tanti ſunt apud Deum, ut gloriæ, ſeu Majeſtates appellentur?* Menochius : *Imperet tibi Dominus. Quaſi dicat : Tuam inſolentiam, malignitatem, nequitiam comprimat, teque cogat, ut permittas occultè ſepeliri Moyſen,* Tirinus : *Imperet tibi Dominus, id eſt ; tuam, ò Satan, inſolentiam, ac nequitiam comprimat Deus potenti ſuo imperio, nè tantum mali cauſes populo illius.* Hugo Cardinalis : *Sed dixit (cùm modeſtia, ſcilicet, & manſuetudine) Imperet tibi Deus. Hoc eſt contra multos Prælatos, qui cum auſteritate imperant, & cum potentia, unde & diſperguntur oves gregis eorum. Ezechiel 34. à Non ſolùm in malos, & diſſolutos manus mittentes reſtrictionis, imò & in bonos, quibus non eſt lex poſita, ſicut dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. 6. cùm dicat Gregorius, quòd ubi non delinquimus, pares ſumus. Et propter hoc bonum eſt, & cautum, quòd omnes attendant quod dicitur hìc, quòd non eſt auſus Michael, qui tantus erat, imperare diabolo : ut & ipſi pauca imperent, vel nulla, &, ſi oportuerit, hoc faciant cum timore, & manſuetudine. Pſalm. 89. Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur. Vel Eccl. 4. d. Noli eſſè ſicut leo in domo tua evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi.* Cornelius à Lapide : *Sed dixit (modeſtè, & graviter :) Imperet tibi Dominus. Sanctus Hieronymus in cap. 3. ad Titum legit : Increpet tibi Dominus, ſecutus Syntaxin Græcam. Quaſi dicatur : Deus tuam inſolentiam, malignitatem, nequitiam comprimat, ò Satan, teque cogat, ut permittas occultè ſepeliri Moyſen, nè, ſi publicè ſepeliatur, Hebræis detur occaſio idololatriæ, ut velint eum adorare. Deus ergo increpando tibi imperet cum poteſtate, & objurgatione, id eſt, poten-*

potenter, & cum imperio reprimat, & compeſcat te, inquè, & indignè mihi reſiſtentem. Sic in Evangeliis nunc vertitur increpare, nunc imperare, quia increpando imperatur: ut quod Interpres vertit Matth. 8. 26. *Imperavit ventis, apud Mar. cap.* 4. 39. *Comminatus eſt. Hebr. enim gaar, id eſt, increpare, per catacheſin, & metalepſin ſignificat increpando imperare, comprimere, compeſcere, ſedare, ut patet Nahum* 1. *Pſalm.* 9. *Pſalm.* 119. *Pſalm.* 106. *Pſalm.* 104. *Iſaiæ* 50. *&c. Nota. Poterat Sanctus Michael per ſe compeſcere inſolentiam diaboli, quia eo potentior eſt, & ſuperior, ſed maluit ex modeſtia, & reverentia hoc opus, & hanc virtutem transferre in Deum, quem uti nomine præfert, ita multò magis corde, & opere refert, ab eoque poſtulare, ut diabolum comprimeret. Idem fecit Sanctus Macharius Alexandrinus, ut habet ejus vita. Porrò Sanctus Ambroſ. in Luc. cap.* 8. *cenſet, idem feciſſe Chriſtum, cùm ventis in mari conſiſtantibus quietem imperavit, dicens: Tace, & obmuteſce, hoc enim dixiſſe diabolo, qui hos ventos, & tempeſtatem in mari concitabat. Idem uſurpat Eccleſia, dum baptizandos, vel energumenos exorcizat.* Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata a gehenna: inquietum malum: plena veneno mortifero. In ipſa benedicimus Deum, & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. Quid his verbis Sancti Jacobi Apoſtoli aptius, & eloquentius, ut linguas noſtras timeamus; & ut illas timentes, Deum pro eis cohibendis oremus; & ut orantes, cum ejus gratia, operemur, quatenùs ab omni peccato linguæ, ac maximè à maledictione, abſtineamus? Ignis eſt lingua: ergo horreamus combuſtionem; univerſitas iniquitatis eſt; paveamus iniquitatem edoceri, ac omnem malitiam diſcere. Maculat: ergo trepidemus fœdari; inflammat: caveamus nè in cinerem ab ea redigamur; inquietum malum eſt: vereamur, nè per illam æterna quiete privemur; plena eſt veneno mortifero: ergo fugiamus virus linguæ, nè incurramus malum mortis, & infelicitatis æternæ. Imò, quia in lingua inveniuntur proprietates plurium noculentarum rerum inter ſe conjunctæ; peccata linguæ aſpici, vel percipi non valebunt (ſi benè perpendantur) ſine horrore valido à tali veniente monſtro. Non ſolùm ignefacit, ſed etiam malè docens pervertit; pervertens maculat; maculans inflammat; inflammans inquietat; & inquietans, læthaliter quoque intoxicat. Quia virulentior eſt baſiliſcus, quamvìs corpore parvus, eſt inter ſerpentes, & dracones regulus, quaſi præ omnibus veneniferis magnus; ſic, quamvìs parva, poteſt dici lingua mala rerum omnium noxiarum præcipua, & quaſi regina, dum cuncta, quæ ſeparata damnificant, peſſimam linguam inhabitant. Proh dolor! Vertimus in noſtrum malum, quod in noſtrum vergere poterat, ſi vellemus, beneficium; ſiquidem Dei gratia adjuti, valemus agere, ut benedictio, & non maledictio procedat à noſtro ore. Non maledicamus, qui benedicere poſſumus: & qui ſanctas Dei Imagines, ut Catholici, valdè fugimus offendere; agamus, ut boni Chriſtiani, nolentes hominibus, qui ad ſimilitudinem Dei facti, & formati ſunt, maledicere. Laudabimur, ſi potentes tranſgredi, non tranſgreſſi fuerimus, & maledicere valentes, numquam maledixerimus. Diſcamus à Sancto Archangelo Michaele modeſtiam, qua maledicere etiam diabolo noluit; & ſub tanto Præceptore, imò & Signifero ſancto, militiæ Dei adſcribamur; ut inter Angelorum choros æternaliter gloriemur. Laudemus etiam Dominum, quem laudant Angeli, laudemus, inquam, Deum noſtrum, & benedicamus illum, orationes ſequentes fervidè recitantes, & in eis petita piè obtinere cupientes.

Digitized by Google

Oratio Officii Dominicæ primæ Quadrageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

DEus, qui Eccleſiam tuam annua Quadrageſimali obſervatione purificas: præſta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

PUrificat quidem Deus Eccleſiam ſuam per obſervationem Quadrageſimalem annuam. Æquum eſt, ut reddatur jejuniis Quadrageſimalibus Eccleſia quotannis magis pulchra, quæ, quia tota pulchra, eſt Dei amica, ac ipſius Domini jurè vocatur ſponſa. Non eſt macula in Eccleſia Dei, quæ ſemper eſt ſancta, quamvis aliqua membra ipſius corporis inveniantur imperfecta, fæda, ſive maculata: & hoc non tollit, quòd Eccleſia ſit ſine macula, & ruga. Eſt Eccleſia integra, & perfecta, etiam habens aliquod membrum, vel aridum, vel tortuoſum; quia, cùm habeat Eccleſia ipſa perfectiſſimum Fidelium Sanctorum corpus, cujus caput eſt Chriſtus (verùm enim eſt, quòd multi unum corpus ſumus in Chriſto, qui eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, & etiam candor eſt lucis æternæ, & Imago bonitatis Dei, ac Sanctus ſanctorum, in quo ſibi benè complacuit Pater Æternus) cùmque eadem Eccleſia ſit civitas ſancta Jeruſalem, deſcendens de cœlo à Deo, parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo: (nam venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe. Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido. Byſſinum enim, juſtificationes ſunt ſanctorum: ac proptereà fortitudo, & decor indumentum ejus, atque etiam byſſus, & purpura indumentum ejus: & omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs: adducentur Regi virgines poſt eam: propter quod ſurrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt: vir ejus, & laudavit eam: Multæ filiæ congregaverunt divitias, nempe, lex naturalis, & ſcripta, ſed tempore feliciſſimo legis gratiæ Eccleſia Chriſti ſupergreſſa eſt univerſas: & vincit lex Euangelii omnes perfectiones gratiæ, ac virtutes omnes legis naturalis, & ſcriptæ:) Cùm etiam hæc Eccleſia Chriſtiana Catholica, nempe, Romana (extra quam, velut extra arcam Noe, non eſt vera ſalus, nec vita) habeat legem Domini immaculatam convertentem animas, & præceptum Domini lucidum, illuminans oculos; habeat quoque ſancta ſeptem Sacramenta à Chriſto Domino ſua poteſtate excellentiæ inſtituta ad animas ſanctificandas, & in gratia perficiendas: ideò omnibus numeris eſt iſta Eccleſia ſancta, & pulchra; quin ab ea auferat pulchritudinem imperfectio aliquorum minùs principalium membrorum, ſicut non aufert in materialibus, & viſibilibus tortuoſitas, aut deformitas membri, quòd dicatur, corpus (aliunde quoad principalia ſpecioſum) pulchritudinis gloria gaudere, ac dignum eſſe, ut formoſitate ornatum valeat haberi, & denominari. Ut igitur, inquam, quotannis integrior Eccleſiæ pulchritudo, formoſitas, ſanctitas, atque ſpecioſitas appareat, eam Dominus Deus noſter annua Quadrageſimali obſervatione purificat. Jejunium quidem ſpiritualiter tortuoſa membra dirigit, & offuſcata clarificat; quia, cùm Dominus corporali jejunio vitia comprimat, mentem elevet, virtutem largiatur, & præmia per Chriſtum Dominum noſtrum docentem nos jejunare per ſuum ſacratiſſimum quadraginta dierum, & quadraginta noctium jejunium; jejunio idem Dominus Sanctus, Pater Omnipotens, Æternus Deus, etiam per eumdem Chriſtum, quotannis peccatores illuminat, & dirigit in portum ſalutis, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Ideò, ſicut Judith jejunanti Deus contulit ſplendorem, ac velut claritas Dei illuminavit Civitatem Sanctam Jeruſalem, ut nox non ſit ibi; ita ſimiliter per hanc jejunii purificationem, quando Deus Eccleſiam ſuam annua Quadrageſimali obſervatione purificat, Deus ipſe facit, quod Eccleſia, quæ ſancta eſt, ſanctificetur adhuc; & quæ juſta eſt, ju-

ſtifi-

Digitized by Google

ſtificetur adhuc, ac ſic apud Dominum erit confeſſio, & pulchritudo in conſpectu ejus, ſanctimonia, & magnificentia in ſanctificatione ejus. Utinam igitur ad prædicta Deus noſter familiæ ſuæ præſtare dignetur, ut quod ab illo obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Fructuosè jejunaverunt filii Iſrael ſub Samuele congregati in Maſphat: ſed priùs abſtulerunt Baalim, & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli: jejunantes in die illa dixerunt: *Peccavimus Domino*. Similibus bonis operibus debemus exequi illud, quod à Deo obtinere abſtinendo nitimur, ut familia Dei, quæ ſe affligendo carnem, ab alimentis abſtinet, ſectando juſtitiam à culpa jejunet: quia Deus & juſtis præmia meritorum, & peccatoribus per jejunium veniam præbet.

ORATIO SECRETA.

Sacrificium Quadrageſimalis initii ſolemniter immolamus, te Domine deprecantes: ut cum epularum reſtrictione carnalium, à noxiis quoque voluptatibus temperemus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Quid nobis proderit ad æternam conſequendam ſalutem ſolemniter Domino Deo noſtro immolare ſacrificium Quadrageſimalis jejunii in hac prima Dominica Quadrageſimæ, ſi cum epularum carnalium reſtrictione noluerimus quoque à noxiis voluptatibus temperare? Omne ſanè opus bonum eſt homini etiam peccatori, imo & etiam infideli, aliquomodò proficuum, ſed non eſt ſalutare opus, ſive meritorium vitæ æternæ, niſi illud opus, quod conjungitur cum gratia, & charitate, & aliàs eſt opus alicujus virtutis exercitii. Temperemus igitur à noxiis voluptatibus, & ab eis nos abſtineamus, ut Domino Deo noſtro Sacrificium acceptabile littemus Quadrageſimalis initii, & polleamus inſuper proficua virtute in bono perſeverandi. Non temperat à noxiis voluptatibus ille, qui in eis detinetur, & vult in ipſarum cœno delectari, & vivere, quaſi canis reverſus ad vomitum, & tamquàm ſus lota in volutabro luti. Torrentes iniquitatis conturbaverunt nos: venimus in altitudinem maris malitiæ, & tempeſtas demerſit nos: infixi ſumus in limo profundi, & non eſt ſubſtantia: nam quem fructum habuimus tunc in illis, in quibus nunc erubeſcimus? Gratias agamus Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Emiſit Pater Æternus manum ſuam, id eſt, Filium ſuum, de alto: liberavit nos, & eripuit nos per Chriſtum de aquis multis; nam Chriſtus propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Niſi, quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, forſitan aqua abſorbuiſſet nos; ſed idem Deus, nè abſorbeat nos profundum, neque urgeat ſuper nos puteus os ſuum, dedit nobis ſpatium pœnitentiæ, & noluit tradere beſtiis animas confitentes ſibi. Ergo, quando in hac Sancta Quadrageſima advenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, ad ſalvandas animas; jejunemus, & & ploremus ante Dominum, nè ſubitò præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus: & emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, & à noxiis voluptatibus temperemus, qui Domino ſacrificium Quadrageſimale libamus. Sic per gratiam, & miſericordiam Dei, & per noſtram ſimul bonam operationem benè diſpoſiti, gratiæ cooperantes, ac Divinis auxiliis conniventes, cum epularum reſtrictione carnalium à noxiis voluptatibus temperantes; ab Dei gloriam, & noſtram utilitatem faciemus dignos fructus pœnitentiæ, & qui per abſtinentiam maceramur in corpore, per fructum boni operis reficiemur in mente.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus. Secundùm verbum tuum in pace.

Digitized by Google

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro : *Magnificat,*

SImon de Caſſia ait : *Cunctæ virtutes in ſilentio factæ ſunt, pro humilitate ſòlùm ſe reſpectam à Domino gloriatur : Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Non ab re : nam cùm humilitatem dixit, illam obedientiam omnium, & omnis ejus, quod erat, nominavit, qua inexceptuatè creatura Deo ſubjicitur, qua omnem voluntatem, intentionem, & affectionem, & actionem transfert in eum, nihil ſibi pro humanæ complacentiæ voto reſervans. Præit enim dicata obedientia Deo cunctas virtutes, graditurque cum omnibus. Nam quomodo quis crederet, niſi obediret vocanti, & prædicanti, & captivaret omnem intellectum in obſequium fidei? Nam quomodò quis ſperaret, niſi obediret? Quomodò quis diligeret diligenter diligenda, niſi vellet ex obedientia jubentis mandata perficere? Unde ipſorum digna obſervatio, niſi ex obedientia digna? Unde inviſibiles theoricæ in alta tendentes? Unde honeſtæ, atque fructiferæ hominum actiones, niſi ex illa humilitate profunda, qua hominum animus fit ſubditus Deo, factus obediens in malis tolerandis etiam uſque ad mortem, in cavendis vitiis, ſine termino in bonis agendis quouſque, dum vivitur, poſſit eſſe aſcenſio? Eſt enim humilitas illa prima naturæ libertas, qua homo liberè ſine impedimento poterat Superioris complere mandata jubentis. Eſt humilitas illa prima creaturæ ſubjectio ad divinè agentem : quam Virgo habens, loquitur confidenter : Quia reſpexit humiliatem ancillæ ſuæ, ut in illam, videlicèt, divinè, atque humanè poſſit perficere, quod ab æterno decreverat.* Hæc ſunt verba Simonis de Caſſia. Hugo Victorinus dicit : *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Reſpexit humilitatem, reſpexit humiliationem. Humilitatem reſpexit, humilem remunerans : humiliationem reſpexit, humilitatem exaltans. Duo ſunt humilitas, & humiliatio : humilitas eſt intùs in virtute mentis : humiliatio foris eſt in abjectione humanæ opinionis. Sed ſervi Dei aliquando cum humilitate etiam humiliationem habent. Aliquando humilitatem habent, humiliationem non habent. Nunquàm verò humiliationem ſine humilitate habent. Humilitatem cum humiliatione habent, qui & coram Deo humiles ſunt, & coram hominibus deſpicabiles. Humilitatem ſine humiliatione habent, qui, licèt coram hominibus foris deſpicabiles non appareant, intùs tamen humilitatis meritum coram Deo inviolatum conſervant. Illis mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo : quia per humilitatem mundum contemnunt, & per humiliationem à mundo contemnuntur. Iſtis verò mundus quidem crucifixus non eſt; ipſi tamen mundo ſunt crucifixi : quia gloriam humanam, quam foris non quæſitam accipiunt, intùs per virtutem humilitatis oblatam contemnunt. Ergo Maria, quæ apud Deum humilis erat, & apud homines propter Deum abjecta, in utroque ſe à Deo reſpectam eſſe teſtatur: quia & ejus humilitas apud Deum acceptabilis facta eſt, & ejus humiliatio apud homines in gloriam commutata. Unde ſequitur : Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc Hugo. Toletus inquit : *Humilitatis eximiæ, & religionis ſingularis fuit Virgini Beatæ, ſuam parvitatem conſiderare, & confiteri, ut in ea confeſſione Deus exaltaretur, & ejus gloria manifeſtaretur. Conſideravit Beata Virgo exiguitatem naturæ ſuæ, quia homo erat; ſexus etiam, quia fœmina; conditionis, quia pauper, & humanis opibus, & favoribus deſtituta: ut eò magis Divina virtus, & bonitas eluceſceret, quæ talem in tantam gloriam extulit, ut eſſet digna Dei Mater : ancillam autem ſe appellat, quia loquitur de tempore, quando nondum erat Mater Dei : hæc enim fuit virtus ſumma, & bonitas Domini, ex ancilla Matrem, & ex abjecta, & parva, beatam ſuper omnes creaturas effeciſſe.* Sylveira hæc habet : *Communis Sanctorum Patrum ſententia eſt, quòd de virtute humilitatis hìc ſermo ſit. Ita Divus Auguſtinus, Origenes, Divus Bernardus, Sanctus Ildephonſus, Divus Bonaventura, Dionyſius Carthuſianus, Hugo de Sancto Victore, Ansbertus, & Rupertus. Probatur primò. Quia noſtra Vulgata habet humilitatem, quæ vox propriè, & germanè ipſam virtutem ſignificat. Secundò.*

Bea-

Beatiſſima Virgo loquebatur inſtinctu Spiritus Sancti magna myſteria declarando: ergo explicavit ſuæ dignitatis radicem, quæ fuit ipſa humilitas. Et quia hìc non loquebatur ex ſe, ſed ut mota ab Spiritu Sancto, optimè ſtat cum humilitate ejus, quòd ſuas virtutes, & magnalia publicaret; ſicut etiam ipſa de ſe teſtatur, eſſe prædicandam Beatam. Et hoc pacto ſæpè juſti ſuas teſtantur virtutes, Cornelius ita loquitur: *Sicut ergo Beata Virgo hìc agnoſcit, ſe electam in Dei Matrem, quod longè majus erat: ita pariter agnoſcit, ſe per humilitatem, virginitatem, cæteraſque virtutes ſibi à Deo inditas, ad tantam dignitatem fuiſſe diſpoſitam, & congruè ornatam. Humilis enim ſuam vilitatem, miſeriam, paupertatem, imò ſuum nihilum agnoſcit, ac totum, quod eſt, & habet, adſcribit Deo, cujus eſt, dicitque cum Pſalte: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, & cum Paulo: Qui glorietur, in Domino glorietur.*

Pro: *Benedictus.*

SYriacus legit: *Per os Vatum ſuorum Sanctorum*. Perſicus: *Quemadmodùm per os Prophetarum ſanctorum ſuorum dixit.* Perſicus alter: *Qui à ſæculis erant*. Arabicus: *Sanctorum ab æterno.* Vatablus: *Qui ab ævo*. La Haye: *Qui à ſæculo ſunt: Arabicus: Ab æterno, id eſt, à longinquo tempore, à priſcis diebus; omnes enim Prophetæ de Chriſto, & de ejus cornu, ſeu virtute vaticinati ſunt*. Græcus: *Sicut pollicitus eſt per os Sanctorum*. Beda in Gloſſa Ordinaria: *Sicut locutus eſt, &c. Tota veteris Teſtamenti Scriptura de Chriſto præceſſit: & à tempore Adæ Sancti Patres, ſuis quique factis, ejus diſpenſationis teſtimonium reddunt*. Gloſſa Moralis: *Sicut locutus eſt, &c. Actuum 10. g. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent*. Nicolaus de Lyra ait: *Sicut locutus eſt, &c. Hoc eſt, à mundi principio: qui iſta prædixerunt, ſecundùm quod dicitur Act. 10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. Et, ſicut promiſerat per Prophetas, ita fideliter adimplevit*. Eſtius dicit: *Sicut locutus eſt, &c. Clarius: Per os, ſeu per ora Sanctorum Prophetarum ſuorum, qui fuerunt à ſæculo, id eſt, ab omni antiquitate*. Menochius inquit: *Sicut locutus eſt, &c. Verba ita ſunt ordinanda: ſicut locutus per os Sanctorum ſuorum Prophetarum, qui à ſæculo fuerunt. Senſus eſt: Erexit nobis cornu ſalutis, quemadmodùm per Prophetas olim promiſerat. Qui à ſæculo ſunt, id eſt, qui olim fuerunt; quaſi dicat: Sicut locutus eſt per os veterum ſuorum Prophetarum. Sic Geneſ. 6. 4. dicitur: Iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi, id eſt, iſti ſunt gigantes illi antiqui adeò celebrati*. Maldonatus ait: *Hyperbaton eſt ad hunc modum reſolvendum: Sicut locutus eſt per os ſanctorum ſuorum Prophetarum, qui à ſæculo fuerunt. Particula: ſicut, aut ad præcedentia referri poteſt, nempe, ad illud: Erexit cornu ſalutis nobis, ut Euthymius, & Theophylactus referunt, ut ſit ſenſus, ita nobis Deum cornu ſalutis erexiſſe, quemadmodùm per Prophetas olim promiſerat: aut ad ſequentia: Salutem ex inimicis noſtris. Utrumque congruit, ſed illud probabilius.* Vincentius Regius ſic interpretatur: *Sicut locutus eſt, &c. Sicut locutus eſt, & promiſit per os ſanctorum ſuorum Prophetarum, qui à ſæculo ſunt, id eſt, fuerunt, hoc eſt; longè antè præceſſerunt, vel qui olim fuerunt, id eſt, veterum prophetarum: neque namque à ſæculo ſemper ſignificat tempus infinitum præcedens, ſed longum admodùm*. Simon de Caſſia habet: *Non quaſi de novo per eum prophetatum, hoc loquitur Zacharias, ſed aſſerit, multifariè antè dictum per ora Prophetarum. Et, ut fides dictis indubitanter accommodetur, ſanctos fuiſſe teſtatur, non autem à ſeipſis miſſos, ſed ab ipſo Deo directos: quoniam multi prophetaverunt non miſſi, non vera, ſed falſa prædicentes, in ſeipſis decepti. Sed ſancti Prophetæ, ab eo ſæculo Chriſti adventum incipientes prædicare, in quo Deo Patri placuit revelare.*

Pro: *Nunc dimittis.*

TOletus dicit: *Cyprianus lib. de mortalitate, pacem interpretatur ſecuritatem, quæ eſt à mundi hujus periculis; non enim eſt juſta ſecuritas, dum in hoc verſatur ſæculo. Verba ipſius ſunt: Probans, atque conteſtans, tunc eſſe ſervi Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando*

de

de iſtis turbinibus mund i extracti, ſedis, & ſecuritati æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus: illa eſt enim noſtra pax, illa ſtabilis, & firma, & perpetua ſecuritas. Cæterùm, quid aliud in mundo, quàm pugna adverſus diabolum quotidie geritur, qua adverſus jacula ejus, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Hæc, & alia Cyprianus. Origines intelligit pacem cum Deo, in qua juſtus moritur. Mihi huic loco accomodata interpretatio ea videtur, ut pax ſit deſiderii complementum, quando homo moritur, nihil habens, propter quod in hoc ſæculo deſideret permanere: priùſquam autem Simeon vidiſſet Chriſtum, vivere deſiderabat, & inter mortem, & deſiderium pugna erat, at, viſo eo, propter quem vitæ erat deſiderium, nec habens jam, quod eum detineret, dicit, ſe in pace dimitti. Irenæus lib. 3. cap. 18. dixit, Simeonem confeſſum Chriſtum pacem eorum, qui in dormitione ſunt. Hucuſque Toletus. Simon de Caſſia ait: Sed quid eſt, quòd hic ſenex non videbatur ſibi, de hoc ſæculo migrare cum pace, niſi Chriſtum Domini taliter aſpexiſſet? Nonne & ceteri Sancti Patres mortui ſunt in pace? Nonne & ceteri Prophetæ Domini, quamquàm aliqui fuiſſent crudeli morte perempti? Sed quomodò ad Dei Regnum ſpectabant, ſi eum pace mortui non fuiſſent? An iſte pacem dicebat mori morte non ab ab aliis irrogata? Quid iſte, tantus ſenex, adſcribebat ad pacem? Id profectò dixerim: quòd alii longa expectatione viderunt, in fide, atque ſpe certiſſimè tenebant, quòd ſic futurum erat: incerti penitùs erant, quando Majeſtas Divina perficeret. Et hinc certi ex fide, ſecuri de ſpe, incerti de tempore, ante hunc ſenem, Patres ceteri deceſſerunt: iſte verò de tempore certus, vitam finivit in pace. Et piè credendum eſt, quòd, præter id, quòd Chriſtus puerulus, imò infantulus in ejus brachiis requieverit; quòd in ejus mente aliquid divinum, & arcanum oſtenderit, unde ſe fatebatur in pace dimitti. Sed ſi qui hanc gratiam ſortiri cupimus, habitemus in Jeruſalem: quoniam non commovebitur in æternum qui habitat in Jeruſalem. Veniamus in templum, in domum, ſcilicèt, orationis, & obſecrationis, & laudis, in contemplationem divinorum: quoniam templum à contemplando reperimus, & in locum myſteriorum Chriſti. Et ſuſcipiamus manibus puritatem, excutientes illas ab omni opere malo, ut nobis fiant activa, quæ novimus digna fieri. Hucuſque Simon de Caſſia. Sylveira ait: In pace, hoc eſt, in Chriſto; ipſe enim eſt pax noſtra, in quo eſt vera conſolatio, & omne bonum totius Iſrael. Ita Origines homil. 2. Divus Ildephonſus homil. de Purificatione. Guerricus Abbas ſer. 3. Divus Bonaventura hîc. Et hæc eſt valdè apta expoſitio, quia Sanctus ſenex totus in Chriſto volebat diſſolvi: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam; & ab illo ſeparari nolebat, nec aliud videre: & ita à carcere carnis hujus mundi diſſolvi deſiderat, ut cum Chriſto liberiùs vivere poſſit. Alii antiqui Patres, ut Abraham, Iſaac, quamvis Chriſtum non viderunt, in pace mortui ſunt, in qua ut dimittatur Simeon, Chriſti requiritur præſentia; inter ceteros enim juſtos omnes hoc obtinuit peculiare, ut reſponſum haberet, non viſurum ſe mortem, niſi priùs Chriſtum Domini videret; animus autem noſter, quando ſpe bona, magnaque promiſſione repletus eſt, ſi ab illis evacuatam ſe agnoſcit, maximè anxiatur: ut ergo Simeon in pace dimitteretur, neceſſe erat, ut datis promiſſionibus frueretur. Secundò Simeon, cùm eſſet doctiſſimus, & in Divinis litteris optimè inſtructus, multas eſſe ſciebat Dei promiſſiones conditionatas, quæ ob defectum noſtrum ac demeritum non adimplentur, ut communiter notant Sancti Patres Geneſi 13. num. 15. ubi Deus promiſit Abrahamo: Omnem terram, quam conſpicis, dabo tibi, & ſemini tuo in ſempiternum; & tamen hanc hodie non poſſident filii Iſrael. De quo vide ibi Divum Chryſoſtomum, Carthuſianum, Abulenſem, & alios. Simeon ergo, ut valdè prudens, timebat, nè promiſſio ſibi facta, aliquo demerito ſuo impediretur; idcòque, cùm Chriſtum vidit, ab his cogitationibus liber, ait, ſe jam dimitti in pace. Aliis verò Patribus, cùm hujuſmodi fides data non eſſet, ut in pace, hoc eſt, viſo Chriſto Domino, abirent, Domini præſentia non exoptabatur, ſed ſecura ſpe tantùm contenti erant. Hucuſque Sylveira. Maldonatus inquit: Res facilis, quæ uno verbo explicari poteſt. In pace, id eſt, contentum hucuſque vixiſſe, æquo

æquo animo, & minimè repugnante morientem, cum Salvatorem viderim. In pace enim in ſacris litteris mori dicuntur, qui maturi, contenti vitæ præteritæ ſpatio, & , ut Scriptura loquitur, pleni dierum, atque rebus uſi proſperis, ex hac vita diſcedunt, quemadmodum & hoc loco Origines indicavit. Simile quiddam Jacob. Geneſ. 46. 30. dixiſſe traditur, cum Joſephum filium ſuum, quem mortuum credebat, vidiſſet oculis: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo. Cornelius ſic explicat: *Quaſi diceret Simeon: O, Domine, jam animus meus omni re, quam videre cupiebat, ſatiatus eſt. Vidi enim Chriſtum, quem unicè amplecti deſiderabam. Nihil amplius in hoc mundo exopto: quarè libens, lætuſque moriar, vel potius diſſolvar vinculis corporis, ut ad pacem, & quietem in limbum Patrum pergam.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & explicata.

Deus quidem ipſe, qui reſpexit humilitatem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, ac juxta Zachariam dignatus eſt quæ promiſerat per os Prophetarum implere, exoratur à Simeone, ut hunc ſanctum ſenem dimittere etiam dignetur juxta promiſſum in pace. Reſpexit quidem Dominus Mariam, ut ab ea nos diſcamus, qualiter expediat nos noſmetipſos cum Dei gratia præparare, utque benè parati non careamus Dei reſpectu, & ejus benigno obtutu. Implevit idem Deus olim à ſe promiſſa, ut qui experimur Dominum noſtrum in promiſſorum adimpletione fidelem, ſpe ſaltem præmii promiſſi non recuſemus debitam Creatori exhibere ſervitutem. Utque dimittat Simeonem in pace ipſe Conditor, ab eodem ſancto ſene exoratur, quatenùs nos valedicentes ſæculo iſti, tanto exemplo edoceamur appetere gaudia cœli. Quis jam non, ut reſpiciatur, parabitur Dei voluntati, ac placito? quis non ſerviat Deo lætanter per tempus modicum, ut ad tam magna promiſſa adimplenda à Domino, & recipienda à benè operante per æternitatem, valeat accedere perjucunde? Quis quoquè non exhibebit ſemetipſum ſicut Dei miniſtrum in multa patientia tempore præſentis belli breviſſimi, quando ſperat perenniter cum cœlicolis requieſcere? Ergo verbis Dei Genitricis Virginis, Zachariæ quoque, & Simeonis, capiamus ad bonum faciendum reſolutionem, & animum, ut ſic aſcendamus ad populum accinctum noſtrum, & perenniter poſſideamus Empyreum. Labores noſtri brevibus inſtantibus menſurantur, quando laborantium præmia per perpetuas æternitates duratura dignoſcuntur. Momentaneum hoc, & leve noſtræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. Ne igitur ſimus, ut illi filii hominum, qui, quia ſunt gravi corde, diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. O vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiatis ipſi in vanitate in idipſum! Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem. Nè avertas hominem in humilitatem: & dixiſti: *Convertimini filii hominum.* Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquàm dies heſterna, quæ præteriit. Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde. Hæc audivimus David loquentem. Ergo nè mendaces ſimus in ſtateris, & nè appenſi in ſtatera inveniamur, ſicut ille mundanus, & infelix Balthaſar, minùs habentes, qui ſcimus, pondus, & ſtateram eſſe judicia Domini, utamur rectè conſiderationis bilance, ut trutinantes pondere juſto, pondere, ſcilicèt, ſanctuarii, cœlo poſtponamus terram, caducis permanſura non commutantes, neque æterna gaudia ob brevia delectamenta amittentes. Dum hæc qua decet attentione ponderamus, oratione ſequenti benignitatem Dei noſtri imploremus.

Ora-

Oratio poſt Communionem.

TUi nos, Domine, Sacramenti libatio ſancta reſtauret: & à vetuſtate purgatos, in Myſterii ſalutaris faciat tranſire conſortium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

DEus, qui congregata reſtaurat, & reſtaurata conſervat, per ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum (cujus eſt communio, quæ dum communiter, & univerſaliter, prævia cum Divina gratia, diſpoſitione noſtra, nos communit, & fortificat: quæ etiam communio, dum omnes nos unit Deo, etiam nos unit ad invicem in vinculo pacis; eſt enim pacis myſterium) nos congregat, & unit, ut ſic unitos, & congregatos nos reſtauret; & reſtauratos, atque à vetuſtate benè purgatos conſervet; quibus rebus feliciter quidem conſequemur, quòd Divina Communio nos in Myſterii Salutaris faciat tranſire conſortium: & hic erit noſter fructus per libationem ſanctam ſacrificii Miſſæ, quod obtulimus ad obſequium Dei, & Domini noſtri. Magnum quidem eſt nos à ſancta libatione Miſſæ reſtaurari, ſed magnum erit quoque, quòd ipſum ſacrificium nos faciat tranſire in conſortium ſalutaris Myſterii. In novam creaturam transferamur; & ſic nolemus conformari huic ſæculo, ſed reformabimur in novitate ſenſus noſtri, ut probemus, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta, odientes malum, adhærentes bono: Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes: Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes; Domino ſervientes: Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi inſtantes: Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: Hoſpitalitatem ſectantes. Benedicemus perſequentibus nos: benedicemus, & nolemus maledicere. Gaudebimus cum gaudentibus, flebimus cum flentibus. Idipſum invicem ſentiemus: Non alta ſapiemus, ſed humilibus conſentiemus. Nolemus eſſe prudentes apud noſmetipſos: Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Si fieri poteſt, quod ex nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habebimus: Non noſmetipſos defendemus, ſed dabimus locum iræ. Nolemus vinci à malo, ſed vincemus in bono malum. Quæ melior renovatio, quàm hæc à Sancto Apoſtolo Paulo deſiderata, nobiſque ab ipſo præſcripta, poteſt à nobis optari, vel nos decorare valet, quando quilibet Miſſam ſanctam celebraverit, aut Sacratiſſimam Communionem in Divino Altari acceperit? Hanc obtinebimus, ſi nobis conceſſerit noſter Dominus, quòd virtute ſancti ſacrificii Altaris in Myſterii ſalutaris tranſeamus conſortium, a vetuſtate peccatorum purgati per bonam Confeſſionem Sacramentalem; & ſi per Dei Sacramenti libationem fuerimus reſtaurati, qui eramus ſicut oves errantes, & facti tamquàm vas perditum, miſeri eramus prodigi.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMSEXTUM

Pro Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſecundæ Quadrageſimæ. Qui quidem Textus eſt hic:

Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabica verſio eſt: *Verùm hi omnes blaſphemant quidem, & non percipiunt.* Æthiopica: *Et iſti ſunt qui peccant in eum, quem ignorant.* OEcumenius legit: *Quæ non norunt, maledictis inſectantur.* Gloſſa Interlinealis ait: *Ille non eſt auſus blaſphemare, ſed hi quæcumque quidem ignorant, blaſphemanda eſſe, blaſphemant ex ſuperbia, non aliqua cauſa.* Nicolaus de Lyra: *Hi autem, ſcilicèt, hæretici, quæcumque quidem ignorant circa articulos Fidei, & maximè circa Trinitatem perſonarum in unitate eſſentiæ, & unionem naturæ Divinæ, & humanæ in ſuppoſito Verbi, blaſphemant, aſſerentes falſa.* Eſtius: *Repetit autem Apoſtolus hac priori parte verbis generalibus id quod dixerat: Majeſtatem autem blaſphemant. Eſtque hæc connexio. Michael Archangelus non fuit auſus maledicere diabolo: at iſti nequam homunciones paſſim ea, quæ non noverunt, maledictis inſectantur, etiam majeſtates longè ſupra ipſos poſitas. Eſt ea ſanè hæreticorum indoles, ea quæ non noverunt, nec intelligunt, mordere, & blaſphemare. Quod olim Manichæi fecerunt de veteri teſtamento, & Myſterio Trinitatis, & hodie ſectarii de Sacramentis Chriſti, & ceremoniis Eccleſiæ: cùm è diverſo veri Chriſtiani, ſi quid in ſacris libris, ac Fidei Catholicæ myſteriis non intelligunt, humiliter, ut cetera, venerantur, intelligentiam expectantes ab eo, qui dat homini ſcientiam, dicentes ei cum Pſalmiſta: Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua. Cujus modeſtiæ ſpecimen eſt in Dionyſio Alexandrino, qui, referente Euſebio lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 20. profeſſus, Apocalypſim Joannis ſe non intelligere, quòd in ea res altiores, divinioresque ſcriberentur, quàm, quas ipſe mente comprehendere poſſet: Attamen, inquit, non eas improbo, quas non intelligo; ſed ideò potiùs admiror quod mentis acie luſtrare non queo.* Menochius: *Eſt apodoſis, id eſt, redditio, & applicatio exempli, quaſi dicat: Michael, cùm pro imperio poſſet increpare Satanam, & illi maledicere, præ modeſtia tamen noluit: at Simoniani, & Gnoſtici intolerandæ audacia, & impudentia, ea blaſphemant, & maledicunt, quæ ignorant, & quæ ipſorum, utpote carnalium, captum ſuperant, ſcilicet, Deum, & ejus attributa, Myſteria Chriſti, res cœleſtes, ſublimes, & divinas.* Tirinus: *Hi autem protervi, & impudentes hæretici blaſphemant promiſcuè quæcumque obvia, etiam quæ ignorant, quæque captum illorum ſuperant, puta res cœleſtes, ac divinas, divina attributa, myſteria Fidei, &c.* Hugo Cardinalis ſic explicat: *Autem, id eſt, ſed. Hi blaſphemant ex ſuperbia cordis, & elatione. Quæcumque quidem ignorant. Reſpectu quorum, ſcilicet, fit blaſphemia, quæ poteſt eſſe, vel in creaturam rationalem, vel in Deum Creatorem. Et de talibus dixit quidam: Colantes culicem, camelum glutiunt: quæ neſciunt, vel quæ non capiunt, blaſphemant, vel tranſiliunt.* Cornelius hæc habet: *Epiphanius hæreſ. 26. Blaſphemant Gnoſtici, ait, non ſolùm Abraham, Moyſem, Eliam, & omnem Prophetarum chorum, ſed etiam Deum, qui ipſos elegit &c. Ita Ariani, Macedoniani, Sabelliani, cùm non caperent*

Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, illud negarunt, & blaſphemarunt. Ita hodie Calviniani, & Zuingliani, quia non capiunt Dei omnipotentiam in Myſterio Eucharistiæ, illud negant, & blaſphemant. Hæreticis enim ratio credendi eſt ſenſus, & ratio naturalis, non Fides, non Dei verbum omnipotens. Quod vident, & intelligunt, credunt: quod non intelligunt, credere nolunt. Quocircà Irenæus lib. 1. cap. 35. ait, contra hæreticos victoriam eſſe ſententiæ eorum manifeſtationem: & Sanctus Hieronymus ad Cteſiphontem: Sententias, inquit, illorum prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Porrò ignorantiæ hæreticorum cauſæ ſunt tres: prima eſt ſuperbia, ſecunda levitas, tertia voluptas, & concupiſcentia. Nam, ut ait Architas, impedit conſilium voluptas rationi inimica, ac mentis perſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Quocircà hiſce tribus conflatur Sphinx, quę eſt ænigma ignorantiæ apud Mythologos. Sphingem enim pingebant quaſi monſtrum facie virginis, pennis avium, pedibus leoninis, quod obſcura ænigmata proponens; ea ſolvere neſcientem occidebat. Audi Aleiatum Emblem. 187.

Quod monſtrum id? Sphinx eſt. Cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem aſſumpſit rerum ignorantia, tanti
Scilicet eſt triplex cauſa, & origo mali.
Sunt quos ingenium leve: ſunt quos blanda voluptas,
Sunt & quos faciunt corda ſuperba rudes.

Remedium deinde aſſignat; ſcilicèt: Noſce te ipſum. Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

OMnis peccans eſt ignorans: multùm excedit alios peccantes, qui peccat per blaſphemiam, quia, ut ait Sanctus Hieronymus, nihil horribilius blaſphemia: ergo ſaltem, ut fugiamus à peſſima ignorantia, curemus valdè ſeparari à blaſphemia. Hic dictum eſt à Sancto Juda: *Quæcumque quidem ignorant, blaſphemant:* ergo ignorantes, benè malitiam ſcientes, blaſphemant: qui blaſphemantes, utpote peccatores, cœtui ignorantium appropinquant; imò illorum augent numerum, & dum eos aſſociant, ſe ipſos miserè perdunt. Longè igitur ſimus ab ignorantia, quæ blaſphemat, & à blaſphemia, quæ ignorat. Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat: nè ergo velimus blaſphemare; & ideò ignorantes fieri, qui naturaliter ſcientes optamus eſſe. Vel ob hoc ſaltem abhorreamus à quolibet peccato, quia peccatum facit ignorantes; ſed potiùs à blaſphemia, quæ, velut majus peccatum, facit eam committentes, laborare ignorantia deteriore. Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Hoc accidit, quando noſter Parens Prothoplaſtes guſtavit vetitum pomum, deſiderans ex tunc ſcire bonum, & malum. Malum quidem ſcivit, ſed bonum ignoravit ex hoc ipſo, quòd deliquit. Per ſuam culpam incurrit miſerè perfecti boni ignorantiam, qui malum, quod contraxit, ſcivit per experientiam. Tradidit ſe mali peccati miſeriæ, qui perdidit, & neſcivit bonum gratiæ. Verum eſt, quòd Dei Sapientia eduxit primum hominem à delicto ſuo, dans illi gratiam, ut ageret pœnitentiam, & per hanc recipere poſſet gratiam ſanctificantem amiſſam. Tamen ab Adam noſcente jam, meliùs eſſe non peccaſſe, quàm poſt peccati commiſſionem penituiſſe, experimentum ad non peccandum ſumamus, & nolimus fieri, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Si cedidimus, ſurgamus, & numquàm recidentes, ignorantiam provenientem à peccato ignoremus, atque per hoc viam paradiſi ſciamus. Sciamus, inquam, &, ut ab hac via non erremus, ſciamus, & videamus, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe nos Dominum Deum noſtrum, juxta Jeremiam, lamentantem, quia nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: *Quid feci?* Si igitur deſideramus eſſe ſalvi, & ideò viri deſideriorum, ut Daniel, eſſe volumus; ſciamus, & animadvertamus. Hoc videtur hodie Mater noſtra Sancta Eccleſia intendere, quandoquidem in duabus ſequentibus Orationibus

bus ita nos docet Dominum noſtrum adire, & illum humiliter invocare.

Oratio Officii Dominicæ ſecundę Quadrageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

DEus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interiùs, exteriùſque cuſtodi: ut ab omnibus adverſitatibus muniamur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

NEceſſarium eſt nobis, quòd interiùs, exteriùſque à Domino Deo noſtro cuſtodiamur, ſiquidem ipſe conſpicit, quòd omni nos virtute deſtituimur. Carens virtute omni, tum interna, tum externa, quomodò ſubſiſtere poterit, niſi Deus illum taliter deſtitutum cuſtodierit? Sed heu! Deo conſpiciente, omni nos virtute deſtitui, nos aliquando credimus omni virtute abundare; miſerè à ſuperbia noſtra, & proprio amore ſeducti. Tunc verè incipimus eſſe coram Deo pauperiores, & egentiores, cùm nobis videmur divites. Eſt quidem proprietas pauperis ſuperbi, nihilo, niſi præſumptione, abundare. Obſeſſus in caſtro, quamvis hoſtibus vallatus, ſuccurſibus non inhiat, quando fallaciter credit, quòd ad reſiſtendum, (imò & ad vincendum) omnibus, quibus eſt opus, abundat. Sic luit pœnas ſuæ fallacis perſuaſionis, noxiæque incuriæ, inimicis ſuccumbens miſerabiliter quando noſcens ſuam impotentiam, & petens neceſſaria auxilia, poterat adverſarios abigere, & de eis victis feliciſſimè triumphare. Verè, juxta Sanctum Joannem Chryſoſtomum, nemo læditur, niſi à ſe ipſo: & propterea nos potiùs, quàm ab hoſtibus circumſtantibus, à proditore, & inimico domeſtico (noſtra, ſcilicèt, nimia de nobis confidentia) magnam læſionem accipimus, & nos noſtri ipſorum eſſe peſſimos inimicos dignoſcimur. Utinà nos, qui aliquando alios curare ſolemus, non noſipſos per noſtrum proprium amorem, jaculo mortis æternæ confodiamus. Faxit Deus, ut abnegemus noſmetipſos, levantes nos ſuper nos; ac nos ipſos calcantes, & propriam noſtram in nobis voluntatem vincentes, humili noſtræ miſeriæ cognitione (quandoquidem non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,) adeamus cùm fiducia ad thronum gratiæ ejuſdem Domini noſtri, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno; quia ſine Chriſto nihil poſſumus facere, &, ut ait Sanctus Auguſtinus, ſive parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Tunc ipſe mittet de ſummo, & accipiet nos: eripiet nos de inimicis noſtris fortiſſimis, & ab his, qui oderunt nos, quoniam confortati ſunt ſuper nos. In Deo eripiemur à tentatione, & in Deo noſtro tranſgrediemur murum. Protector eſt omnium ſperantium in ſe, Deus, qui præcinget nos virtute: qui docet manus noſtras ad prælium, & ponet ut arcum æreum brachia noſtra: & dabit nobis protectionem ſalutis ſuæ, & dextera ſua ſuſcipiet nos. Sic, hoc Deo noſtro (qui conſpicit, omni nos virtute deſtitui) nos interiùs, exteriùſque cuſtodiente, ab omnibus adverſitatibus muniemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundabimur in mente; ut mente, & corpore pariter expediti, quæ Dei ſunt, liberis mentibus exequamur: utque Deum benedicamus, quando per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo de plena victoria gloriemur.

ORATIO SECRETA.

SAcrificiis præſentibus, Domine, quæſumus, intende placatus: ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

UT Dominus, qui plebem ſuam facit eſſe devotam, eamdem plebem benigno refoveat miſeratus. auxilio, hodie ab ipſo Domino petimus; ſiquidem ab eo, quòd Sacrificiis præſentibus placatus intendat, ut & devotioni noſtræ proficiant,

& ſaluti, poſtulamus. Supponimus, per Dei donum nos devotionem habere, &, ſi obtinuerimus ab eodem Domino, benigno refoveri auxilio, poterimus gaudere etiam de noſtra ſalute. Per benignum Dei auxilium, ſi noſter Dominus ſacrificiis præſentibus intenderit placatus, devotio noſtra ampliabitur, & ſpes quoque noſtræ ſalutis augebitur. Proficient quidem præſentia ſacrificia noſtræ devotioni, eam perficientia, & augentia: proficient etiam noſtræ ſaluti, ejus ſpem benè fundatam efficientia, id eſt, obtinendo nobis Divina auxilia pro vera pœnitentia facienda, & bona opera cum gratia, & charitate patranda; dum proderunt quoque ipſa ſacrificia noſtræ ſaluti, utpote nos in vera fide, ſpe, & charitate ſtabilientia, ſolidantia, atque firmantia, ac quodlibet obſtaculum noſtræ ſalvationis à nobis validiſſimè tollentia, abigentia, & ſeparantia. Magna profectò ſunt hæc bona, quæ à Deo per præſentia ſacrificia petimus, & ſperamus; ideò ad tantas res conſequendas poſcimus, ut ipſe Dominus intendat placatus his ſacrificiis præſentibus, dum dicimus: *Sacrificiis præſentibus, Domine, quæſumus, intende placatus*. A Deo irato non eſt damnum, quod timere non poſſimus; ſed à Deo placato, nullus erit noſter profectus quoad animam, & corpus, quem non ſperare valeamus. Utinam talem, ac tantum Dominum (in cujus manibus ſunt ſortes noſtræ, & qui Dominus eſt vitæ, & mortis) placemus vera noſtra pœnitentia, fide, ſpe, & charitate, digna quoque ejus majeſtatis altiſſimæ adoratione. Sic flectemus iram vindicem, plorantes verè contriti ante Judicem. Sic quoque Deus placatus, concedet pro ſua miſericordia, & pietate, ut ſacrificia præſentia proficiant noſtræ devotioni, ſimulque noſtræ ſaluti.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis*.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Cornelius ait: *Audi Sanctum Auguſtinum ſerm. 2. de Aſſumpt. O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradiſum aperuit, & hominum animas liberavit! Facta eſt Maria humilis ſcala cœleſtis, per quam Deus deſcendit ad terras. Quid enim eſt dicere reſpexit, niſi approbavit? Multi enim videntur in conſpectu hominum humiles eſſe, ſed eorum humilitas à Domino non reſpicitur. Si enim veraciter humiles eſſent, deinde ab hominibus non ſe laudari vellent; non in hoc mundo, ſed in Deo ſpiritus eorum exultaret. Nam, ut ait Sanctus Baſilius in Conſtit. Monaſt. cap. 17. Humilitas eſt tutiſſimus virtutum omnium theſaurus, radix, & fundamentum. Et Sanctus Chryſoſtom. hom. 2. in Pſalm. 50. Sacrificium maximum eſt humilitas, qui enim peccando ſe Deo ſubducit, eidem ſe per humilitatem ſubjicit, cùm convertitur ad pœnitentiam. Denique Sanctus Bernardus: Eſt humilitas, inquit, quam nobis veritas parit, & non habet calorem; & eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat. Hæc in affectu, illa in cognitione conſiſtit: priori cognoſcimus, quàm nihil ſumus, & hanc diſcimus à nobis ipſis, & hanc infirmitate propria: poſteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo diſcimus, qui exinanivit ſemetipſum, &c. Quique quæſitus ad regnum ſugit; quæſitus ad opprobria, &c. ad Crucem non fugit, ſed ſponte ſe obtulit. Utramque in heroico, & eminenti gradu habuit Beata Virgo.* Hucuſque Cornelius. Didacus Baeza de Mariæ Deiparæ Cantu cap. 9. §. 2. dicit: *Meritò ancillulæ vilitati, & abjectioni tribuit Maria quos fructus ſe ex Deo parturiri præſenſit. Is enim eſt Divinus oculus, qui de ſtercore ſublimitatem educat pauperum. Ad ſolis aſpectum virides effloreſcunt campi: ſed citò marceſcentibus floribus, nullus inde legitur fructus: at verò ſeminibus arva ſæta, & luto, ſive ſtercore horrida de ſolis aſpectu mille*

par.

parturiunt ſegetes, mille dant agricolis uſuras laborum. Sic omnis carnis gloria, ſuperbus, & aureus ſplendor, ſicut flos agri, Divinis ſub obtutibus mareeſcit; verùm ubi Divinus oculus ſervorum ſuorum vilitates reſpicit, & abjectiones, quis numeret ab illis ortas ſegetes gloriarum immenſas? Felix Maria, quæ etiam, dum aliquomodò ſupra Deum elevatur, quando Mater Dei efficitur, mavult ſub Deo eſſe, & ad vilitatis nativæ ſtereus recurrens, ſeſe præparat, ut ſub Divinis oculis ingentes hominum glorias parturiat. Barradas hæc habet: *Apud Rupertum Cantic. 1. ſic Virgo loquitur: De altiſſimis illis reſpexit Dominus humilitatem meam, hoc eſt, quod dico: Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Quid enim eſt, vel erat accubitus Regis, niſi cor, vel ſinus Patris? Dum in accubitu eſſet, nardus mea dedit odorem ſuum, & hoc odore delectatus, deſcendit in uterum meum. Olim in Eva malo ſuperbiæ fætore offenſus, & ob hoc ab humano genere averſus fuerat; nunc autem delectatus nardo humilitatis meæ, ad genus humanum converſus eſt, &c. Bernardus quoque ſerm. 42. in Cantica: Bonus, ait, humilitatis odor, qui de hac valle plorationis aſcendens, perfuſis circumquaque vicinis regionibus, ipſum quoque regium accubitum grata ſuavitate reſpergat. Eſt nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt eſſe naturæ qui herbarum vires curioſius explorarunt: & ideò per hanc videor mihi non inconvenienter virtutem humilitatis accipere, quæ ſancti amoris vaporibus flagret. Hæc Bernardus. Dum igitur eſſet ſummus Rex in accubitu, id eſt, convivio illo cæleſti, Divæ Virginis nardus, id eſt, humilitas amore incenſa dedit odorem ſuum, Deumque in terras adduxit.* Hucuſque Barradas.

Pro: *Benedictus.*

CORnelius ait: *Sicut locutus eſt &c. id eſt, qui olim priſcis temporibus fuerunt. Eſt Enallage temporis. Omnes enim Sancti Prophetæ vaticinati ſunt de Chriſto, ejuſque robore, victoria, & regno. Ita Beda. Exempla ſunt Jeremiæ 19. verſ. 20. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Iſai. 30. verſ. 10. Ecce ego ſalvabo te de terra longinqua, & ſemen tuum de terra captivitatis eorum. Ezechiel. 13. verſ. 21. Et liberabo populum meum de manu veſtra, neque erunt ultrà in manibus veſtris ad prædandum.* Barradas inquit: *Prophetarum Vaticinia impleta ennit. Erexit cornu ſalutis Deus, Meſſiæ regiam, ſalutiferamque potentiam, ex domo David in terras miſit. Sicut prædixit per os Sanctorum Prophetarum ejus, id eſt, ſuorum, qui fuerunt à ſæculo, id eſt, ab antiquis temporibus. De Chriſti autem adventu vaticinatos Prophetas, nemo ignorat. Act. 10. ait Petrus: Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Et Actor. 3. Omnes Prophetæ, à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos. Et Lucæ cap. extremo, Chriſtus incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant, &c. In hunc etiam ſenſum exponitur illud Pſalm. 131. Paravi lucernam Chriſto meo, id eſt, prophetiam, quæ veluti lucerna, iter ad Chriſtum oſtenderet, juxta illud Pſalmi 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Sylveira dicit: *Oſtendit, Deum eſſe authorem novi, & veteris Teſtamenti, & quod in veteri pollicitus eſt, in novo adimplevit. Per os, non verò per ora, quia, quamvis diverſæ perſonæ, & diverſis temporibus fuerint Prophetæ, omnes tamen eodem concordi animo, & eodem ore, ac intentione de Filio Dei locuti ſunt, ut docet Divus Auguſtinus in Epiſt. Manich. cap. 4. Et non adducit aliquem in teſtem nominatim, ſed omnes citat; quia omnes de Filio Dei locuti ſunt. Et appellat eos Sanctos, ut exinde eorum doctrina ex probitate morum, & vitæ, omni exceptione major appareat. A ſæculo. Aliqui hoc referunt peculiariter ad Prophetas, qui fuerunt in populo Judaico. Probabilius mihi videtur, intelligendum cum Dionyſio Carthuſiano, de omnibus Prophetis, qui fuerunt ab exordio mundi; nam Adamus Geneſ. 2. num. 23. juxta Divum Paulum ad Epheſ. 5. num. 31.*

multa

multa de Chriſto, & Eccleſia prophetavit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. *Textus*: *Prophetarum ejus, ut notat Simon Caſſianus lib. 3. de Baptiſta, id eſt, Prophetæ, qui non à ſe ipſis miſſi, ſed à Deo directi, quoniam multi prophetarunt, qui miſſi non erant, & non vera, ſed falſa prædicentes.* Hucuſque Sylveira. Toletus hæc habet: *Significat Zacharias, hoc cornu ſalutis eſſe Chriſtum, ejuſque regnum prænuntiatum, & promiſſum per Prophetas. Prophetæ Sancti dicuntur in diſtinctionem pſeudoprophetarum, quorum ſæpè Scriptura meminit. Illi quidem non proprio ſpiritu, ſed Dei ipſius locuti ſunt, idcircò Deus per eos loqui dictus eſt. 2. Petri 2. Non humana voluntate allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Hinc eſt, quòd in Symbolo Fidei confitemur Spiritum Sanctum, qui locutus eſt per Prophetas. Per hos promiſit Deus Chriſtum ſalutis auctorem, & de familia David venturum, in quo regnum erat ſuſcitandum, & exaltandum. Sunt tot, ac tam aperta utriuſque veritatis teſtimonia Scripturarum, ut ſuperfluum ſit aliqua producere. Sufficiant quæ Chriſtus in Evangelio teſtatus eſt, dicens Lucæ 24. O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! & Joan. 5. Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere: illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Dicuntur autem Prophetæ à ſæculo fuiſſe, id eſt, olim, ab antiquo. Simile eſt illud Pauli ad Hebræos 1. Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in Filio.* Hucuſque Toletus. Audiamus denique Simonem de Caſſia: *Moyſes* (inquit) *ſcripſit quid ante ſe de Chriſti viſitatione, in qua Incarnatio ejus, atque Nativitas, & omnis ejus converſatio apprehenditur, extiterit prænuntiatum, quidvè ſibi fuerit ſcire commiſſum. Scripſit nempe, quòd fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, Chriſtum, videlicèt, in illo egreſſu commemorans, quem miſit Pater ad viſitandum hoc ſæculum. Et Abraham deſcendit in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi. Unigenitus Dei ex Paterno præcepto deſcendit quaſi peregrinus, viſitare hunc mundum. Et viſitavit Dominus Saram, ſicut promiſerat: & implevit quæ locutus eſt. Concepit, & peperit filium in ſenectute ſua. Viſitando autem Saram, Synagogam in futuro viſitaturus erat. Quæ, cùm ſeneſcens deficeret, concepit in Virgine filium, & mundo edidit almum partum. Hoc idem Jacob, Judam filium benedicens, prophetavit: Non auferetur ſceptrum de Juda, neque dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Clara eſt in his prophetia, quòd Chriſtus prophetabatur mittendus, qui nunc miſſus, Judæorum populum, & Gentium viſitavit. Et impletum eſt in Chriſto, quod Moyſes à Deo popoſcit, dicens: Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. Ipſe protinùs, de quo Zacharias loquitur, erat mittendus, hicque miſſus, omnem populum viſitaturus apparuit. Multa ſunt teſtimonia Prophetarum, per quorum os locutus eſt Deus, quæ ſi per ſingula vellemus diſſerere, longa volumina ederentur. Sed, ut breviter abſque alia declaratione perſtringam ad affirmationem ejus, quod de Chriſto protulit Zacharias, etiam David locutus eſt dicens: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Deſcendet ſicut pluvia in vellus, &c. Emiſit manum ſuam de alto Altiſſimus Deus, cùm Filium manifeſtavit in carne, ad oſtendendam ſuæ virtutis potentiam, ad conferendum bona bonis, & ſupplicia digna dignis. Et Iſaias ſuo modo teſtimonia dedit, quæ fuerunt prophetię penitùs futurorum: Erit in noviſſimis diebus, &c. Apprehendent ſeptem mulieres virum unum, &c. Ecce Virgo concipiet, &c. Parvulus datus eſt nobis, &c. Emitte agnum Domine, &c. Et Jeremias: Novum fecit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum. Daniel: Lapis præciſſus eſt de monte, &c. Sed hoc nemini Divinas Scripturas ſcrutanti in dubium veniet, quòd omnes veri Prophetæ, ſicut Zacharias in ſuo Cantico protulit, de viſitatione Domini verè, atque myſticè ſunt locuti.* Hæc Simon de Caſſia, Caſſianus ſæpè appellatus à Sylveira.

Pro

Pro: *Nunc dimittis*.

SYriacus legit. *Quia viderunt oculi mei miſericordiam tuam*. Syriacus alter: *Clementiam tuam*. Perſicus: *Miſericordiam tuam*. Perſicus alter: *Salutem tuam*. Æthiopicus idem. Quidam Recentiores ex Hebræo: *Jeſum tuum*. Syriacus apud Sylveiram: *Ecce enim viderunt oculi mei illum tuum miſericordem*. Lyranus ait: *Lætanter enim volebat deſcendere ad limbum Patrum, ex quo ſciebat, Salvatorem natum*. Eſtius: *Id eſt, Chriſtum Salvatorem, quem in carne videndum mihi promiſit Spiritus Sanctus*. Menochius:. *Salvatorem humani generis à te in terras miſſum*. Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Quia viderunt. Beati, qui vident quod Simeon vidit. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Oculi mei. Et carnis hominem, & cordis Deum. Salutare tuum, Chriſtum*. Gloſſa Ordinaria: *Sciebat, quòd beati oculi, qui Chriſtum eſſent viſuri: & ideò donec illum videret, nolebat morte diſſolvi, quem tamen ut vidit, mox optavit in pace dimitti*.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

DEus, quì in cor humile Beatæ Mariæ reſpexit, & qui ab ore bilingui abhorret, locutus per os Prophetarum Sanctorum ſuorum, in ore ipſorum complacuit, atque oſtendens ſe ſeni Simeoni, illum conſolatione replevit. Dabit quidem Dominus peccatoribus ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinventionum ipſorum, quia virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus; & illi loquuntur pacem cum proximo ſuo; mala autem in cordibus eorum; ſed, quoniam in juſtis de ſcaturigine recti cordis ab eis prolata rectiſſima prodeunt verba, & ex bona abundantia cordis os illorum loquitur, quandoquidem os juſti meditatur ſapientiam, & lingua ejus loquitur judicium; ac etiam Sancti os ſuum aperiunt ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eorum; in eiſdem juſtis Dominus ſibi complacet; & inſuper, ut in veritate Deo ipſi complaceant, perpetuum eis rorem ſuæ benedictionis infundit. Benedicti ergo illi à Domino, qui fecit cœlum, & terram. Benedicta eſt Dei Genitrix, quam Dominus idem fecit ſingulariter inter mulieres benedictam: benedicti ſunt Sancti Prophetæ, per quorum os Deus ſuam inſtruxit Eccleſiam: & conſequenter, benedictus Sanctus Propheta Simeon, cujus felices oculi viderunt Chriſtum Deum, & hominem verum, Salvatorem ſæculorum. Igitur nos æmulantes chariſmata meliora, in ſimplicitate cordis quæramus Deum, & in verbo non offendamus, ut perfecti ſimus viri, prout nos decet, quos ornat Chriſtianorum nomenclatura, qua nos voluit inſignire Divina miſericordia. Cor habeamus humile, in quod Dominus reſpiciat: unanimes uno honoremus Deum animo; & unanimes etiam uno ore glorificemus Deum, diligentes corde, & verbo noſtrum ædificantes proximum, ut oculi noſtri pertingant ad videndum Chriſtum, Salvatorem noſtrum. Ille ipſe noſter Redemptor, Incarnata Sapientia, arrogantiam, & ſuperbiam, & viam pravam, & os bilingue deteſtatur: ac conſequenter cor humile reſpiciens, ſuper unitate oris noſtri gaudebit, & diliget unumquemque noſtrùm, atque nobis manifeſtabit ſe ipſum. Magna res eſt quidem videre Deum; ergo ad rem tantam comparandam humiliemus noſmetipſos; & nè ſimus, ſicut illi, qui ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant, ſimplici corde, & unico ore loquamur: os noſtrum pateat ad proximos noſtros, & cor noſtrum dilatatum ſit: ac ſic, cùm de diligendo etiam inimicos latum ſit mandatum Domini nimis, viam mandatorum ejus curremus, cùm ille dilataverit cor noſtrum. Hiſce inhiantes, & horum curam habentes, veniamus offerentes munus noſtrum, ſacrificium, ſcilicet laudis, quod Deum honorificat: ei gratias agentes pro Sacra Communione recepta, orationem ſequentem dicamus, & numquàm à Dei laude ceſſemus.

Ora-

Oratio poſt Communionem.

SUpplices te rogamus, Omnipotens Deus; ut quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

FAxit Deus, ut quibus ille dedit Fidem, largiatur & pacem, eam pacem, inquam, quæ eſt multa diligentibus legem Domini: illam Dei pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, & potens eſt cuſtodire corda noſtra, & intelligentias noſtras in Chriſto Jeſu Domino noſtro: ut taliter in cordibus noſtris, & intelligentiis noſtris ab eadem pace cuſtoditi, gaudeamus, conſecutos nos fuiſſe à Deo noſtro, quòd dignanter concedat nos illi deſervire moribus ſibi placitis, ſiquidem nos ſuis reficit idem Deus Sacramentis. Qui reficit, utique illud, quod reficit, vel, vidit ſua infinita ſcientia, fuiſſe anteà ad nihilum redactum; aut conſpexit infectum, dirutum, dilapidatum, everſum, ſive deſtructum. Verè nos, quando graviter peccavimus, ad nihilum redacti ſumus, & neſcivimus; fuit ſubſtantia noſtra tanquam nihilum ante Deum, qui in civitate ſua imagines peccatorum ad nihilum redigit, & ideò David, qui vidit impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani, aſſerit, quòd tranſivit, & ecce non erat: quæſivit illum, & non eſt inventus locus ejus: &, quia alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa; ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens, & ſicut cera, quæ fluit, auferentur, ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem: & hoc merentur etiam affici ſupplicio illi, qui pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Magnam deſtructionem, & ad nihilum redactionem noſtra nobis attulerunt peccata, tum fragilitatis, tum ignorantiæ, tum malitiæ (quibus offendimus Patrem Æternum, cui appropiatur, ſeu attribuitur poteſtas; Filium Dei, cui ſapientia; & Spiritum Sanctum, cui amor, ſive bonitas.) Iniquitates noſtræ nos inſecerunt, ad deſtruendum nos ſufficientes, ſive cogitatione, ſive verbo, ſive facto, ſeu omiſſione. Hæc delicta noſtra nos inficientia, fœdarunt; nos fœdantia, dilapidarunt; & nos dilapidantia, everterunt: ac dum nos commiſſionis, & omiſſionis peccata (nos evertentia) deſtruxerunt, redacti ſumus ad nihilum. Sed benedictus Deus, qui implevit ruinas, nos ſuis reficiens Sacramentis; ut taliter refecti ſperemus Deo ipſi ſervire placitis moribus. Deficient quidem peccatores à terra, & iniqui ita ut non ſint; ſed nos reficiens ſuis Sacramentis Dominus, renovat faciem terræ, ut ei placitis moribus ſerviamus. Sit gloria Domini in ſæculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis, qui cor mundum creat in hominibus, & ſpiritum rectum innovat in viſceribus illi ſerventium placitis moribus.

CA-

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

Pro Dominica tertia Quadrageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ. Qui quidem Textus eſt hic:

Quæcumque autem naturaliter, tamquàm muta animalia norunt, in his corrumpuntur.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

VErſio Æthiopica ait: *Et cogitationem ſuam carnalem noſcunt, ſicut bruta animalia, & in ea intereunt.* Arabica: *Ex propria autem natura, tamquàm jumenta, agunt, & corrumpuntur.* OEcumenius legit: *Sicut animalia rationis expertia ſciunt.* Gloſſa interlinealis ſic explicat: *Quæcumque autem naturaliter, ſolo appetitu carnis ſicut bruta animalia, tamquàm muta animalia, nulla ratione ab aliis diſcreta, norunt, in his implendis corrumpuntur, totum affectum ad hoc inclinant.* Nicolaus de Lyra: *Quæcumque autem naturaliter, tamquàm muta animalia, id eſt, cognoverunt ſenſuali cognitione, eſſe carni delectabilia, tamquam muta animalia, quæ ſunt ratione carentia, in his corrumpuntur, per ſenſum, id eſt, conſenſu voluntatis, & per abuſum conſuetudinis.* Eſtius ait: *Muta, Græcè: Irrationabilia. Repetit, & explicat quod antè dixerat: Carnem quidem maculant. Quæ verò, inquit, naturaliter ſolis ſenſibus, ac ſi eſſent animalia rationis expertia, cognoſcunt, ut ea maximè, quæ guſtu, tactuque percipiunt, in his per comeſſationes, & ebrietates, & varias libidines corrumpuntur, ea nimirum corruptione, qua dignitas humanæ conditionis in corpore dehoneſtatur, ac læditur: quod utique facere ſolent peccata carnalia. Naturaliter. Opponitur rationi, & judicio, quo beſtiæ carent, ſi quibus proinde ſimiles fiunt homines, quando brutales ſenſum fræno rationis non cohibent, aut moderantur. Exponit hunc locum Epiphanius in hæreſi Gnoſticorum.* Menochius: *Naturaliter. Sola natura duce, & ſenſibus. Tamquam muta, id eſt, irrationabilia, ſermone, & ratione carentia. In his corrumpuntur. Vitiando, & fœdando ſua corpora, & mentes turpi veneris ingluvie, & obſcenis, ac impuris libidinibus.* Tirinus: *Quæcumque autem naturaliter, ſeu naturali ſenſu, & experientia, tamquàm bruta, & muta, Græcè irrationalia, animalia, norunt, puta ventrem, & venerem, in his porcorum inſtar, & canum, non tam deliciantur, quàm corrumpuntur, fœdantur, vitiantur. Et verò Seneca voluptates inducit, quaſi feras, quæ heros ſuos dilaniant: & Architas apud Ciceronem: Nulla peſtis, inquit, capitalior, quàm corporis voluptas.* Hæc Tirinus. Hugo Cardinalis ſequenti modo explicat: *Quæcumque autem, &c. id eſt, ea, ad quæ movet naturalis appetitus. In his corrumpuntur. Quia, ſicut in animalibus brutis; in eis voluntas appetitum ſtatim ſequitur, ut adimpleant quod optaverunt, ſuas concupiſcentias ſequentes. Hoc non fecit Job, qui dixit Job. 31. a. Si ſecutus eſt oculus meus cor meum (id eſt, voluntas, vel conſenſus voluntatis ad hoc ſe convertit) ut adimplerem, cordis mei appetitum in opere, quaſi diceret: Non feci hoc.* Cornelius hæc habet: *Quæcumque autem naturaliter, tamquàm muta (Græcè irrationabilia, ideòque bruta, & muta, id eſt, vocis articulatæ, & humanæ expertia; ſic Cicero non ſemel animalia bruta vocat muta) animalia norunt, puta ventrem, & venerem, in his corrumpuntur, vitiando,*

& fœdando ſua corpora, & mentes turpi gula, & obſcœnis libidinibus, inſtar porcorum, & canum, imò turpiùs, quàm ſues, & canes, uti de Gnoſticis oſtendit Epiphanius hæreſi 26. Unde Arabicus: Operantur, ait, naturalia ſua (puta carnalia) ſicut bruta. Porrò ea norunt per ſenſum, concupiſcentiam, experientiam, & conſuetudinem, hoc eſt, ea ſapiunt, tangunt, appetunt, concupiſcunt, exercent. Clarè OEcumenius: Quæcumque, ait, naturali impetu, vel appetitione, tamquam irrationabilia, vel muta, ſeu bruta animalia norunt, hæc ſectantur, velut inſanientes, fœminarumque appetentes equi, vel porci: ideòque corrumpunt corporis, animique vires, rationem, ſanitatem, integritatem, puritatem, caſtimoniam, denique vitam, & naturam ipſam per crapulam, & libidines contra naturam. Verè Socrates, voluptates cavendas eſſe ajebat, quaſi ſirenas, quæ hominem incantant, infatuant, enecant, teſte Laertio lib. 2. Quocircà Ariſtoteles monebat intueri voluptates non à fronte, ſed à tergo, id eſt, non venientes, ſed abeuntes. Venientes enim fucata ſpecie blandiuntur, abeuntes verò aculeum, id eſt, pœnitentiam, & dolorem relinquunt. Ita Laertius lib. 5. cap. 1. Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Monſtruoſa quidem res fuit aſinam Balaami loqui; ſed monſtruoſius quid debet nobis apparere, quòd homo ratione ornatus velit, ut jumentum, operari. Dum in ſuis vitiis peccatores corrumpuntur, ſapientibus muta animalia videntur. Qui facies peccatorum ſumunt, animalia expertia rationis indigniſſimè imitantur. Utinam tales facies non uſurpent, qui quamvis de limo terræ facti, ſunt ad Dei imaginem conditi. Linquant mutis animalibus brutalia opera illi, qui non ſolùm ſunt creati ad habendam ſocietatem Angelicam, ſed etiam ad portandum ſecum etiam effigiem Divinam. Nè malè operemur, attendamus ſaltem ad Divinitatis, cujus in animabus noſtris portamus ſimulachrum, reverentiam; ſi adeò noſtri obliti ſumus, ut non aſpiciamus ad obtinendam illam, ad quam creati ſumus, æternitatem beatam. Proh dolor! Quot inveniuntur interiùs operibus irrationalium fœdati, quamvis tegumento humanæ faciei cooperti? Quot degunt non ſolùm Chriſtianitatis obliti, in veterem vilitatem degeneri converſatione redeuntes, ſed etiam ſuæ rationalitatis immemores? Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Intelligant inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapiant: nam quando quæcumque tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur, non ſolùm populum Chriſtianum, & Eccleſiam Catholicam inhonorant, ſed genus quoque humanum, & populum rationalem inconſideratè fœdant. Quis non à cibo, potu, vel à contactu cujuſvis rei abſtineret, ſi certiſſimè ſciret, inde maculam, non ſolùm ſociorum vultus, ſed etiam propriam ſui ipſius faciem horribiliter fœdare ſufficientem, proceſſuram. Si non aliorum, qui ſocii, & proximi ſunt noſtri, compaſſionem habemus, ſaltem noſtri ipſorum miſereamur, nè mala noſtra operatio Eccleſiam, & genus humanum denigret, ac ſimul nos ipſos labes noſtræ dedecorent. Impoſſibile eſt, florem, aut pomum corrumpi, & antiquam ſpecioſitatem non perdere: itaque qui vitiorum contagione corrumpuntur, omnem animæ priorem formoſitatem amittunt. Quid intereſt, ſi vermibus non ſcatet corpus, quando putridus eſt animus? Quid prodeſt ſpecioſa carnis facie fulgere, quamdiu eſt corruptio in corde? Quid juvat, quòd vir, aut mulier appareat hominibus venuſtate ſpectabilis, quando anima brutaliter viventis, facta eſt Deo, atque Angelis horribilis? Redeamus igitur prævaricatores ad cor, & ad ita redeundum, illa benè cogitemus, quæ in ſequentibus duabus Orationibus Deo dicimus, & quæcumque in illis coram Domini noſtri Divina Majeſtate proponimus, dum ſequenti modo oramus:

Oratio Officii Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

QUæſumus, Omnipotens Deus, vota humilium reſpice: atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ majeſtatis extende. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

ROgamus hodie Dominum noſtrum, ut vota humilium reſpiciat, nos, qui optamus, ut veniam nobis tribuat, & remedia ſempiterna concedat. Hæc ſunt verè Chriſtianorum vota, nempe, deſiderare veniam peccatorum, & æternam donorum poſſeſſionem cœleſtium. Si hæc vota humiles habuerimus, ipſa profectò noſtra vota, utpote vota humilium, fore à Deo reſpicienda, non ſine ratione,& fundamento ſperabimus. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet; imò benignè faciet Dominus in bona voluntate ſua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem, & ut quæ dilapidavit culpa deſtructrix, extruat gratia Dei, quæ eſt deſtructorum reparatrix. Si humiliter, ſicut Daniel, viri deſideriorum fuerimus, quod iterum ædificabitur Jeruſalem (anima noſtra, ſcilicet, per peccatum deſtructa) cum jucunditate audiemus. Sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum ædificans Jeruſalem Dominus: quia Domini eſt ſalus, & ſuper populum ſuum benedictio illius, qui reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum. Salvum faciet populum ſuum Dominus, & benedicet hæreditati ſuæ, quia ipſe eſt, qui vult, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Igitur oremus omni tempore in ſpiritu: in ſpiritu quidem humilitatis, & in animo contrito, ut ſuſcipiamur à Domino Deo noſtro. Extendet profectò ad defenſionem noſtram ſuper nos dexteram maieſtatis ſuæ ille Deus noſter piiſſimus, ſi voluerit vota humilium reſpicere; quando hodie eum oramus, ut vota humilium reſpiciat, atque ad defenſionem noſtram dexteram ſuæ majeſtatis extendat. Videt homo miſericors, famelicum humiliter panem, quem in votis habet, depoſcere; ac proinde vota illius humilis inopis reſpiciens,decernit manum extendere, ut egenum juvet, atque defendat à fame. Videt item ſitibundum, & dat illi calicem aquæ, ut ſic eum defendat à ſiti. Videt inermem coram potente, & armato inimico ipſum aggrediente, & extendens manum curat de debilis, ac inermis defenſione. Numquid Deus, qui alios parere facit, ſterilis erit? Si Deus, inquam, dedit hominibus concipere compaſſionem, & parere miſericordiæ opera, ut videntes famelicos, ſitibundos, & à potentibus oppreſſos, compatientes illis, extendant manum ad defenſionem ipſorum; cur non ſperabitur, quòd idem noſter Deus, & Dominus dives in miſericordia, & dives in omnes, qui invocant illum, videns nos rerum licitarum, & neceſſariarum nobis vota habentes, & aliàs eſſe ad illa deſiderata conſequenda adeo impotes, ſimulque eſſe tenues, debiles, & imbecilles; manum dexteram ſuæ majeſtatis extendere volet ad defenſionem eorum humilium, quorum jam vota reſpexerit?

ORATIO SECRETA.

HÆc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta: & ad Sacrificium celebrandum, ſubditorum tibi corpora, menteſque ſanctificet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

QUi non apparere in conſpectu Domini vacui jubemur, quique ad ſacrificandum ſacrificium juſtitiæ, & ſperandum in Domino, exhortationem in Pſalmis habemus ab ipſoDeo factam;optamus hodie à noſtris delictis emundari, & quoad corpus, ac animam ſanctificari, ut Sanctum Miſſę Sacrificium dignè valeamus offerre. Corpus, & anima debent ad actum potiſſimum veræ Religionis concurrere: &, quia à Deo accepimus & animam, & cor-

corpus, æquum eſt, ut iis Deum adoremus, quibus ab eo dotati, & donati ſumus. Sacrificet corpus; ſed priùs ſacrificetur Domino corpus ipſum ad ejus obſequium, obedientiam, gloriam, honorem, & cultum. Sacrificet anima; ſed priùs anima ipſa ſit hoſtia Dei ſervitio, atque voluntati oblata. Præeat viſibile Sacrificium Miſſæ aliud ſpirituale, & inviſibile, nempe, quo interiùs Deo & corpora, & animas, ſive mentes offeramus: ut, prævio hoc interno ſacrificio nos in anima, & corpore per pœnitentiam, & obedientiam præparante, ac diſponente, ita ſanctificemur, ut Altiſſimum Miſſæ viſibile Sacrificium ritè celebremus, atque cum Dei noſtri beneplacito offeramus. Sed illud ſpiritale ſacrificium corporis, & animæ, Deo dante, poteſt eſſe ſacrificium multiforme: ſcilicèt, eſſe valet hoſtia Deo ipſi placita: oblatio quoque, ac etiam holocauſtomata. *Nihil mali reſpiciat oculus, & factus eſt hoſtia: nihil mali loquatur lingua, & facta eſt oblatio: nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocauſtomata*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Ergo, ſi obtentis auxiliis Divinis per libationem hoſtiæ ſalutaris in Altari factam, agentes veram Confeſſionē Sacramentalem, vitam emendaverimus (& corpus cum anima fugerint à peccatis pravi aſpectus, iniquæ loquelæ, & operationis malæ, dum à Sacra Hoſtia fuerint mundata noſtra delicta;) famulantes Deo corpore, & anima, utpote verè Deo ſubditi; tunc hoſtia quoque Altaris ſanctificabit noſtra corpora, atque mentes ad Sacrificium Miſſæ celebrandum ea puritate, & munditia, quæ decent tantum Myſterium. Hæc ſunt quæ avidè hodie requirimus, & à noſtro Deo cernua flagitatione depoſcimus.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QVia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

COrneIius ait: *Quaſi diceret: Magnifico Deum, & in ipſo exulto, quia ipſe, cùm ſit maximus, ſummuſque omnium Dominus, me fœminarum, imò creaturarum omnium minimam, id eſt, viliſſimam, pauperrimam, & abjectiſſimam, oculis benignitatis ſuæ reſpicere, & in Matrem eligere dignatus eſt. Humilitas ergo hîc propriè vilitatem ſignificat, non virtutem humilitatis ſuperbiæ oppoſitam. Secundò tamen per humilitatem accipi poteſt virtus ipſa humilitatis: propter hanc enim Beatam Virginem Deus reſpexit, & in Matrem elegit. Humilis enim agnoſcit in ſe ſuas virtutes, ut dona Dei, quarè inter eas videt quoque ſuam humilitatem, ſed illam non ſuis viribus, verùm Dei gratiæ acceptam refert.* Vincentius Regius dicit: *Ex tribus capitibus quanta maxima fuerit Mariæ humilitas declaratur. Primum quidem, nam quò magìs dignior eſt quis, & altior, eò profundiùs ſeſe dimittat neceſſe eſt, ceteris paribus, dum humilitate curvatur. Sicut ſi duæ curventur arbores ad terram uſque, magìs inflectetur quæ altior eſt. Atquì una hæc, ſolaque Virgo omni prorſus eſt creatura ſublimior, ſicut cedrus exaltata in Libano. Igitur & per humilitatem maximè omnium ſe depreſſiſſe, fateri neceſſe eſt. Deinde (& eſt alterum caput) quia ipſa maximè Deo erat conjuncta; quemadmodùm verò quò ſtelliæ remotiores à ſole, eò magìs lucent, ſi cetera ſint paria, & quò magìs ſoli junguntur, obtenebreſcere magìs videntur ob ipſum ſolis lumen, quo tunc maximè corripiuntur, & replentur: ita qui à Deo ſunt remoti, aliquid ipſorum judicio ſibi lucis habere videntur, putant enim, ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſint; at quò magìs aliquis Deo conjunctus eſt, & ejus luce perfunditur, quòvè penitiùs ejus dignitatem intuetur immenſam, eò obſcuratur magìs, ìd eſt, nihil eſſe, nihil habere animadvertit, denique cognoſcit, tenebras ſe eſſe, non lucem. Cùm igitur Beatiſſima Virgo multò plùs, quàm ceteri, Deo*

inhæreret, factum eſt profectò, ut tantò magis humilem ſe, vilemvè judicarit. Denique (& ſit tertium caput) quia, quantò magis ſe quis cognoſcit, atque intimè penetrat, tantò ſe magis ſpernit, & abjicit. Jam quis non videt, nullum umquàm hominem perfectiùs ſui cognitione donatum fuiſſe, atque hanc ſapientiſſimam Virginem? Quarè quis etiam dubitet, humilitate longè cunctos antecelluiſſe? Vel hinc intelligas, quàm facilis via ſit ad humilitatem ſui cognitio: & quò ſe quiſque meliùs cognoſcet, næ ille humilior, atque modeſtior erit. (Iſto verbo *næ* pluries hic Author utitur, quod ſignificat *certè*, juxta Calepinum.) Huc-uſque Vincentius Regius.

Pro: *Benedictus*.

SYriacus legit: *Se nos liberaturum ab hoſtibus noſtris, & de manu.* Vatablus: *Vindicationem ab inimicis noſtris, & è manu omnium.* Arias: *De manu omnium odio habentium nos.* Perſicus: *Quòd ab æterno ab inimicis noſtris ſalutem daret, & è manu omnium, qui nos odio habent, liberaret.* Perſicus alter: *Salutem ab amicis noſtris, & ab omnibus malevolis noſtris.* Gloſſa Ordinaria ſic explicat: *Erexit nobis ſalutem ex inimicis: & eſt explanatio ſuperioris verſiculi, in quo breviter idem præmiſerat: Et erexit cornu ſalutis nobis.* Illa verba: *Omnium, qui oderunt nos,* ſic explicat in eadem Gloſſa Beda: *Quaſi diceret: Vel hominum perverſorum, & ſpirituum immundorum, de quorum manu interim, & ſpe ſalvi facti ſumus, & in futuro reipſa ſalvandi.* Nicolaus de Lyra: *Salutem ex inimicis noſtris, & ſupple, conſecuti ſumus per Chriſtum, videlicèt, de mundo, carne, & diabolo.* Menochius: *Salutem ex inimicis noſtris: Id eſt, quemadmodum promiſerat nobis ſalutem ex inimicis noſtris. Id eſt, fore, ut nos ab inimicis noſtris liberaret, ita nos liberavit, erigens cornu, &c. Et de manu omnium, qui oderunt nos. Id eſt, ſicut promiſit, ſe liberaturum nos de manu inimicorum noſtrorum, qui oderunt nos.* Tirinus: *Salutem, ſeu ſalvationem, ab inimicis noſtris, ſatana, ejuſque miniſtris, quam olim locutus eſt, prædixit, & promiſit nobis per Prophetas, jam de facto præſtat, dando nobis hoc cornu ſalutis, idque ad faciendam miſericordiam, &c.* La Haye: *Alii legunt: vindicationem: Salvavit enim de adverſariis, ab eis pœnas, & ultionem exigendo.* Simon de Caſſia ſic explicat: *Salutem, &c. Salutem erexit, ſcilicet, nobis, ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Erectum eſt cornu: ſed nec fruſtrà, quoniam in ipſo nobis erecta eſt ſalus ab inimicis noſtris inviſibilibus, nè ultrà violenter animas raperent, nè juſtas animas Patrum perampliùs detinerent. Ipſe ſalvat de manu implacabiliter odientium. Ipſe cornu petit omnes homines, ſuos electos cornu perſecutionis, & ſuperbiæ impetentes.* Vincentius Regius ita: *Salutem, &c. per oppoſitionem, quaſi diceret: Erexit, inquam, cornu ſalutis, ſalutem dico ex inimicis noſtris. Sic Beda, & Euthymius. Vel ſicut locutus eſt, id eſt, ſicut promiſerat ſalutem ex inimicis noſtris, videlicet, fore, ut nos ab inimicis ſpiritualibus liberaret, & de manu hoſtium, ita & erexit nobis cornu ſalutis, id eſt, vel ſalutarem potentiam, vel Chriſtum, qui pro ratione nominis ſui: Jeſus, ſervat nos, & tuetur ab inimicis.* Maldonatus ait: *Quos inimicos Zacharias intelligat, Evangeliſta non dicit; ac, niſi certò ſciremus, Zachariam afflatu Spiritus Sancti locutum fuiſſe, ſuſpicio aliqua ſubire animum poſſet, Judæorum more, & opinione loqui, qui Chriſtum Regem ideò venturum putabant, ut ſe ab hoſtibus carnalibus, id eſt, à Romanis, & aliis Gentibus, à quibus opprimebantur, liberaret, & in regnum reſtitueret. Sed, ſicut Chriſti regnum ſpirituale fuit, ita debemus exiſtimare, de ſpiritualibus inimicis Spiritum Sanctum per Zachariam loqui, id eſt, de dæmonibus, ut Theophylactus exponit. Unde colligitur, quòd ad intelligendos Prophetas diligenter eſt obſervandum, Zachariam ſic interpretari quidquid veteres Prophetæ de Judæorum liberatione ex hoſtium poteſtate vaticinantur. Nemo igitur Prophetas legens, nudam ſequatur hiſtoriam, cùm videat, ea etiam, quæ maximè hiſtorica videntur, interprete Zacharia, in Chriſtum ſpectare.* Hæc Maldonatus.

Pro:

Pro: *Nunc dimittis*.

BArradas ait: *Hoc eſt, Nunc lætus moriar, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, & Jeſum tuum, quem ad ferendam ſalutem populo, moriens relinquo ſuperſtitem. Expectabam conſolationem Iſrael, video Conſolatorem Iſrael. Inter brachia jam illum habeo, in pace moriar, conſolatione recepta, quam optabam. Vitam in manibus fero, mori non timeo: fero viam, diſcedere non metuo: fero pacem, moriar in pace. Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Morte claudantur, nè hominum videant ſcelera*. Sylveira inquit: *Salutare tuum, hoc eſt, Filium Dei Incarnatum, ſeu Chriſtum Dominum, qui frequenter in Scripturis ſalutare nuncupatur. Geneſ. 40. n. 18. Pſalm. 50. n. 14. Iſai. 32. n. 10. Habacuc 3. n. 18.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & explicata.

SErvire Deo regnare eſt. Ergo regnat Deipara, ancillam Dei ſe nominans: regnat Zacharias, ipſi Deo, ut Sacerdos in ordine vicis ſuæ, miniſtrans: & regnat Simeon, humili ſervitute in ulnis Verbum Incarnatum portans. Regnat quidem Maria Virgo Dei Genitrix, in quam Dominus reſpexit; regnat Zacharias victoriis cinctus, & ovans ob ſalutem ab inimicis, quam canit; & regnat Simeon ob beneficium portandi Chriſtum, quod ab ipſo Chriſto accepit. Ergo, ut regnemus, ſerviamus: & conquiramus coronam cœleſtem per tanti Dei accuratam ſervitutem, ut obtineamus Regnum ad ſæculorum æternitatem duraturum, per temporaneum Domini noſtri obſequium. Felix Dei ſervitium, quod honorat ſimul, & ditat: quodque ipſi deditos, dum abundè reddit honorabiles, & locupletes, etiam conſtituit feliciter, & jucundè in æternitatem alacres. Non igitur reſpuamus ſervire, qui deſideramus regnare. Serviamus, & vigilemus, Domino noſtro miniſtrantes, ac fortiter præliantes prælia Dei; animarum noſtrarum peſſimos inimicos vincentes, & triumphum quotidianum de eiſdem portantes. Spectat nos, ei in certamine ſervientes, ille, qui dicit: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei: Beati ſervi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: Sicut ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus*. Quid utilius? Quid honeſtius? Quid quoque eſſe valebit delectabilius? Ergo nos adigamus, & accingamur Dei ſervituti, pro præmio rationem parienti omnis poſſibilis boni. Repugnantes Dei ſervitio (tot titulis, & juribus à nobis expetito) miſerè à Dei æterna Domo relegantur, & diaboli mancipia effecti, æternaliter manſuri in tormentis ad gehennam detruduntur. Serviunt perpetim diabolo duro domino, qui nolunt obſequi Chriſto. Quis iſte, qui nos eludit ſomnus? Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Non poſſumus Deo ſervire, & mammonæ. Linquamus infelicitatem, & amplectamur æternæ coronæ beatitudinem: poſt terga habeamus ima, & oculos dirigamus ad ſuprema. Avernus cruciat; Cœlum lætificat: diabolus tormenta ſuis mancipiis impertit; Deus ſuis ſervis æterna bona diſtribuit. Gement diabolo ſervientes inter tormenta gehennæ; lætabuntur Sancti inter gaudia numquam defectura Paradiſi. Ululabunt quidem perenniter illi, quia elegerunt ſe à Dei ſervitio abſtrahere, ut daretur illis temporaliter gaudere; ſed juſti exultabunt in perpetuum cum Angelis Dei, qui ſunt miniſtri ejus, qui faciunt voluntatem ejus, ad audiendam vocem ſermonum ejus; quia iidem juſti maluerunt ad modicum laboris tempus, Angelos imitantes, Dei voluntati ſervire, ut daretur eis æternum Regnum in ſocietate eorumdem Angelorum. Cùm igitur hinc corona, illinc conſpiciatur gehenna; amore ſaltem coronæ gloriæ, nos Dei addicamus ſervituti: &, vel timore ſupplicii, fugiamus ſervitium diaboli. Illud appetentes bonum, & iſtud timentes malum, fervidè Deum invocemus,

mus, ac ſequentem Orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

A *Cunctis nos, quæſumus Domine, reatibus, & periculis propitiatus abſolve, quos tanti Myſterii tribuis eſſe participes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

NOn temerè, vel abſque fundamento ſperare poterit à Principe conſequi remiſſionem debitorum ille, qui ab eodem Principe benignè invitatur, ut ejus regale convivium adeat, & menſæ ipſius aſſideat. Qui non dedignatur humilem hominem ad delicias regalis prandii vocare, non renuet quidem illum liberare à debitorum antiquorum ſolutione: & cui ineſt miſericordia vocandi ad prandium etiam ſervum, non deerit clementia, qua debita priora ſervi dimittat, & per illorum dimiſſionem gravato ſubdito ſuccurrat, ac eum omninò alacrem reddat. Dei profectò miſericordiæ non eſt numerus, & ſuæ bonitatis infinitus eſt theſaurus, ut patet ex eo, quòd tanti Myſterii (quale eſt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & etiam Miſſæ Sacrificium Sanctum, in quo offertur idem Sacramentum Divinum) nos tribuerit eſſe participes, ac per hæc quodammodò Angelorum, & aliorum Cœlicolarum conſortes. Sat hoc videbatur; ſed plùs ultrà progreditur noſtri Dei immenſa, ineffabilis, & infinita clementia, ac miſericordia: & ideò petimus, quòd Dominus, qui adeò benignè nos ad ſuam menſam invitat, à cunctis reatibus, & periculis nos ipſos propitiatus abſolvat. Ille profectò Deus, qui prætendit miſericordiam ſuam timentibus ſe, & juſtitiam ſuas his, qui recto ſunt corde; poſtquàm nos per Sacramentum Pœnitentiæ ritè acceptum expiavit, nos ad regale Convivium Altaris menſæ admittit, & admittens, à debitæ pœnæ reatibus, ac periculis abſolvit. Dei juſtitia debita noſtra quotidie exigit; & dicens: *Redde quod debes*, facit nos eſſe inter noſtros reatus, atque inter pericula varia, & innumera, triſtes; ſed profectò quos ligat, & quibus minatur ſevera juſtitia, nos ipſos abſolvit à reatibus, & periculis benigna Domini miſericordia. Multi ſunt noſtri reatus, etiam quando per veram peccatorum gravium Sacramentalem Confeſſionem, qua ad Sacram Communionem præparamur, reatus pœnæ æternæ fuit mutatus in temporalem pœnam, vel ſolvendam in hoc ſæculo, vel luendam acriter in Purgatorio: ſunt quoque in hac vita pericula innumera temporalia, & ſpiritualia, quia peccata noſtra reſponderunt nobis, & ideò, ut ait Sanctus Gregorius Magnus, ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Sed Deus, qui nos conſpicit ex noſtra infirmitate deficere; qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcit fragilitate non poſſe ſubſiſtere; quique conſpicit, quia nos undique mala noſtra perturbant, & quòd fecimus multiformiter reos noſmetipſos; multiplicat ſuper nos miſericordiam ſuam, non ſolùm faciens nos participes tanti Myſterii, quale eſt illud Miſſæ, & Sacri Altaris, ſed etiam à cunctis nos reatibus, & periculis abſolvens. Oramus igitur, ut Deus ultra pietatem nos participes tanti Myſterii faciendi, etiam à cunctis nos reatibus, & periculis miſeratus abſolvat; nè inter reatus pondere pœnarum gravemur, vel inter pericula varia verſantes, quas meremur, & timemus, incurramus afflictiones.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM

Pro Dominica quarta Quadrageſimæ.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quartæ Quadrageſimæ. Qui quidem Textus eſt hic:

Væ illis, quia in via Cain abierunt.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

TExtus Arabicus vertit: *O dilecti mei, væ impiis, quoniam ambulaverunt, &c.* Æthiopicus: *Væ illis, quia in via Cain incedunt*, Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Væ illis. Damnatio erit. In via Cain abierunt. Gladio malæ doctrinæ armantur in fratres, ut Cain.* Gloſſa Ordinaria: *Væ illis. Quia per omnia hæretici monſtrati ſunt a verbo veritatis cecidiſſe, oſtendit eos diverſis malis ſubjectos. Væ illis, quia in via Cain. Viam Cain abeunt, qui propter invidiam meliorum, ſibi doctorum nomen, ut honorificentur, aſſumunt; qui non triſtantur, ſi à Deo repelluntur; juſtos fratres nolunt imitari, ſed eos ex invidia ſpiritualiter, aliquando & corporaliter, occidunt. A vultu enim Dei expelluntur, nihil jam putantes in ſe Dei providentia provenire, ſed omnium, quæ habent, ſe auctores credunt.* Nicolaus de Lyra: *Væ illis, &c. Hic iterum Sanctus Judas inducit tria de Scriptura contra hæreticos. Primum eſt de Cain, qui ex invidia fraterna, & odio interfecit Abel: ſic hæretici ex invidia, & odio, veros Apoſtolos, & Fideles perſequebantur ad mortem. Propter quod imprecabatur eis, non optando, ſed prænuntiando, ipſius Cain maledictionem, dicens: Væ illis, quia in via Cain abierunt. Eſt autem væ comminatio maledictionis æternæ.* Eſtius: *Rurſus interitum illis ſeductoribus denuntiat, adductis ex antiquitate exemplis eorum, quorum mores imitantur, Cain, & Balaam, & Corè: qui omnes malè perierunt. Hæc pars in quibuſdam vetuſtis exemplaribus ita legitur: Væ illis, quia via Cain abierunt, Græcis conformiter, quæ ſic habent: Væ eis, quia via Cain ierunt. Sed & veteres Concordantiæ, quia legunt, ut & Textus apud Clementem Alexandrinum. Eſt autem Hebraiſmus multiplex in his verbis, quemadmodum benè declarat Adamus. Væ illis denuntiatio eſt pœnæ commeritæ, quaſi dicat: Digni ſunt qui audiant: Ite maledicti in ignem æternum. Quia viam Cain ingreſſi ſunt, id eſt, vitam, mores, & exemplum ejus ſequuntur. Nam, ſicut Cain invidit fratri, & ex invidia eum interfecit, ita & iſti fraternitatem oderunt, ac deſerunt, & venenoſis, atque perniciosis ſuis doctrinis animas fratrum occidunt. Adfert hic & alium ſenſum OEcumenius, ſed minus probabilem.* Menochius: *In via Cain abierunt. In ſacris Scripturis ſignificat vitæ inſtitutum, modum vivendi, actus, & mores, æquè, ac eventus, & exitus. Via ergo Cain eſt Dei contemptus, invidia, homicidium, hæreſis, atheiſmus, vita vaga, deſperatio, damnatio.* Tirinus: *Væ illis Gnoſticis, eorumque ſimilibus aliis hæreticis, qui in via Cain abierunt, id eſt, vitæ ipſius inſtitutum, moreſque, & actus ſequuntur, puta Dei contemptum, fraternam invidiam, & parricidium.* Cornelius à Lapide hæc inter alia habet: *Væ illis, quia in via Cain abierunt. Primò, ſicut Cain avarus viliores oves offerebat Deo, meliores ſibi reſervabat, eaque ratione ſe, ſuaque commoda Deo præponebat: ita pariter Simoniani, Gnoſtici, ceterique hæretici ſe, ſuaque lucra Deo anteponunt, imo Dei Eccleſias, calices, & dona prophanant, & diripiunt. Secundò, ſicut Cain invidit fratri ſuo Abeli, quòd gratior eſſet Deo, utpote offerens Deo melio-*

res

Digitized by Google

res oves, quodque Deus igne cœlitùs miſſo inflammando ejus victimas, idipſum teſtaretur; ſic Simoniani, & hæretici invidebant, & invident Orthodoxis, eoſque calumniis, maledictis, injuriis, rapinis inſectantur. Tertiò, ſicut Cain ex odio, & invidia fratrem Abelem occidit: ita hæretici ex odio, & invidia Orthodoxorum, fidelium animas ad ſuam hæreſim pellicientes occidunt, non rarò etiam corpora ſibi obſiſtentium mactant. Hæreſis enim crudelis eſt, quia agitur à crudeli Satana. Quartò, Cain, ſi credimus Chaldæo, fuit primus hæreſiarcha, adeòque atheus, voluitque Abelem fratrem trahere ad hæreſim, & atheiſmum, adeòque eum, quòd ſibi reluctaretur, occidit. Aſſerit enim Targum Hieroſolymitanum, qui eſt Chaldæus Paraphraſtes, Geneſ. 4. Cain in agro cœpiſſe queri de Dei providentia, & æquitate, diſputaſſe contra judicium extremum, contra mercedem bonorum, & vindictam malorum: Cùm, inquit, egreſſi eſſent ambo in agrum, dixit Cain: Non eſt judicium, non eſt judex, nec merces bona pro juſtis, nec pœna pro impiis, nec Dei miſericordia creatus eſt mundus. E contrario, Abelem hæc aſſeruiſſe, Deum defendiſſe, fratrem reprehendiſſe, ideòque ab eo cæſum eſſe. Unde Sanctus Cyprianus lib. 4. Epiſt. 6. Abelem vocat Martyrem. Imitemur, ait, Abel juſtum, qui initiavit martyria, dum propter juſtitiam primus occiditur. Hinc etiam Cain Deo roganti: Ubi eſt Abel? reſpondit: Neſcio, num cuſtos fratris mei ſum ego? eoque ſatis ſignificavit, ſe putare, ſuum ſcelus latere Deum. Non credidit ergo, Deum omnia ſcire, omnia videre, quia non credidit, eum vidiſſe ſuum cum Abele jurgium, & parricidium. Ita hæretici tandem fiunt athei, & omnis hæreſis eſt quaſi regia via ad atheiſmum. Quintò, Cain increpatus à Deo non reſipuit, ſed obduruit. Ita Simon Magus increpatus à Sancto Petro factus eſt pejor. Sic & hæretici convincti, imò mulctati à Deo, fiunt pejores, ruuntque in omnes voluptates, & ſcelera: hæreſis enim eſt mater omnium criminum, & ſcelerum. Hinc quaſi errantes, & vagi, provincias oberrant, ut fideles decipiant, depravent, & perdant. Sextò, Cain deſperavit de Dei miſericordia, dicens: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Geneſ. 4. 13. Sic hæretici ex conſcientia tot, tantorumque ſcelerum, ruunt in barathrum deſperationis. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

D*Ejectæ mentis eſt, qui familiaris rei meminit, cùm vocatur ad regnum: jacens animus plebejus nummulum theſauris regalibus anteponit: pauper ſenſus parvis incubans, perdit magna: & inhians temporalibus, deſerit ſempiterna.* Hæc ajebat Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 22. avaritiam hominum carpens. *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt,* dicebat Tract. 19. in Joannem ſub finem, Sanctus, ac Magnus Doctor Auguſtinus, cæcitatem Pontificum, & Phariſæorum verè Judaicam, reprehendens. Fuerunt profectò cum Judæis avari, & cum avaris Judæi imitatores Cain, cœleſtia averſantis, & terreſtria diligentis. Væ illis, quia in via Cain abierunt. Dixit Cain ad Dominum: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Super hæc Cain verba ait Rupertus: *Hoc timet, nè agricolari ſibi non liceat; nè terram, quam ſolam amat, perdat.* Plùs dolet, quando amittit illud, quod habet in majori pretio: ideò terram, Domino loquens, conſtituit in primo loco. Debebat potiùs timere à facie Dei abſcondi, quod eſt pati pœnam damni. Ratio expetebat, quòd illi gravius videretur abſcondi à Dei facie, quàm ejici à facie terræ; ſed quia terram inordinatè dilexit, ideò terram perdere pro pœna majori voluit vir iniquus reputare. Væ illi viam iſtam perditionis ſuis ſequacibus aperienti: & væ omni per viam, ſeu in via peſſimi Cain ambulanti. Cogitemus ergo vias noſtras, & convertamus pedes noſtros in teſtimonia Dei, diligentes mandata ejus ſuper aurum, & topazion. Dicamus Deo. *Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram?* & hæc dicentes, terga viæ Cain, per quam homines terreni ambulant, demus: & convertentes nos verè ad Deum, terrena omnia

arbitremur, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciamus. Simus prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: ſerpentes quidem imitantes; quia illi in foraminibus petræ ſe coarctant, & ibi dimittunt vetuſtas tunicas: imitantes quoque columbas; quæ in foraminibus petræ conſtituunt nidum ſuum: cùmque petra ſit Chriſtus, ut habentes veram prudentiam ſimus Dei columbæ in foraminibus petræ, in vulneribus Chriſti habitemus; & exuentes veterem hominem, induamus novum, bona ſerpentis prudentia ducti, ac contendamus intrare per anguſtam portam, quia arcta eſt via, quæ ducit ad vitam; ibique inveniemus conſolationes ſpirituales, & hauriemus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Hoc gaudium vult hodie Eccleſia nobis ſuis filiis propinare, quando docet nos Deo noſtro duas ſequentes Orationes proponere.

Oratio Officii Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Concede, quæſumus Omnipotens Deus: ut qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

EXPLICATIO.

O Dei noſtri omnipotens miſericordia! O miſericos Domini ipſius Omnipotentia! O magna Divinæ gratiæ efficacia! Dat nobis Deus, & Dominus noſter miſericordiſſimus gratiam multoties omnipotenter, tribuit nobis illam Omnipotens quotidie miſericorditer. Condidit ipſe gratiæ ſuæ donum, ut eſſet noſtrum remedium, & qui gratiam omnipotenter produxit, miſericorditer illam nobis quotidie diſtribuit. Omnipotenter quidem nobis gratiam diſtribuit, quia ad eam nobis donandam, in nobis peccatum deſtruit; & qui, niſi eſſet Omnipotens, non valeret peccatum deſtruere; non poſſet, niſi polleret omnipotentia, eamdem gratiam donare. Plùs valet nobis Dei noſtri gratia proficere, quàm nobis ipſis potuit peccatum nocere. Magis illa ædificat, quàm nos peccantes deſtruximus; plùs ſolidat, quàm nos fregimus; & ampliùs reparat, quàm nos unquam labefactare potuimus. Ergo benè ab Eccleſia Catholica Romana noſtra benigna Matre inſtructi, cum ipſa hodie Dominum Deum noſtrum exoramus, ut qui ex merito noſtræ actionis affligimur, ſuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Afflicti ſumus, & humiliati ſumus nimis, quoniam iniquitates noſtræ ſupergreſſæ ſunt caput noſtrum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper nos. Ecce, quomodò ex merito noſtræ actionis affligimur. En, qualiter præ peccatorum onere gravati reſpirare non valemus. Qui non reſpirat, expirat: & ita, ſi gratiæ Dei conſolatione non reſpiraverimus, erimus ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum Deus non eſt memor ampliùs. Utinam Omnipotens Deus nobis concedat ſuæ gratiæ conſolatione reſpirare, poſtquàm nos merito noſtræ actionis affligimur; quia peccantes fecimus unde affligeremur, meruimus quod patimur, & reos nos fecimus eorum, quibus ſubjacemus, gemituum, & illarum, quas ſuſtinemus, & portamus, afflictionum. Noſtra actio fecit, ut affligeremur pœnis, quia voluimus lætari in vetitis, atque gaudere in noxiis. Univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus in omnibus, quæ contra Deum, & ejus mandata egimus: & ideò afflictionem metimus, qui peccatum ſeminavimus. Tempus eſt jam nos de ſomno ſurgere. Ergo cum Dei adjutorio arripiamus ſalubris pœnitentiæ viam, & curemus nos diſponere, ut valeamus reſpirare gratiæ Dei conſolatione abundanti: & ſic non moriemur, ſed vivemus, & narrabimus opera Domini.

ORATIO SECRETA.

Sacrificiis præſentibus, Domine quæſumus, intende placatus: ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EX-

EXPLICATIO.

UTinam intendat Dominus animabus noſtris, & liberet eas, ſacrificiis præſentibus intendens placatus! quia idem erit, ipſum Deum placatum ſacrificiis præſentibus intendere, ac Deum eumdem facere nobiſcum benignè, & animarum noſtrarum, ſive etiam corporum ſaluti proſpicere, ut ſacrificia præſentia & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Tunc quid nobis nocebit, quòd multiplicati ſint qui tribulant nos, multi inſurrexerint adverſum nos, & multi dixerint animabus noſtris: *Non eſt ſalus ipſis in Deo eorum?* Quoniam ſacrificiis præſentibus intendens Dominus noſter placatus, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti; intendet animabus noſtris, & liberabit eas, propter inimicos noſtros eripiet nos Deus, qui per ſuum benignum auxilium ſuſceptor noſter eſt, gloria noſtra, & exaltans caput noſtrum. Igitur expectantes expectemus Dominum, & intendet nobis: & exaudiet preces noſtras, & educet nos de lacu miſeriæ, & de luto fæcis: & ſtatuet ſuper petram pedes noſtros, & diriget greſſus noſtros, ut ſacrificia præſentia & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti, Deus noſter benigniſſimus intendens præſentibus ſacrificiis placatus. Intendet Deus, proſpere procedet, & regnabit, cùm per ſacrificia præſentia auxerit noſtram devotionem, auxeritque clementer noſtram ſalutem; quia eidem Domino noſtro gloria accidentalis obveniet ex devotione, & ſalute noſtra, ut ipſe hac etiam gloria accidentali quodammodò magnificatus, & auctus regnet in æternum, & ultrà. Sic pſalmum dicemus nomini ſuo in ſæculum ſæculi, ut reddamus vota noſtra de die in diem. Faxit ipſe Deus, ut exaudiat deprecationem noſtram, intendat orationi noſtræ, ſiquidem ipſe deduxit nos, quia factus eſt ſpes noſtra, turris fortitudinis à facie inimici, ut inhabitemus in tabernaculo ſuo in ſæcula, protegamur in velamento alarum ſuarum, quoniam ipſe Deus noſter exaudivit orationem noſtram, dedit hæreditatem timentibus nomen ſuum. Faxit item ipſe noſter Dominus, ut eò ſurgente in requiem ſuam, illo, & arca ſanctificationis ſuæ: Sacerdotes ejus induantur juſtitiam, & ſancti ejus exultent: & omnes Fideles introeant in tabernaculum ejus, adorent in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ECce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

SYrus legit: *Beatitudinem mihi tribuent omnes generationes.* Perſicus: *Ecce ab hoc tempore omnes generationes laudabunt me.* Æthiopicus: *Et ecce ex nunc beatam, &c.* Sanctus Epiphanius: *Ecce enim ex hoc nunc, &c. generationes terræ.* Salvianus: *Ecce enim ex hoc temporis momento.* Sanctus Hieronymus: *Ecce enim amodò beatam.* Euthymius: *Ecce enim poſt hæc beatam.* Arabicus: *Ex hoc dabunt mihi beatitudinem omnes, &c.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Beatam me dicent omnes generationes Judæorum, & Gentium. Aliàs omnes gentes.* Beda in Gloſſa Ordinaria: *Ecce quàm vilia de ſe ſentit, & totum gratiæ attribuit: ſuo judicio ſe humilem ſentit: ſed reſpectu gratiæ ſic ſublimatam, ut voce cunctarum gentium beatitudo ejus præcipuà dicatur: ut ſicut per ſuperbiam Evæ mors intravit in mundum, ſic per humilitatem Mariæ, vitæ introitus pandatur.* Nicolaus de Lyra: *Ecce enim ex hoc beatam, &c. Id eſt, Judæi, & Gentiles. Ex omnibus generationibus aliqui ſunt converſi ad Fidem, qui confitentur iſtam Virginem beatam. Hoc enim patet in Sarracenis, unde in Alchorano Mahumeti dicitur de Maria Virgine: Dixerunt Angeli: O Maria, Deus annuntiat tibi ex ipſo, & erit nomen ejus Jeſus filius Mariæ. Et alibi in eodem libro: Dixerunt Angeli: O Maria, Deus utique* ele-

Digitized by Google

elegit te, & purificavit te Claram ſuper mulieres ſæculorum. Et multa alia ibi dicuntur ad laudem Virginis. Eſtius: *Ecce enim, &c. Id eſt, felicem me prædicabit omnis poſteritas. Id completum eſſe, & compleri quotidie videmus per univerſam Eccleſiam. Eſt autem iſte verſiculus Cantici, propheticus.* Menochius: *Ex hoc. Ex hoc tempore, deinceps. Omnes generationes. Omnia futura ſæcula.* Tirinus: *Ecce ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes generationes, id eſt, omnes & gentes, & ætates. Quàm hoc verum ſit, clamat experientia. Nullus enim toto orbe apud Catholicos angulus eſt terræ, in quo non ſingulari ſtudio colatur, & glorificetur Deipara Virgo.* Hugo Victorinus ait: *Ex hoc, &c. Uſque ad illud namque apud homines opprobrium ſterilitatis portaverat, quia integritatem Virginitatis thoro maritali præponebat. Sed unde in priori generatione carnali quaſi maledictionis ſententiam ſuſtinuit: inde nunc ab omni generatione merita benedictione collaudatur: cui hoc inter omnes fœminas ſoli conceſſum eſt, ut & fructum fœcunditatis haberet, & integritatem virginitatis non amitteret. Reſpexit Deus humilitatem ejus, & abſtulit humiliationem ejus, & ideò (inquit) ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Omnes generationes, quæ amiſſam beatitudinem per fructum uteri mei recuperabunt, qua per fructum vetiti ligni privatæ ſunt. Omnes beatam me dicent, ut parum jam ſit in præterita generatione ſuſtinuiſſe ſterilitatis opprobrium, quæ ab omni generatione futura pro fructu fœcunditatis meæ beata vocabor. Ex hoc, inquit. Ac ſi diceret Eliſabeth: Ex quo per os tuum Deus ſua magnalia, quæ in me operatus eſt, aperuit: ex hoc eadem in omnes generationes manifeſtando magnificabit.* Hæc Hugo de Sancto Victore. Simon de Caſſia dicit: *Fruſtrà beatam dicerent, niſi eſſet: ſed unde beatam? Quia hujuſcemodi humilitatem poſſedit. Unde beata, niſi, quia in ea Dominus ineffabilia operatus eſt, cùm in illa æternum Dei Verbum ſit in plenitudine temporis caro factum? Unde ſpiritus Virginis etiam exultavit.*

Pro: *Benedictus.*

TOletus ait: *Exponit, quid ſit hoc cornu ſalutis: Salutem, inquit, ex inimicis noſtris, id eſt, eum, qui ſalvabit, & liberabit nos ab inimicis noſtris, & de manu, ac poteſtate eorum, qui nos oderunt. Sicque connectenda eſt tota hæc ſententia, quaſi quædam appoſitio, & explicatio illius, quod dixerat, cornu ſalutis. Nunc per appoſitionem illius (cornu ſalutis) dicitur: ſalutem ex inimicis noſtris. Salutem dicit, id eſt, cauſam ſalutis, aut loco Salvatoris. Diſtinguit autem Zacharias inimicos, & odio habentes, à quibus liberandi ſumus, juxta illud Pſalmi* 105. *Salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. Inimicos, & odio habentes habet homo; inimicos quidem, qui ei nocent ſpiritualiter, carnem, & mundum, à quibus multis modis patimur: ab his liberati ſumus per Chriſtum, dum tanta nobis virtus, & gratia ejus viſitatione, & redemptione collata eſt, ut eorum nocumentum vitare poſſimus, & eis uti ad juſtitiæ, & præmii augmentum valeamus. Roman. 7. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum. Galat. 1. Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam. Qui verò oderunt, dæmones ſunt, & homines, ſæpè ab illis inſtigati, qui noſtram ſalutem impedire conantur: à quibus per Chriſtum eodem modo liberati ſumus, non quòd illi non tentent nocere, ſed quòd non noceant; non quòd non impugnent, ſed quòd non expugnent nos. Galat. 6. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates tenebrarum harum. Liberavit ab his nos Chriſtus, non, ut non inſurgant contra nos, ſed nè vincant, ſi nolumus. Hoc eſt de manu odientium ſalvare, nempe, nè prævaleant adverſus nos. Hæc in hoc ſæculo fiunt; nam in futuro, & æterno perfecta eſt ſalus, ubi nullus aderit inimicus, nec adverſarius, nec qui nos odio habeat, quando ponet fines noſtros pacem, & adipe frumenti nos ſatiabit.* Hæc ait Toletus in Commentariis ad hunc locum

cum

Digitized by Google

cum. Barradas inquit: *Quam ſalutem nobis Meſſias attulerit, indicat. Salutem, inquit, & liberationem, ex omnium hoſtium captivitate, ac manu, & poteſtate, qui nos magno proſequuntur odio. Hi autem mali dæmones ſunt. Obſerva verba illa: De manu omnium, qui oderunt nos; non enim ſatis eſt, de manu hoſtis unius, vel alterius, vel plurium liberari, ſi vel unius tantùm manus te comprehenſum teneat. Læthifera peccata hoſtes ſunt; omnia fugienda ſunt, ſi ſalutem vis conſequi. Nam, & ſi multis laqueis conſtrictam non teneat anceps avem, ſatis illi eſt, ſi vel uno teneat.* Hucuſque Barradas.

Pro: *Nunc dimittis.*

SAnctus Gregorius Nyſſenus in fun. mag. Melet. dicit: *Honorata, ac pretioſa coram Domino talis viri mors eſt: imò verò non mors, ſed ruptura membrorum eſt. Diſrupiſti enim, inquit, vincula mea: dimiſſus eſt Simeon, liberatus eſt à vinculis corporis: laqueus contritus eſt, & avicula avolavit.* Simon de Caſſia ſic explicat: *Magis autem ipſe Simeon cauſam ſubrogat, quarè ſit dimiſſus in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quæ viderunt illius ſenis oculi? Carnem, non Deitatem Chriſti. Sed mente intellexit, quòd ipſe penitùs erat ſalus Dei, ab æterno cunctis mortalibus hominibus præparata.* Maldonatus: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, ſalutem tuam, quam in mundum miſiſti. Salutem autem Dei ſe vidiſſe, dicit, quia Chriſtum ſalutis Auctorem vidit. Et ſic omnes ferè veteres Interpretes Chriſtum ipſum ſalutem, quaſi Salvatorem vocari, putant. Baſil. in Pſalm.* 61. *& Auguſtinus lib.* 1. *contra adverſarios Legis, & Prophetarum, cap.* 11. Vincentius Regius: *Quia viderunt oculi mei, &c. Hæc verba: Oculi mei, emphaſim habent. Quaſi dicat: Non fidei ſolùm oculis, ut olim Patres, ſed iſtis eiſdem oculis meis carneis vidi eum.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

DEipara prævidet, ſe ab omnibus generationibus beatam appellandam. Zacharias noſcit, nobis adveniſſe ſalutem ex inimicis noſtris per Dei miſericordiam. Simeon gaudet, quoniam Deum Incarnatum, mundi Salvatorem videt. Beatæ titulus tribuitur Dei Genitrici de eo benè merenti, utpote, à qua ſerpentis caput eſt contritum, & per quam ad nihilum Deus redegit inimicos noſtros, ut poſſimus Deo loquentes, & diabolo inſultantes in virtute Dei, & Beatæ ejus Matris, dicere: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: contribulaſti capita draconum in aquis: tu confregiſti capita draconis*; & ut cum tanto adjutorio qui vicerimus beſtiam, Salvatorem noſtrum videamus in cœlo, videant, inquam, oculi noſtri Salutare Dei, & in citharis jucundi ſecundùm faciem ſanctorum æternum agamus triumphum. Age jam, diabolum vincamus in omnibus, qui beati eſſe apetimus: vincamus, inquam, nec ſolùm illum calcemus, ſed etiam caput ejus conteramus. Non ſe reputavit ſecurum David, qui Goliath jactu lapidis proſtravit, uſquequò poſteà caput gigantis præcidit. *Devictus eſt quidem Goliath, ſed forſitan adhuc vivit*, ajebat Sanctus Bernardus: multoties nos, etiam vitiis victis, experimur hoſtes etiam devictos contra nos inſurgere; & in periculis verſamur, quia non perficimus triumphum. Semel proſtratus, ſi ſurgit inimicus à terra, majori vi victorem invadit; & eum, à quo primò victus, & dejectus eſt, multoties accidit, quòd ſua robuſta aggreſſione necet. Ergo ita diabolum, & vitia curemus vincere, ut in poſterùm contra nos non valeant ſurgere. Taliter vincenti dabitur manna abſconditum: hic beatus in facto ſuo erit: quandoquidem ad hoc Deus conceſſit, quòd cum ejus gratia conſequamur ſalutem ex inimicis noſtris, ut poſteà in beata æternitate oculi no-

li noſtri videant Salvatorem noſtrum Chriſtum Dominum, quando incoluerimus Empyreum. Hac ſpe, communicata tribulatione, conjungamus orationem: & orantes poſt Communionem, humiliter à Deo petamus gratiæ, atque gloriæ mercedem.

Oratio poſt Communionem.

D*A nobis, quæſumus, miſericors Deus, ut ſancta tua, quibus inceſſanter explemur, ſinceris tractemus obſequiis, & fideli ſemper mente ſumamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.*

EXPLICATIO.

SAncta ſanctè tractanda ſunt: & ideò eſt æquiſſimum, ut ſinceris tractemus obſequiis, & fideli ſemper mente ſumamus ea ſancta Dei Altaris Myſteria, quibus inceſſanter explemur. Eiſdem quidem Myſteriis explemur inceſſanter, ut Deo noſtro ſerviamus indeſinenter. Non deſinamus igitur Deo ſervire per tractationem ſanctorum ſuorum Myſteriorum cum obſequiis ſinceris, & per ſumptionem jugem, ſeu frequentem Myſteriorum eorumdem cum mente fideli, hoc eſt, fide firma, ſpe ſolida, & charitate perfecta benè animas noſtras aſſociantibus, & eas ad tanta recipienda Myſteria, qua decet puritate, diſponentibus. Qui explemur, etiam replemur ſanctis Myſteriis Altaris, nè in vacuum gratiam Dei recipiamus, & ut repleti cibo ſpiritualis alimoniæ, terrena deſpiciamus, cœleſtia amemus, & ſemper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus. Dilatemus os noſtrum, & implebit Dominus illud: os noſtrum aperiamus ad recipiendum dignè Diviniſſimum Sacramentum, & attrahamus ſpiritum: ut hac pretioſa eſca nobis ſaginatis (quando cibat nos Dominus ex adipe frumenti, & pane cœli ſaturat nos, ac cibaria mittit nobis in abundantia, volens, quòd, dante illo, nos colligamus, & aperiente illo manum ſuam, omnia impleantur bonitate) ex abundantia cordis os loquatur, & eructet cor noſtrum verbum bonum. Verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos Deo ſemper, & ubique gratias agere; ac etiam ſpecialiter eſt æquiſſimum, ut tantis repleti muneribus, & ſalutaria dona capiamus, & à Dei numquam laude ceſſemus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis, ut ſancta Dei, quibus inceſſantèr explemur, ſinceris tractemus obſequiis, & fideli ſemper mente ſumamus. Ploremus cum illo Sancto Tobia, quia non egimus ſecundùm præcepta Dei, & non ambulavimus ſinceriter coram illo. Si ex una parte tractaverimus ſinceris obſequiis ſancta Dei, quibus inceſſanter explemur, & ex parte alia, ſemper eadem Myſteria fideli mente ſumpſerimus; cum frequentatione Myſterii creſcet noſtræ ſalutis effectus: & Deus noſter nos, quos Divinis reparare non deſinit Sacramentis, ſuis non deſtituet benignus auxiliis.

CAPUT DECIMUMNONUM

Pro Dominica Paſſionis.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ Paſſionis. Qui quidem Textus eſt hic:

Et errore Balaam mercede effuſi ſunt.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: *Et deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, &c.* Syriacus: *Poſt errorem Balaam in mercedem libidinosè exarſerunt.* Æthiopicus: *Et propter conditionem iniquitatis Balaam exarſerunt.* Syrus alter: *Poſt mercedem Balaam in mercede participes facti ſunt, vel exarſerunt.* Pagninus: *Deceptione mercedis, qua deceptus eſt Balaam, effuſi ſunt.* Vatablus: *Effuſi ſunt deceptione mercedis Balaam, atque mercede doloſa, qua deceptus eſt ille, à Dei præceptis egreſſi ſunt, ac in omne ſcelus abducti.* Arabicus denique vertit: *Et in mercede ejus exarſerunt.* Has quatuor ultimas verſiones affert Cornelius. Gloſſa Interlinealis ait: *Malo conſilio decipiuntur, ut Balaam.* Gloſſa Ordinaria: *Errore Balaam pereunt, qui præ amore terreſtrium commodorum, veritatem, quam noverunt, impugnant.* Nicolaus de Lyra: *Et errore Balaam, &c. Id eſt, propter quæſtum temporalem ſe malis expoſuerunt. Eſt hoc ſecundum, quod affert Sanctus Judas, de Balaam, qui cupiditate ductus voluit maledicere filiis Iſrael, ut habetur Numer. 22. & 23. & quoniam non potuit à Deo prohibitus, docuit Balach ponere ſcandalum coram filiis Iſrael per meretrices eos ad idololatriam provocantes. Numer. 25. Sic hæretici propter quæſtum prædicantes, veris Miniſtris Chriſti maledicebant, & eos, quantùm poterant, ſcandalizabant.* Eſtius ſic explicat: *Ordo verborum eſt: Et effuſi ſunt errore, ſeu deceptione mercedis Balaam: Id eſt, avaritia decepti, exemplo Balaam, qui mercede conductus voluit maledicere populo Dei, ſeſe effundunt in omne facinus. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. 1. Timoth. 6. Avaro nihil eſt ſceleſtius. Eccleſ. 10. Nota eſt Simonis, cujus hîc ſchola taxatur, avaritia; qui Spiritum Sanctum emere voluit, ut venderet: ideòque audivit à Petro: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Actor. 8. Error itaque mercedis Balaam, deceptio eſt ex mercede ſperata, quæ & ipſum Balaam decepit, eumque impulit in peſſimam voluntatem. Hoc de Balaam exemplum etiam Petrus adduxit.* Menochius: *Et errore Balaam, &c. Quaſi dicat: Quemadmodùm Balaam ſpe lucri munerum regis Balac populo Dei voluit maledicere, ita hi toti effuſi in lucrum, in maledicta etiam, impia conſilia, & alia ſcelera ſeſe effundunt, ut perdant Eccleſiam.* Tirinus: *Et errore Balaam, nempe, deceptione mercedis (Sic habent Græca) oblatæ à Balac rege Moab, effuſi ſunt, ſicut ipſe, in maledicta, & in impia conſilia ad perdendum populum Dei.* Hugo Cardinalis ita appoſitè, ac conjunctim tria exempla vitiorum Cain, Balaam, & Core explicat, ut mihi viſum fuerit opportunum ponere ſimul cuncta tanti Auctoris quoad hoc verba. Ait ergo: *Secunda pars quartæ partis* (hujus Epiſtolæ, ſcilicet) *ubi eos* (nempe, hæreticos) *diverſis peccatoribus comparando, enumerat diverſa eorum peccata, propter quæ ipſos fugiendos eſſe, admonet, & non imitandos. Primò igitur oſtendit, eos armari gladio malæ, & perverſæ doctrinæ, cùm dicit: Cain. Secundò, malo conſilio alios ſeducere, unde comparat eos Balaam. Tertiò, contra*

Præ-

Digitized by Google

Prælatos inſurgere, unde comparat eos Core. Sic ſignificantur tria genera hæreticorum. Quorum quidam propter invidiam manent in hæreſi; iſti comparantur Cain. Alii propter lucrum, & tamen contra conſcientiam; hi comparantur Balaam. Tertii propter honorem, quem eis impendunt ſubditi majorem, quàm noſtris Epiſcopis ſui, qui ſunt Catholici. De his dicit: Væ illis, id eſt, æterna damnatio expectat eos, & dabitur illis, qui in via Cain abierunt, id eſt, quia propter invidiam permanſerunt in hæreſi. Vel: In via Cain ambulant, qui invident profectibus aliorum. Eſt autem invidia propriè triſtitia de felicitate aliena, quam vellet ei deeſſe. Hoc eſt peccatum graviſſimum, quia & proprium ſubjectum lædit, & deſtruit. Verſus: Invidus alterius rebus marceſcit opimis. Fratrem ſpiritualiter occidit, & nonnunquàm etiam corporaliter. Item Deum præcipuè offendit, qui donorum, & gratiarum dator, & diſtributor eſt, ſicut vult, hominique expedit. 1. ad Corinth. 12. b. Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult. Quidquid boni videt invidus alium habere, raptum ſibi reputat, & ſublatum; è converſò, quidquid videt charitas, ſuum facit commune. Unde Gregorius: Penſent invidi, quàm bona ſit charitas, quæ omnia noſtra bona facit: è converſò invidia. Eſt enim invidia, ut dicit Bernardus, animi tinea, ſenſum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quaſi quædam peſtis depaſcit, & cuncta bona ardore peſtifero devorat. Invidus alienum bonum, ſuum facit damnum & invidendo peccat. Propter invidiam Joſeph à fratribus ſuis venditus eſt. Geneſ. 37. c. Propter invidiam Dominus Jeſus traditus eſt in manus impiorum. Marci 15. c. Sciebat enim, quòd per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes. De via Cain Geneſ. 4. c. Abiit enim vagus, & profugus, & habitavit in terra ad Orientalem plagam Eden. Et, ſcilicèt, væ illis, qui errore Balaam, id eſt, qui ejus errorem ſecuti, mercede effuſi ſunt. Iſti ſunt, qui munera amantes, & avaritiam ſectantes, pervertunt judicia, mala dant conſilia, ſicut Balaam, qui volens maledicere populo Dei, cùm non potuit, malum conſilium dedit, ut, ſcilicèt, mitterent mulieres de Madian formoſas, cum quibus fornicati filii Iſrael incurrerent iram Dei. De qua fornicatione legitur Numeror. 25. a. Tales ſunt, qui propter munera leges condunt iniquas, perverſa dant conſilia. De quibus Iſai. 10. a. Væ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Et, ſcilicèt, væ illis, qui in contradictione Core perierunt. De hoc Numeror. 16. c. Per quod ſignificantur inobedientes, qui contra Prælatos ſe erigunt. Et, quia magnum ſit periculum, patet: Duo enim Magi, qui Moyſi reſtiterunt, ulceribus veſicarum turgentium ſunt percuſſi: itaque nec poterant ſtare coram Moyſe. Exod. 9. c. Core incendio periit: Dathan, & Abiron terra vivos abſorbuit. Numeror. 16. c. Mariam lepra invaſit. Numeror. 12. c. Jonathas filius Saul morti adjudicatus eſt. 1. Regum, 14. g. & Abſalom ſuſpenſus per capillos, & lanceis ſuffoſſus. 2. Regum, 18. d. Propheta à leone occiſus. 3. Regum, 13. e. Elymas Magus excæcatus eſt, quia Paulo reſiſtebat. Actor. 13. d. Propter hæc omnia dicit Beatus Bernardus: Magnum eſt inobedientiæ vitium, qua Angelus cœlum, homo paradiſum, Saul regnum perdiderunt. Et tamen ſunt multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt. Ad Titum. 1. c. Et hoc multum dolendum eſt, quòd Religioſi quidam, qui deberent eſſe circumciſi in omnibus, ſint rumorum inventores, & narratores. Notandum eſt autem, quòd væ multipliciter poteſt accipi in Scriptura. Cantus exequiarum. Jerem. 22. c. Non plangent eum, væ frater, væ ſoror: non concrepabunt ei: væ Domine, & væ inclyte: ſepultura aſini ſepelietur. Temporalis pœnæ prædictio. Jerem. 15. c. Væ mihi, mater mea, quarè genuiſti me virum rixæ, & diſcordiæ in univerſa terra? Pœnæ recordatio. Jeremiæ 45. a. Væ miſero, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo; laboravi cum gemitu meo, & requiem non inveni. Pœna præſens. 1. Reg. 4. Væ nobis, quis nos ſervabit de manu deorum ſublimium iſtorum? Iſai. 6. b. Væ mihi, quia tacui. Pœna futura. Ezechiel. 30. a. Væ,

væ diei, quia juxta eſt dies, & appropinquabit dies Domini, dies nubis, tempus gentium erit. Tranſgreſſio mandatorum. 1. ad Corinth. 9. c. Væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero. Perſecutio. Apoc. 9. c. Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ. Hucuſque Hugo Cardinalis. Cornelius à Lapide hæc habet ſuper verba Sancti Judæ: *Et errore Balaam mercede effuſi ſunt. Tò: effuſi ſunt, ſignificat magnam hæreticorum peccandi licentiam, ardorem, & impetum, quo totos ſe effundunt in mercedes, & opes, ac per eas, & propter eas in omnes cupiditates, & omnia ſcelera. Arabicus vertit: Et in mercede ejus exaruerunt, quia poſt effuſionem ſequitur ariditas: unde, effuſo humore per ſudorem, vel ſanguinem, exareſcimus, & ſitimus. Tò: exaruerunt, notat, mercedes, & lucra per ſcelus parta non locupletare, ſed exareſcere, & evaneſcere, juxta illud: Malè parta malè dilabuntur. De malè quæſitis non gaudet tertius hæres. Porrò hæretici imitantur Balaam: primò, quia inſtar Balaam, pro amore terreſtrium commodorum, veritatem, quam ipſi norunt, impugnant, ait Beda. Et OEcumenius: Gnoſtici, inquit, lucri cupiditate omnia agunt. Secundò, quia pro Spiritu Sancto, quem jactant, ſpiritu erroris, & patre mendacii, puta diabolo, agitantur. Ita Didymus. Tertiò, quia hæreſiarchæ crebrò ſunt Magi, vel familiarem habent dæmonem, uti habuit Balaam. Quartò, ſicut Balaam voluit maledicere populo Dei, & Synagogæ, ſed Deus ejus maledictionem vertit in benedictionem, ita hæretici ſunt maledicentiſſimi, & convitiis, ac probris continuò non tantùm Orthodoxos, ſed & ſe invicem impetunt, & proſcindunt. Sed Deus hæc eorum probra in ipſorum ignominiam, & Eccleſiæ gloriam convertit, oſtendendo toti mundo eorum impatientiam, maledicentiam, calumnias. Quintò, Balaam impium dedit conſilium Balac Regi, ut, ſcilicèt, puellas ſpecioſas ſubmitteret in caſtra Hebræorum, quæ eos ad libidinem, indeque ad idololatriam pellicerent; ut ſic, deſerente eos Deo, à Balac vinci, & occidi poſſent, ut patet Numeror. 31. 15. ibique docet Theodor. quæſt. 45. & Joſephus 4. Antiquit. 6. ita hæretici impia dant conſilia, ſuadentque Religioſis, & Clericis apoſtaſiam, violationem votorum, perfidiam, hæreſim: laicis rebellionem, libidinem, gulam, omnemque carnis licentiam. Ita Didymus. Imò Chriſtus ad Angelum, id eſt, Epiſcopum Pergami Apoc. 2. 19. Habeo, ait, adverſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, de quo ibidem plura. Unde Philaſter lib. de Hæreſ. Balaamitas recenſet inter hæreticos; hæreſis enim eorum erat, licere fornicari, & veſci idolothytis. Quocircà Balaam appoſitum ad rem, opus, & facinus ſuum ſortitus eſt nomen. Balaam enim Hebraicè idem eſt, quòd lingens, vel vorans populos, aut abſorbens populum. Balaam enim invitans Hebræos per puellas ad eſum idolothytorum, voluit eos abſorbere, & perdere. Denique, ſicut Balaam in bello Madianitico ab Hebræis gladio cæſus eſt, ita hæretici gladiis Principum perimuntur, quia impii ſunt in Deum, & quia Rempublicam turbant, concitando rebelliones, ſeditiones, & ſchiſmata, uti Balaam per mulieres voluit evertere caſtra Hebræorum. Nihil enim animos viriles, & militares ita effeminat, ac libido. Quocircà veteres Gentiles fœminas, licèt uxores, caſtris arcebant, teſte Tertulliano lib. de Caſtitate, cap. 12. Unde Caſtra dicta ſunt, quaſi caſta, quòd in iis caſtraretur libido, ait Iſidorus lib. 9. Etymolog. cap. 3. Hanc cauſam affert Tacitus lib. 3. Hiſtoriar. Ineſſe, ſcilicèt, mulierum comitatui quæ pacem luxu, bellum formidine morentur. Et Valer. Maxim. lib. 2. cap. 7. Exhauſta, ait, erubeſcenda ſentina ſcortorum è caſtris Scipionis, Romanus exercitus, qui paulò ante metu mortis turpi ſe fœderis macula aſperſerat, erecta virtute acrem illam, & animoſam Numantiam, incendiis exuſtam ſolo æquavit. Vide Lypſium lib. 5. de Militia Roman. Dialog. 18. ubi narrat, Germanos olim mulieres in caſtris deprehenſas, naſo truncaſſe, & expuliſſe.* Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

OMnia flumina intrant in mare: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur. Sed quid eſt, quòd aliter accidat rivulis? Iſti profectò ad mare, cùm de mari exierint, non redeunt, imò miſerè in terra finem inveniunt, & penitùs conſumuntur. Meritò quidem, quia ſui originis obliti, à mari ſe elongant, & verſus illud non ambulant. Quot peccatores errore Balaam mercede effuſi ſunt! Benè legit Arabicus: *Et in mercede ejus exaruerunt*. Aquæ populi ſunt, & gentes: & Deo dicit Pſalmus: *Qui elongant ſe à te, peribunt*. Illæ ſiquidem gentes, quæ memores ſunt Dei, & conſolatæ ſunt, ad Dominum, qui eſt mare perfectionum, & qui eas creavit, illiſque originem dedit, tanquam flumina velocia, revertuntur; ſed peccatores, utpote gentes apoſtatrices, & ut gens ſine conſilio, & ſine prudentia, tamquam rivuli, à terra abſorbentur, atque viam, quæ ducit ad Divinum mare, linquunt. Placidè quidem iſti decurrunt, quia tenent tympanum, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Nauſeat anima iſtorum ſuper cibo delicato (quem vocant leviſſimum) quia manna dulciſſimum, tum gratiæ, tum gloriæ oderunt. Tædet iſtum populum itineris, & laboris, quamdiu ſunt in via terræ viatorum, iter tutum pandente, & terræ cœleſtis promiſſionis propinquanti: ſed iſti ignari, quos tædet ad cœlum conquirendum utiliſſimi laboris, non advertunt, quòd in captivitate infernali laſſis non dabitur requies. Proh dolor! Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens, illi, qui errore Balaam mercede effuſi ſunt: relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum: quia homo dives, cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus: theſaurizat, & ignorat cui congregavit ea. Væ vobis mercede effuſis. Sic vos non vobis mellificatis apes: ſic vos non vobis vellera fertis oves. Tamquam rivuli, avari, ſuper terram, imò ſub terra, iter ad mare deſinentes, mercede effunduntur, & in mercede Balaam exaruerunt. Arida illos deglutit, quando illos terrenorum cura abſorbet. Apud iſtos rivulos piſces non, ſicut in fluminibus, reperiuntur; quia habere viventes in ſe piſces eſt eorum fluviorum, qui, quando ad mare, unde exierunt, redeunt, quodlibet in via tollentes ſui itineris fortiter, atque violenter obſtaculum, deſignant illos, de quibus dictum eſt: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: & apud hos, qui ſibi faciunt violentiam, ut ad Deum redeant (qui eos creavit, & in reditu illis vitam æternam promittit) invenitur reptile animæ viventis, reperiuntur, inquam, piſces ſpirituales operum vivorum, & ſalutarium, quibus ditati vitam æternam, & ſuum mare Deum avidiſſimè requirunt. Ut Deum ipſum quæramus, & inveniamus, ſic docet nos Eccleſia orare in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ Paſſionis, quæ eſt prima in Miſſa illius.

QUæſumus, Omnipotens Deus, familiam tuam propitius reſpice, ut te largiente, regatur in corpore, & te ſervante, cuſtodiatur in mente. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

UT mente, & corpore pariter expediti, quæ Dei ſunt liberis mentibus exequamur, neceſſarium eſt, quòd à Domino Deo noſtro ſalutem mentis, & corporis flagitemus: ut ſic cum ipſius Domini adjutorio, ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, feliciſſimè vincamus. Patimur quidem pro peccatis noſtris in corpore ſenſuum rebellionem, præcipuè ob inveteratam peccandi conſuetudinem: patimur etiam pro peccatis noſtris in anima infirmitatem multiplicem. Ut prædictam corporis, & animæ expeditionem, & ſalu-

tem

tem conſequamur, hodie à Domino petimus, ut reſpiciat familiam ſuam propitius. Si taliter ab eo reſpecti fuerimus, ipſo largiente, regemur in corpore; & illo ſervante, cuſtodiemur in mente. Quærimus regi in corpore qui corporis paſſionibus, malis præcipuè, ingemiſcimus gravati: nam, quia poſiti ſumus contrarii Deo, facti ſumus nobiſmetipſis graves, & corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & gravans multiformem mentibus quotidie inducit miſeriam. Utinam qui regit Iſrael intendat, & juxta morem ſuum benignum, Deus regat nos, & extollat nos uſque in æternum. Non extollet, niſi rexerit: ideò volentes in cœlum elevari, & uſque in æternum extolli, qui pondere peccatorum premimur, nè aſcendamus; humiliter regi in corpore depoſcimus. Si Deus nos in corpore rexerit, & in mente cuſtodiemur, & nunquàm periclitabimur. Sed, niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Non oravit Chriſtus, ut Pater tolleret nos de mundo, ſed ut ſervaret nos à malo. Ipſe Pater Æternus ſervabit nos, & cuſtodiet nos à generatione hac in æternum, quando in circuitu impii ambulant, & ipſi in miſeriis non ſubſiſtunt: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Deo dante, cuſtodietur familia Dei in mente: in mentem redibit, & cuſtodietur ut pupilla oculi. Quando reſpicit familiam ſuam Dominus propitius, eam regit in corpore, per ſuam largitatem benignam: & illam ſervat, ac cuſtodit in mente per ſuam piam, & magnam miſericordiam.

ORATIO SECRETA.

HÆc munera, quæſumus Domine, & vincula noſtræ pravitatis abſolvant, & tuæ nobis miſericordiæ dona concilient. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

DOminus de cœlo in terram aſpexit, ut audiret gemitus compeditorum. Dominus ſolvit compeditos. Ideò fideliter ſperamus, quod à vinculis peccatorum noſtrorum abſolvet nos Omnipotens, & miſericors Dominus. Abſolvet quidem, quia Omnipotens, efficaciter; & quia miſericors eſt, benigniſſimè, & clementer. Abſolvet Deus Omnipotentiâ, ut parcat: & abſolvet miſericordiâ, ut indulgeat. Abſolvet nos Dominus miſericordia Omnipotente: & abſolvet etiam Omnipotentia miſericorde. Hoc optamus, quando petimus, ut Dei virtute, quam habent Altaris munera ex Divina voluntate, ipſa munera (quatenùs nos ad veram Confeſſionem Sacramentalem, vel ad contritionem perfectam cum voto ipſius Confeſſionis, diſpoſuerint) & vincula noſtræ pravitatis abſolvant, & Dei nobis miſericordiæ dona concilient. Ipſa munera, quæ in ſenſu explicato vincula noſtræ valent pravitatis tollere, poſſunt quoque eodem modo nobis conciliare dona miſericordiæ Divinæ. His donis multoties privabamur, quamdiu vinculis noſtræ pravitatis alligati, & irretiti, in ipſa peccati nocte eramus dormientes inter duos milites, diabolum, nempe, & mundum, vincti catenis duabus, videlicet, vinculis culpæ, & pœnæ: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem, quia verabant noſtrum à peccato egreſſum, paſſiones noſtræ, ac etiam pravi habitus, & conſuetudo peccandi. Sed jam ſperamus, quòd per hæc Sacri Altaris munera lumen refulgebit in habitaculo cordis noſtri: jam cadent catenæ de manibus noſtris, ut ſimus abſoluti, tum à culpa, tum etiam à pœna: & exibimus tranſeuntes primam, & ſecundam cuſtodiam, triumphantes, tum de iniquis paſſionibus, tum etiam de pravis peccandi habitibus: ut aperiatur nobis ultrò porta ferrea: & ad nos reverſi dicemus, nos ſcire verè, quòd Dominus voluit nos per hæc Altaris munera eripere, & à vinculis noſtræ pravitatis abſolvere. Abſolutis nobis conciliabuntur Dei miſericordiæ dona per ipſa Altaris munera: quia per gloriam accidentalem, quam Domino noſtro tribuit Sanctum Miſſæ Sacrificium, aſcendit Deus in altum, captivam ducit captivitatem, dat dona hominibus. Ea, nempe, dona,

quæ accipit in hominibus, id eſt, quæ ei homines damus, ea ipſa meliorata nobis præbet, & aucta à ſua miſericordia, reſtituit. Petamus igitur omnia prædicta confidenter, ut accipiamus feliciter.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generotiones. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

MAldonatus ſic explicat: *Ecce enim ex hoc. Deinceps, ex hoc tempore. Beatam me dicent omnes generationes. Declarat quod dixerat, reſpexiſſe Dominum humilitatem ſuam, id eſt, ex humili conditione ad tantum honorem evexiſſe, ut ſe omnia ſæcula beatam ſint prædicatura. Opponit omnes generationes, id eſt, omnia futura ſæcula, tempori præſenti, quod vocavit hoc: Ecce enim ex hoc; & omnes futuros homines, uni Eliſabethæ, quæ ſe paulò antè beatam appellaverat; quaſi dicat: Deinceps non ſolùm tu, ò Eliſabetha, ſed omnes omnino mortales beatam me eſſe prædicabunt, ut rectè Theophylactus animadvertit.* Vincentius Regius ait: *Ecce. Duo continet: Primò magnitudinem virtutis Dei, quaſi diceret: Animadvertite Dei in me virtutem: Ex hoc beatam me dicent omnes, &c. Secundò, reſponſum ad verba Eliſabeth, quæ illam Beatam, id eſt, felicem dixerat, quia crediderat. At non, inquit, hæc eſt præcipua meæ beatitudinis cauſa; ſed quia reſpexit me vilem magnus Deus, cujus rei clariſſimum ſignum eſt, quòd ex hoc beatam me dicent, &c. ſpectant enim hæc ad redditionem cauſæ, cur dixerit, quòd Deus ipſam, quamvis vilem, reſpexerit: eſt enim hujus rei cauſa hoc ipſum planè indicans, quia ex hoc beatam dicent, & tamquam Dei Matrem venerabuntur. Ex hoc, ex nunc, atque in poſterum, ſeu ex hoc tempore. Omnes generationes: omnis ætas, omnis natio. Vel certè Fideles intelligit, qui nunquàm defuturi; quaſi diceret: Non tu ſola.* Barradas ſic explicat: *Adverte, illud: Ex hoc, ſignificare ex hoc tempore; id eſt, ex hoc nunc, ex hoc tempore, per ſæcula omnia, beatam me dicent hominum cunctæ generationes. Cùm Zelpha ancilla filium Liæ uxori Jacob peperiſſet, exultans Lia (Geneſ. 30.) Hoc, inquit, pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres, propterèaque filium, Aſer, id eſt, beatitudinem nominavit. Si ex ancilla filius tantam Liæ attulit lætitiam, quis animo complecti poterit, quantam Deiparæ Deus filius exultationem attulerit? Hoc pro beatitudine mea, ait Lia, id eſt, partus hic beatitudinem mihi afferet, nam beatam me dicent mulieres. Quid par eſt Deiparam dicere, quæ Deum peperit, cùm hæc dicat Lia ob ancillæ partum, filiumque Aſer, id eſt, beatitudinem, appellet? quaſi verò beatitudinem illi Zelpha peperiſſet. Non Zelpha, ſed Virgo ſanctiſſima beatitudinem peperit, nimirum, Chriſtum Deum, qui omnium hominum, Angelorumque beatitudo eſt. Hoc, id eſt, hic partus feliciſſimus, veri Aſer, id eſt, veræ beatitudinis, pro beatitudine tua, Virgo ſanctiſſima: Ecce enim beatam te dicent omnes generationes.* Hæc Barradas habet cum aliis multis poſteà pro explicatione verſus ejuſdem inferiùs à nobis hîc apponendis.

Pro: *Benedictus*.

SYlveira dicit: *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Aliqui Recentiores connectunt cum verbo, locutus eſt, ut ſit ſenſus: Erexit cornu ſalutis, ſicut locutus eſt, ſeu promiſit per Prophetas ſalutem ab inimicis noſtris; & ſic multa, quæ ſequuntur, cum hoc verſu conjungunt. Probabilior tamen eſt expoſitio antiquorum. Origenis homil. 10. Euthymii, Theophylacti, Bedæ, Carthuſiani, Bonaventuræ. Qui conjungunt cum verbo: Erexit, ſeù excitavit cornu ſalutis, & appoſitivè magis explicando id, quod obſcurè dixerat cornu ſalutis, nunc addidit: Salutem ex inimicis noſtris; id eſt, dedit ſalutem liberando nos ab inimicis noſtris. Salutem, ſci-*

ſcilicèt, cauſam ſalutis, Chriſtum Dominum: ſæpè enim ſalus pro cauſâ illius ponitur in Scriptura. Pſalm.26. num.1. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. Pſal.34. num.3. Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Et de manu omnium, id eſt, de potentia. Ita Hugo, & Cajetanus. Et, quamquàm hæc duo de inimicis, & de manu omnium, qui oderunt nos, aliqui dicunt, quòd ſit repetitio, Matth. cap.5. num. 44. Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos; tamen Divus Bonaventura, & Dionyſius Carthuſianus per inimicos intelligunt hoſtes ſpirituales, carnem, mundum, & dæmones; & per eos, qui nos odio habent, homines peſſimos, & iniquos. Cornelius ait: *Salutem, &c. id eſt, omnium dæmonum, & hominum impiorum, ait Gloſſa, puta Satanæ, & miniſtrorum ejus. Salutem, refert ad locutus eſt. Verſ.70. quaſi dicat: Sicut Deus locutus eſt per Prophetas, & promiſit ſalutem, id eſt, liberationem, & ſalvationem Iſraelis, totiuſque mundi à captivitate diaboli, peccati, mortis, & gehennæ; ita & eamdem nunc præſtitit, dando cornu ſalutis, id eſt, robuſtum Salvatorem, ſcilicèt, Jeſum Chriſtum. Nota, Zachariam hìc interpretari prophetias veteres de regno, & ſalute Chriſti, non temporali, ut craſſè intelligunt Judæi, ſed ſpirituali, ut patet verſ.74. & ſequenti, ubi ait: Ut ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Et verſ. 77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum.* Barradas inquit: *Accuſativum, ſalutem, quidam cum verbo: locutus eſt, conjungunt, hoc ſenſu; Erexit cornu ſalutis, ſicut locutus eſt per os Prophetarum, id eſt, promiſit, ſalutem hanc de manu omnium, qui oderunt nos. Alii commodiùs conjungunt cum verbo, erexit: dixerat enim Zacharias: Erexit cornu ſalutis, quæ ſit ſalus hæc, oſtendit, quaſi dicat: Erexit inquam (& excitavit, Græcè) ſalutem ex inimicis noſtris. Janſenius putat, duram eſſe hanc locutionem.* Hæc Barradas.

Pro: *Nunc dimittis*.

SAnctus Auguſtinus ſerm.13. de Temp. poſt initium dicit: *O Omnipotentia naſcentis! O magnificentia de cælo ad terram deſcendentis! In Templo præſentabatur, & à Simeone ſene famoſò, annoſo, probato, coronato agnoſcebatur. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit: Nunc, Domine, dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Differebatur exire de ſæculo, ut videret natum, per quem conditum eſt ſæculum. Agnovit infantem ſenex, factus eſt in puero puer. Innovatus in ætate qui plenus erat pietate. Simeon ſenex gerebat Chriſtum infantem, Chriſtus regebat Simeonis ſenectutem. Dictum ei fuerat à Domino, quòd non guſtaret mortem, niſi videret Chriſtum Domini natum. Natus eſt Chriſtus, & impletum eſt deſiderium ſenis in mundi ipſius ſenectute. Ipſe ad ſenem hominem venit, qui mundum inveteratum invenit. In iſto quidem ſæculo diù eſſe nolebat, & Chriſtum in hoc ſæculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, & dicens: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Denique, ut noveritis, ita eſſe iſtius lætitiam, concluſit dicens: Nunc dimittis ſervum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Prophetæ cecinerunt, Conditorem cæli, & terræ, in terra cum hominibus futurum: Angelus nuntiavit, Creatorem carnis, & ſpiritus in carne venturum: ſalutavit Joannes ex utero Salvatorem: Simeon ſenex Deum agnovit infantem: Anna vidua Virginem Matrem. Hæc ſunt teſtimonia Nativitatis tuæ, Domine Jeſu, antequàm tibi ſternerentur fluctus maris, campi cederent imperanti; antequàm ventus, te jubente, ſiluiſſet; mortuus, te revocante, reſurrexiſſet; ſol, te moriente, palluiſſet; terra, te reſurgente, tremuiſſet; cælum, te aſcendente, patuiſſet. Adhuc in manibus Matris portabaris, & jam Dominus orbis agnoſcebaris. Ubique enim Chriſtus Dominus ei pulcher occurrebat. Pulcher in cælis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, pulcher in Matre caro, & Verbum. Pulcher in utero Virginis, ubi non amiſit Divinitatem, cùm ſuſcepit humanitatem. Quia, cùm hìc eſſet, cùm manibus portaretur, locuti ſunt cæli, gaviſi ſunt Angeli, Magos ſtella duxit, adoratus eſt in præſepio. Pulcher ergo Chriſtus in miraculis, in flagellis, in ſermonibus, in verberibus, pulcher non*

cu-

curans mortem, & mortuos ſuſcitans. Pulcher in ligno, pulcher & in ſepulchro. Quis igitur, fratres chariſſimi, non admiretur, non adoret primum, & noviſſimum, initium, & finem, Alpham, & Omegam? Quis, inquam, non adoret, per quem aſpiravit dies, effugatæ ſunt umbræ? Natus eſt Imperator, ut ablueretur peccator. Sic enim ſcriptum eſt: Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Dominus enim Jeſus Chriſtus per carnem, quam ſuſcepit, tribuit nobis magnam ſpem, magnam conſolationem, magnam gratiam. Hucuſque Sanctiſſimus Doctor Auguſtinus. Didacus Baeza ſuper Euangelia, in Zachæo, cap.8. §.4. ait *Sanctiſſimus ille Simeon nihil in hac mundiali luce amabat, niſi, quòd illa aliquando videndus erat Salvator: quem ubi intuitus eſt, ſic æmulatur cygneos cantus: Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quæ verba notans Divus Hieronymus de vera circumciſ. ait: Forma eſt utique, quòd qui Chriſtum videt, jam ſit ſæculo moriturus. Unus Chriſtus eſt, qui conſpectus, homines mundo mactet; unus Chriſtus eſt, qui poſſit homines à mundialibus negotiis eripere. Apagè carnalia negotia à mente, in qua Chriſti radius effulgeat. Unus Chriſtus non patitur mentes humanas immergi negotiis mundi. Ubi videris homines totos terrenis deditos ſtudiis, dubita, an ſit in illis Chriſtus? Qui vel Chriſti odore imbuitur, hoc habet in primis, ut à ſe excutiat terrenas curas. Felix, qui ſic à terra ſeparatus, quaſi in aere pendet ad Chriſtum; habebit Chriſtum, non amittet Chriſtum. Paul. 1. ad Theſſalonic. cap. 4. ait: Nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera: & ſic ſemper cum Domino erimus. Expende felicitatem illorum, qui obviam erunt Chriſto in aera, qui à terra ad aera, à terrenis ad ſpiritualia procedunt, auſpice Chriſto, ſemper cum Chriſto erunt, ſive vigilantes, ſive ſedentes, ſive ambulantes, ſpirabunt Chriſtum, ſolùm ſapient Chriſtum. Neſcit Chriſtus non ad ſe rapere alumnos ſuos.* Hæc Baeza.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

OMnes generationes Deiparam appellant beatam. Omnes animarum noſtrarum inimici, qui oderunt nos, beatitudinem auferre à nobis intentant. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, & abundantia ſuæ pietatis in Chriſto nobis vult concedere ſalutem ex inimicis noſtris: ut poſſint noſtri oculi videre ſalutare Dei, nempe, ipſum Chriſtum Dominum, quando aſcenderimus in cœlum. Quò acriores fuerint in hoc ſæculo pugnæ, eò ſplendidiùs rutilabunt noſtræ palmæ in gloriæ beatitudine. Clarior erit poſt nubila Phæbus, & Sol juſtitiæ, qui timentibus nomen Dei orietur, & nobis manifeſtabit ſe ipſum, portans in pennis ſanitatem; eo largiùs radiis ſuæ viſionis præmia nobis diſtribuet, quantò nos fortiùs dimicaviſſe conſpexerit: Qui ad hoc beatam ſuam effecit Sanctiſſimam Genitricem, ut efficacem tantæ Dominæ pro nobis lucremur interceſſionem: quique vicit noſtros adverſarios infenſiſſimos (ut nos etiam illos cum ſua gratia, & adjutorio vincamus, ac de inermibus hoſtibus à Deo jam victis magna cum facilitate triumphemus;) vult profectò nos beare, nobiſque bona perennia tribuere, ut cum Simeone ſene canamus lætanter, quando oculi noſtri viderint noſtrum Redemptorem feliciter. O inſignis Mariæ Virginis gloria, quando taliter eſt, ac ab omnibus generationibus prædicatur, beata! Sed ò magnum beneficium à Deo nobis in beatitudine ſuæ Genitricis paratum! O magnitudo ſalutis, quam Deus nobis præparavit, quando hoſtes noſtros devicit, agens ſimul de diabolo, inferno, morte, atque peccato triumphum, ac ſimul præbens generis humani remedium, exaltans ſe ſua virtute, ac redimens filios Adæ! O demùm maxima Simeonis ſenis felicitas, ſiquidem ipſius oculi potuerunt Chriſtum aſpicere! Sed ò etiam magnum noſtræ

ſtræ

ſtræ ſpei fulcimen, ſtabilimentum, & robur! nam, quando hæc audimus de ſancto hoc ſene, poſſumus firmiter tale bonum ſperare, ſi voluerimus eſſe, velut Simeon, juſti, & timorati, ut digni habeamur, qui Chriſtum in gratiæ ſtatu accipientes, illum in ſocietate Sanctorum, Angelorum laudemus, & eum in æternum poſſideamus. Hæc optantes, & petentes à Dei majeſtate, ſequentem orationem humili dicamus corde.

Oratio poſt Communionem.

Adeſto nobis, Domine Deus noſter: & quos tuis myſteriis recreaſti, perpetuis defende ſubſidiis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Duo rogamus Dominum Deum noſtrum hodie, optantes illa nobis ab ipſo non denegari. Petimus, ut nobis aſſiſtat, etiamque, ut nos defendat. Si nobis adeſſe fuerit dignatus, de illius abſdubio etiam defenſione gaudebimus: quia novimus eſſe ſcriptum: *Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum*. Videtur ipſe neſcire, (dum aſſiſtit) non ſuccurrere, & (dum adeſt) non defendere. Ille eſt ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus, cujus ortu, & aſſiſtentia tenebræ fugantur, & mundus ab obſcuritate, & à frigore defenditur. Adſit igitur nobis Dominus Deus noſter, & quos ſuis myſteriis recreavit, perpetuis defendat ſubſidiis. Defenſionem profectò non negabit, qui recreationem nobis ſanctorum Sacramentorum conceſſit. Suis myſteriis nos recreat, quaſi iterùm nos creans, cor mundum (vel, ut alii legunt, cor novum) creans in nobis Deus, & ſpiritum rectum innovans in viſceribus noſtris; reddens nobis lætitiam ſalutaris ſui, & Spiritu principali confirmans nos; benignè quoque faciens in bona voluntate ſua Sion (hoc eſt animæ cujuſque dignè celebrantis, ſive Sacram Communionem recipientis) ut ædificentur muri Jeruſalem (id eſt, ut Deus, qui congregata reſtaurat, & reſtaurata conſervat, cùm ſuam Eccleſiam pane Euchariſtico cibat; faciat, quòd ſui nos Sacramenti libatio ſancta reſtauret, & à vetuſtate purgatos in myſterii ſalutaris faciat tranſire conſortium:) quia qui manducat Chriſtum, & ipſe vivet propter Chriſtum: & qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Sic ædificans Jeruſalem Dominus diſperſiones Iſraelis congregabit: qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: & beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. Suis ergo myſteriis per Sacram Communionem acceptam nos recreare voluit, quia hæc magna myſteria ad noſtrum bonum inſtituit: itaque perpetuis defendet ſubſidiis nos, quos ſuis voluit recreare myſteriis. Sint ſubſidia perpetua, ut defenſio ſit permanens, & ſecura. Ille ad defenſionem noſtram conſpiciat: ſalvet nos ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem noſtram: quia homines, avertente Deo faciem, turbabuntur: auferet ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. In ipſo ſperet cor noſtrum, & adjuti erimus. Quando invadebatur Bethulia, filii Ammon, & Moab acceſſerunt ad Holofernem, dicentes: *Filii Iſrael non in lancea, nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio conſtituti*; ſed meliùs ipſi Holoferni dixerat anteà Achior Dux: *Si non eſt offenſio populi hujus coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium univerſæ terræ*. Ecce quomodò nos Catholici Romani, plebs vera, & populus Dei, ſecuri erimus, ſi adfuerit nobis Dominus Deus noſter, & quos ſuis recreavit Sacramentis, perpetuis defenderit ſubſidiis. Sic de diabolo, mundo, & carne triumphabimus, ac dicere poterimus cum ſancta Vidua Judith: *Aperite portas, quia nobiſcum Deus, qui fecit virtutem magnam in Iſrael.*

CAPUT VIGESIMUM

Pro Dominica Palmarum.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ Palmarum. Qui quidem Textus eſt hic:

Et in contradictione Core perierunt.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Et in rebellione Core perierunt*. Arabicus: *Et in certamine Core perierunt*. La Haye ait: *Alii legunt: Certamine, id eſt, inſtar ſeditioſi, & contradicentis Moyſi Core, qui in ſua ſeditione periit: ita hi hæretici perierunt, & alii pereunt*. Gloſſa Ordinaria: *Qui increpatione Sanctæ Eccleſiæ nolunt emendari, ſed appetitu indebiti primatus ab unitate Eccleſiæ ſe dividunt, & ſcientes, quantum mali gerant, ad ſcelerum tamen tartara deſcendunt*. Nicolaus de Lyra: *Et in contradictione. Id eſt, & væ illis, qui in contradictione Core, id eſt, propter ſeditionem in Eccleſia motam, ad ſimilitudinem Core, perierunt, id eſt, perire meruerunt*. Eſtius: *Et in contradictione Core, &c. Græcè ſine propoſitione: Et contradictione Core perierunt. Eſtque ſenſus: Ob imitationem contradictionis, id eſt, murmurationis, ac ſeditionis adverſus Moyſen, & Aaron excitatæ à Core, volente Sacerdotium ad ſe, ſuoſque transferre; deſtinati ſunt ad perditionem, eamque ſimilem illius, ac ſociorum exitio. Ut enim illos ducentos, & quinquaginta, quorum princeps erat Core, conſumpſit ignis egreſſus à Domino, ſic & iſtos murmurantes, & querulos, ut infrà nominantur, & ambitionis ſtudio factioſos, atque, ut infrà rurſus dicitur, ſegregantes ſemetipſos, involvet ignis æternus. Multi putant, Core periiſſe hiatu terræ, quomodò perierunt Dathan, & Abiron cum ſociis ſuis, ac familiis. Verùm Scriptura Numeror. 16. ubi rei geſta deſcribitur, & Deut. 1. necnon Pſalm. 105. magis ſignificat, ſolos Dathan, & Abiron unà cum ſuis hiatu terræ fuiſſe abſorptos: Core verò unà cum ſuis Levitis, Sacerdotium uſurpantem, atque incenſum offerentem, incendio periiſſe. Quod & ſentit Janſen. ſuper Eccleſiaſtic. cap. 45. Porrò tribus exemplis jam adductis tria notare voluit Apoſtolus hæreticorum vitia, odium fratrum, avaritiam, ambitionem*. Menochius: *Et in contradictione Core, &c. Id eſt, inſtar contradictionis, ſcilicèt, inſtar ſeditioſi Core, qui in ſua contradictione periit, perierunt, & pereunt hæretici. Sicut ob contradictionem terræ hiatu abſorptus eſt, ita & hæreticos abſorbebit infernus*. Tirinus: *Et contradictione, &c. ſic eſt in Græco, id eſt, rebellione, factione, & ſchiſmate, ut imitantur impium Core Pontificatum Aaronicum ambientem, ita pari cum illo pœna, vivi ad inferos deſcendent. Nominat Sanctus Judas præ ceteris impiis Cainum, Balaam, & Core, quia hi tres fuerunt præ aliis hoſtes veritatis, & Eccleſiæ, quam peſſumdare, & perdere voluerunt, veri prodromi, & typi hæreticorum*. Cornelius ſic explicat: *Et in contradictione Core perierunt: quia hæretici, licèt nondùm extarent tempore Core, tamen in eo, & cum eo perierunt, typicè, & figuratè: perditio enim Core, qua ipſe vivus abſorptus eſt à terra, deſcenditque in infernum, typus erat, & figura, quòd ſimili modo perderentur hæretici ejus aſſeclæ, ac deſcenderent in tartara. Secundò, & planius: In contradictione, id eſt, inſtar contradictionis, quaſi diceret: Inſtar ſeditioſi Core, qui in ſua contradictione, & ſeditione periit, perierunt, & pereunt hæretici. Tertiò,*

Digitized by Google

tiò, perierunt, myſticè, quia ſuas, ſuorumque, quos ſeducunt, animas, per hæreſim perdunt, & occidunt, ac reas gehennæ efficiunt. Porrò rectè Sanctus Judas comparat hæreticos cum Core. Primò, quia, ſicut Core ſuperbiens rebellavit Moyſi, prætexens calvas, & futiles cauſas: unde & Core Hæbraicè ſignificat calvum; ſic ipſi rebellant Pontifici, & Eccleſiæ. Secundo, ſicut Core ambivit Sacerdotium, ſic illi ambiunt Epiſcopatus, & opima beneficia. Tertiò, ſicut Core fecit ſchiſma, ſic & ipſi. Quartò, Core leviter correptus à Moſè arroganter reſpondit, & monentem ſprevit; ita & ipſi obſtrepunt monitionibus Paſtorum, & Epiſcoporum. Quintò, ſicut Core vivus ad inferna deſcendit, ſic & ipſi. Ita Beda, OEcumenius, & alii. Moraliter nota, quàm ſeverè puniat Deus murmur, & rebellionem in Superiores, Deique miniſtros: ob eam enim Core, Dathan, & Abiron vivi abſórpti ſunt à terra, & gehenna; &, ut ait Sanctus Ambroſius lib. 3. Epiſt. 25. ad Eccleſ. Vercellen. immugiens terra in medio plebis ſcinditur, aperitur in profundum ſinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem hauſtu, nec cœlum viſu, nec mare tactu, nec terram contaminarent ſepulchro. Symbolicè Cain, Balaam, & Core repræſentant triplicem concupiſcentiam, à qua omne malum, ſcilicèt, Cain avarus concupiſcentiam oculorum, Balaam guloſus, & luxurioſus concupiſcentiam carnis, Core ambitioſus ſuperbiam vitæ: De quibus Sanctus Joannes Epiſt. 1. cap. 2. 16. Omne, ait, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Cain ergo repreſentat avaros, Balaam guloſos, & luxurioſos, Core ſuperbos. Hiſce tribus Sanctus Judas, væ, id eſt, æternam maledictionem, & gehennam intentat. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

QUi viderit contradictionem in civitate, elonget fugiens, & maneat in ſolitudine. Vidit David contradictionem, qui vidit iniquitatem: ideò audimus eum dicere: *Quia vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.* Prius iniquitas deſcribitur, & poſteà etiam contradictio notatur. Non auderent profectò homines Deo contradicere, niſi eſſent iniquitate repleti. Iniquitates noſtræ diviſerunt inter nos, & Deum noſtrum: ideò noſtræ iniquitati (qua Dei perdentes viſionem, eum offendimus) copulatur contradictio (qua ei rebellantes reſiſtimus.) Factum eſt judicium, & contradictio potentior: quia malè judicantes, utpote mendaces filii hominum in ſtateris, bilancem propria noſtra voluntate onuſtam, ita in pretio habuimus, ut iniquo judicio plùs valuerit, & potentior fuerit in nobis contradictio (Dei placito, & nutui rebellis) quàm pondus, & ſtatera magni, quem Deus erga nos habet, amoris, & impletio illius ſanctiſſimæ voluntatis. Sed væ illis, qui in cotradictione Corè perierunt: & væ etiam erit nobis, ſi poſtquàm graviter peccantes Domino inſipienter contradiximus, uſque ad mortem in hac peſſima contradictione voluerimus permanere. Mutemus ſententiam, emendemus vitam: faciamus fructus dignos pœnitentiæ, & non contradicamus ſermonibus Sancti (Dei, ſcilicet, atque Redemptoris noſtri:) nam niſi pœnitentiam egerimus, omnes ſimul peribimus. Poſitus eſt quidem Chriſtus in ſignum, cui contradicetur, ſed ideo etiam poſitus eſt in ruinam plurimorum: & qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum: ac brachia peccatorum conterentur: confirmat autem juſtos Dominus. Nolimus æmulari, ut malignemur. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram. Et adhuc puſillum, & non erit peccator; & quæres locum ejus, & non invenies. Tota die expandit Chriſtus manus ſuas ad populum non credentem, & contradicentem. Malum profectò eſt non credere, & contradicere; ſed pejus, quòd Deo credentes, ei contradicamus. Qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua, tamquam rebelles lumini, etiam credentes Deum exiſtere, & credentes etiam Deo verba Fidei revelanti; tamen contra ipſum Deũ

ſub vexillo diaboli in ſuis peccatis militant, & confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Ergo audi Iſrael mandata vitæ; auribus percipe, ut ſcias prudentiam. Quid eſt Iſrael, quod in terra inimicorum es? inveteraſti in terra aliena: coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum deſcendentibus in infernum. Quis reſtitit Deo, & pacem habuit? Qui credit Deo, attendit mandatis, & qui confidit in illo, non minorabitur. Væ qui contradicit fictori ſuo. Deus creavit nos: non ei contradicamus. Manus Dei fecerunt nos, & plaſmaverunt nos. Vitam, & miſericordiam tribuit nobis, & viſitatio ejus cuſtodivit ſpiritus noſtros: nè ergo contra eum rebellemus malis moribus; ſed potiùs grati Domino ſimus, illi obſequentes virtutibus. Sic facientes, in contradictione Corè non peribimus, ſed reportabimus finem fidei noſtræ ſalutem animarum. Hoc nobis Eccleſia deſiderat in contextu duarum Orationum ſequentium.

Oratio Officii Dominicæ Palmarum, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem noſtrum carnem ſumere, & Crucem ſubire feciſti: concede propitius, ut & patientiæ ipſius habere documenta, & Reſurrectionis conſortia mereamur. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Officia præcipua Chriſti Domini fuerunt Officia Salvatoris, & Magiſtri. Miſſus ab Æterno Patre, ut nos ſalvaret, fuit miſſus quoque, ut mundum doceret. Noſtra interfuit, quòd nos redemit, noſtra quoque interfuit, quòd nos valdè accuratè erudivit. Cœpit Jeſus facere, & docere uſque in diem, qua aſſumptus eſt. Cœpit, & non deſtitit uſquequò perfecit opus noſtræ redemptionis: cœpit, nec ceſſavit quòuſque mundum proficuis imbuit doctrinis. Æquum eſt, ut nos in magno pretio habere velimus, & magni omninò pendamus ea omnia, quæ docuit, cunctaque illa, quæ fecit. Ut nos eriperet à culpis, & à pœnis, illud, quod fecit nos redimens, profuit: id, quod docuit, nobis etiam profecit, ſiquidem (ſi voluerimus) à mala nos ignorantia feliciter liberabit. Ergo totus nobis fuit Salvator proficuus, ſive faciens, ſive docens; dum nos redimens, nos docuit; ac, dum nos docens, redemit. Humano quidem generi fecit Pater Æternus maximum bonum, quando miſit Verbum ſuum, & ſanavit nos; hoc eſt, quando ad ſalutem noſtram de cœlis mittere ad nos voluit ſuum ſacratiſſimum Filium, ut haberemus in eo, carne induto, Salvatorem nos à peccato redimentem, & Magiſtrum nos quoque à peſſima ignorantia liberantem. Fecit Pater ſuum Verbum carnem ſumere, & Crucem ſubire, quia voluit humano generi exemplum imitandum humilitatis præbere. Exemplum fuit profectò Chriſti (ad noſtram imitationem illius humilitatis propoſitum) carnis aſſumptio, qua ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Exemplum quoque Salvatoris noſtri nobis imitandum fuit Crucis paſſio, qua (factus pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis) voluit reputari vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Diſcamus igitur ab eo, quia mitis eſt, & humilis corde, & inveniemus requiem animabus noſtris; ſiquidem ille homo factus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus; qui tranſiens ex hoc mundo ad Patrem, vadit parare nobis locum, ut ubi eſt ille, & nos ſimus. Sed ad hoc bonum lucrandum neceſſe eſt, ut ſi quis vult poſt eum venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur illum. Faxit Æternus Pater, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem noſtrum carnem ſumere, & Crucem ſubire fecit; ut & patientiæ ipſius habere documenta, & Reſurrectionis conſortia mereamur per eumdem Dominum noſtrum

Digitized by Google

ſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum. Habeamus documenta, & non utcumque habeamus, ſed ea ita habeamus, ut ejus patientiam toto cum corde ſectemur. Priùs eſt nos ita habere patientiæ Chriſti documenta, quàm habere ipſius Reſurrectionis conſortia. Si compatimur, & conglorificabimur, & ſi ſocii Paſſionis fuerimus, & Reſurrectionis erimus (ut explicans Sanctum Paulum, ait Divus Ambroſius.) Qui habet mandata Chriſti, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit illum. Similiter qui habuerit patientiæ ipſius documenta, & ea ſervaverit, conſors illius Reſurrectionis erit: nam Chriſtus, qui paſſus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, vult, ut attendentes patientiæ ipſius documentis, peccatis mortui juſtitiæ vivamus; ac quomodò ille reſurrexit, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, & conſurgentes cum Chriſto, quæ ſurſùm ſunt quæramus.

ORATIO SECRETA.

Concede, quæſumus Domine, ut oculis tuæ majeſtatis munus oblatum & gratiam nobis piæ devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Munus jam hodie oculis Divinæ Maieſtatis eſt oblatùm, quod quidem cernua veneratione coram Domino Deo noſtro poſuimus; ſed qui ſolvimus tributum, etiam petimus auxilium. Proprium eſt Maieſtatis, oblata tributa accipere, proprium eſt quoque Maieſtatis ejuſdem ſuis ſubditis ſuccurſus, & auxilia impertire, atque illis benefacere. Quòd Maieſtas munera illi tributa acceptat, ejus excellentiam indicat; & quòd ſervis beneficia diſtribuit, illius benignitatem commendat: itaque Maieſtas eadem hinc muneribus ad ſuam gloriam elevatur, & illinc pro acceptis tributis ea ſolventibus benefaciens, erga ſervos in benignitate exercetur: atque utrobique Maieſtatis ipſius altitudo, & magnitudo cognoſcitur. Tamen, cùm beatius ſit magìs dare, quàm accipere, plùs relucere videtur Rex magnus ſubditis auxilia, ſive ſuccurſus elargiens, quàm eorumdem ſubditorum obſequia, munera, ſive tributa accipiens. Simplex munus, licèt ſit pretioſiſſimum, Deo hodie in Altari obtulimus: ac per munus ipſum ſimplex, obtineri à nobis duplex beneficium, depoſcimus. Alterum, quod petimus, eſt, gratia piæ devotionis frui, & alterum, quod flagitamus, eſt effectu perennitatis beatæ gaudere. Si gratiam nanciſcimur, & eam non perdimus, etiam effectum beatæ perennitatis lucrabimur; nam, cùm gratia ſit gloriæ pignus, quando præceſſerit, ex parte Dei, pignoris elargitio, non deerit, ex parte Dei ipſius, gloriæ æternæ retributio. Ergo inclinemus cor noſtrum ad faciendas juſtificationes Domini in æternum, propter retributionem; ut per obtentam à Deo gratiam, ab ipſo accipiamus gloriam. Gratiam piæ devotionis poſtulamus, ut Eccleſia & devota permaneat, & ſecura conſiſtat, & ut devotionem populi ſui Deus benignus intendat. Devoti eſſe curemus, qui beati eſſe cupimus: ut præcedentem piam devotionem aſſociet poſteà beatæ perennitatis effectus per gloriæ felicitatem. O nimis nos felices! Quia tales eſſe expectamus, ſi munus oblatum oculis Divinæ Maieſtatis, & gratiam nobis piæ devotionis obtinuerit, aut comparaverit, & effectum beatæ perennitatis acquiſierit.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Maldonatus ait: *Cùm autem dicit: omnes generationes, etſi generaliter, & ſine ulla exceptione loquitur, tamen*

non omnes ſine exception- homines intelligit, ſed eos tantùm, qui in Chriſtum filium ſuum credituri erant, ut Euthymius admonuit. Nam Judæi quidem, Gentiles, & hæretici, maximèque Calviniani, non laudibus eam, ſed convitiis frequenter afficiunt. Inſidiatur enim ſemper calcaneo ejus antiquus ille ſerpens, qui erat callidior cunctis animantibus terræ. Geneſ. 3. num. 1. & 15. Cæpit Eliſabetha prima omnium Mariam Beatam dicere ſuprà verſ. 45. ſecuta deinde eſt mulier illa, quæ de media turba clamavit: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Lucæ cap. 11. *num.* 27. Didacus Baeza dicit: *Quàm pulchra argumentatrix eſt Virgo Maria! Ex eo, quod à Divinis oculis reſpecta ſit, infert: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quaſi æternam in bonis ſuis firmitudinem augurans. Equidem novit ſol lutum durare, & ſolidare; ſic verus juſtitiæ ſol ubi reſpicit clemens, luteis hominum cordibus petrarum indit firmitudinem. Hanc in ſe ab oculis Divinis firmitatem dilapſam noverat Dei amatrix Cantic. 8. ubi ait: Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo (Septuaginta: In oculis ejus) quaſi pacem reperiens. Quaſi totam murorum firmitatem Divinis oculis acceptam referat. Ergo oculi noſtri ſemper ad Dominum, ut ipſe ſuos miſericordes ad nos inclinans, æternum duraturas gratias animis noſtris indat.* Hæc Baeza. Sylveira ſic explicat: *Ecce enim ex hoc, &c. id eſt, ex hoc tempore, quo Deus me reſpexit. Tacitè hic reſpondet Eliſabeth, quæ ipſam beatam prædicaverat, quia credidit; at Beatiſſima Virgo, ut verè humilis, totam ſuam refert beatitudinem, non in ſuam fidem, nec in aliquem ſuum actum, ſed in Deum, qui ipſam reſpexit. Omnes generationes, id eſt, tam homines, quàm Angeli, ut explicat Hugo. Sub nomine generationis etiam Angeli comprehenduntur, juxta illud: Iſtæ ſunt generationes cæli, ut ait Divus Auguſtinus de Geneſi ad litteram. Secundò. Generationes, id eſt, omnes ætates. Ita Vatablus. Per omnium tempora Beatiſſima Virgo eſt glorificata. Tertiò. Omnes generationes credentium, ſive hominum, ſive mulierum. Quartò. Omnes generationes tam fidelium, quàm infidelium; omnes enim Beatiſſimam Virginem ſummis laudibus extollunt. Pro quo aliquot teſtimonia adducunt Lyranus, & doctiſſimus Joannes Carthagena lib. 6. Homil. 17. Beatiſſimam Virginem his verbis vaticinatam eſſe, & prophetaſſe, communis eſt ſententia Patrum, Divi Baſilii, Divi Hieronymi, Divi Cyrilli, in cap. 8. Iſaiæ, ad illa verba: Acceſſi ad Prophetiſſam, &c. Divi Auguſtini lib. 17. de Civitate Dei, cap. ult. Divi Ambroſii, Lyrani, Gloſſæ, in cap. 1. Lucæ, & aliorum communiter.* Hucuſque Sylveira. Toletus inquit: *Ecce enim ex hoc, &c. Particula (enim) cauſam indicat, & hanc ſententiam cum præcedentibus connectit. Diceret enim aliquis: Cur magnificas Deum, & exultas in eo, quia reſpexit te? Cauſam explicans, inquit: Quia ex hoc, ſcilicèt tempore, quo me reſpexit Deus, beatam me dicent omnes generationes: magna ergo mihi cauſa magnificandi Deum, & exultandi in eo eſt, quòd me reſpexerit, quia effectum eſt, ut tantis me cumulaverit beneficiis, & tam ſingularibus donis me ſit proſecutus, ut, cùm humilis, & abjecta ancilla fuerim, omnibus ſim anteponenda generationibus; prædicabunt enim me omnes beatam, & felicem, quia non ſolùm me beatam, & felicem efficit Deus, ſed omnium beatiſſimam; agnoſcent enim omnes me majoribus affectam bonis, ac muneribus Divinis, ideò omnes beatam me dicent, ac confitebuntur.*

Pro: *Benedictus*.

BArradas dicit: *Salutem ex inimicis noſtris, &c. Erexit ſalutem, dixit Zacharias, ſive excitavit ſalutem, quia ſalus erat altiſſima, non terrena, qualis eſt, quam populo Reges afferunt, cùm hoſtes vincunt; ſed cæleſtis, & ſpiritualis, nunc animorum, poſteà etiam corporum. Prætereà ſalutem pro Salvatore uſurpavit, quaſi diceret: Erexit, & excitavit Salvatorem, quia ipſe eſt mundi ſalus, quique nos ex omnium hoſtium poteſtate liberavit. Hoc dicendi modo utitur Scriptura, Judic. 3. Suſcitavit eis Salvatorem. Poteſt etiam ſubintelligi verbum: Miſit, vel: Præſtitit, hoc ſenſu: Miſit ſalutem promiſſam, &c.* Toletus ait: *Salutem ex inimicis noſtris, &c. Euthymius, Theophy-*

Digitized by Google

phylactus, & Beda interpretantur hanc ſententiam per appoſitionem quamdam dictam, connectentes cum illa: Erexit cornu ſalutis, nempe, ſalutem ex inimicis noſtris; quorum interpretationi nos in Commentario adhæſimus. Quidam verò Recentiores connectunt cum verbo locutus eſt, ut ſit ſenſus: Erexit cornu ſalutis, ſicut locutus eſt, & promiſit per Prophetas, ſalutem ab inimicis, & de manu odientium. Immò & multa, quæ ſequuntur, cum eodem verbo connectunt. Quorum expoſitio, licèt probabilitate non careat; multò tamen accommodatior viſa eſt illa, quam antiqui ſequuntur, eamque in Commentario, & probavimus, & explicavimus. Cui locutioni, præter id, quod in Commentario protulimus, ſimile illud etiam eſt 1. ad Corinth.1. Chriſtum predicamus Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Illud autem (De manu eorum, qui oderunt nos) quidam repetitionem quamdam Hebræis uſitatam exiſtimant, ut idem ſit ex inimicis, & de manu eorum, qui oderunt. At, quia hæc duo, non ut idem ſignificantia, in Euangelio legimus, Matth. 5. Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & reverà idem non ſint: inimicorum enim nomine non ſemper comprehenduntur qui oderunt: nam & caro, & mundus inimici noſtri ſunt; non tamen dicuntur odio nos habere: & inter homines ipſos, non ſemper qui odio habent, inimici ſunt; nam inimicus eſt, qui ſigno exteriori conceptum contra nos odium oſtendit. Et ſunt, qui odio habent; ſigna tamen amicorum, & opera ſæpè præbent: idcircò in hoc loco diſtincta reputamus, ut in Commentario explicuimus. Utroque tamen nomine omne genus inimici comprehenditur; ſunt enim inimici viſibiles, occulti, & manifeſti, homines, & dæmones, creaturæ rationales, & irrationales, & omne vitium inimicum nobis eſt: à quibus omnibus per gratiam Salvatoris liberati ſumus, in hoc quidem ſæculo, nè nobis nolentibus noceant; in futuro verò, quando inimica occidetur mors, nè etiam nocere attentent. In Scriptura autem Sacra ſæpè hæc duo conjunguntur. Pſalm.17. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab iis, qui oderunt me. Et ibidem: Inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti, & Pſalm. 20. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes qui te oderunt, id eſt, contra inimicos occultos, & manifeſtos: qui oderunt, occulti: qui manifeſti, inimici dicuntur. Sunt multa alia hujuſmodi loca. Hæc Toletus. Sylveira inquit (poſtquàm retulit, Sanctum Bonaventuram, & Dionyſium Carthuſianum pes inimicos intelligese hoſtes ſpirituales, carnem, mundum, & dœmones: & per eos, qui nos odio habent, homines peſſimos, & iniquos:) Ex quo pondera, quòd, dum Zacharias agit de adverſariis ſpiritualibus, ac dæmonibus, appellat eos inimicos tantum: Ex inimicis noſtris; at verò, dum eſt ſermo de hominibus iniquis, non ſolùm illos exprimit per eos, qui nos odio habent, ſed etiam eis adjungit poteſtatem: De manu omnium; manus namque poteſtatem ſignificat: plùs enim ſtudent homines iniqui. quàm dæmones, ad nos perdendos. Ait Regius Vates Pſalm. 139. num.1. Eripe me, Domine, ab homine malo. Cur poſtulat eripi ab homine malo, non verò à dæmone? Majores inſidiæ, & earum occaſiones nobis aptantur per homines iniquos, quàm per dæmones. Ita explicat Divus Hilarius in prædicto Pſalmo. Hucuſque Silveira.

Pro: Nunc dimittis.

VIncentius Regius ait: Salutare tuum, id eſt, Chriſtum Filium tuum, Salvatorem meum. Porrò redditur hìc cauſa, cur nunc ſibi moriendnm ſit, & quidem in pace: quia, inquit, jam vidi oculis meis id, propter quod in vita detinebar, & quia conſolationem Iſrael, quam expectabam, his ipſe oculis proſpexi inter brachia, complexumque meum hærentem. Didacus Baeza lib.9. cap.2. in Paralytico Piſcinæ, §. 14. dicit: Bonus ille ſenex (Simeon) ubi Iſraelis conſolationem, & manibus, & corde accepit, ſtatim cecinit Lucæ 2. Nunc dimittis ſervum tuum in pace. Expende illud ſervum tuum, quaſi jam ſe alienum reputat, quaſi nihil in ſe ſuum inde videt. Et cur ſe putat alienum, & non ſuum? Sanè ſinita videt ſuſpiria, quibus qaotidie ad Deum clamabat; finitas videt dolentes illos

Digitized by Google

illas voces, & ſe totum lætitiæ immerſum, indeque non ampliùs ſuus, ſed totus æſtimatur Dei eſſe. Id, quod innuit Divus Methodius explanans dicta verba his verbis: Hinc bonus ille ſenex totus in lætitia non ampliùs ſuus, ſed totus ejus, qui ab ipſo ſperabatur. Vide illud: Non ampliùs ſuus, ubi enim res in lætitia erant, ubi pro gemitibus gaudia ſucceſſerant, non ampliùs ſuus, quaſi ex ærumnis, & laboribus haberet quidquid ſuum habebat. Hæc Baeza.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

QUando Beata Dei Genitrix Sacratiſſima Virgo Maria (meliùs quam anteà filio ſuo Jacob ajebat Rebecca Deiparæ imago, & figura) nobis, & cuicumque noſtrum dicit: *Nunc ergo fili mi, acquieſce conſiliis meis*; beatus homo, qui audierit tantam Dominam, cujus eſt conſilium, & æquitas, cujus eſt prudentia, & fortitudo. Eſt Domina, quæ diligentes ſe diligit: & qui manè vigilant ad illam, invenient eam. Ergo curemus taliter omnes beati eſſe, Dei Genitricis verba, atque conſilia audientes, quam beatam dicunt omnes generationes. Eamus filii, & devoti ejus, & audiamus ipſam: timorem Domini docebit nos, ut lucremur ſalutem ex inimicis noſtris nobis à Deo paratam, & ut cum felici ſene Simeone oculi noſtri videant ſalutare Dei. *Primus diſcendi ardor nobilitas eſt Magiſtri*, ajebat Sanctus Ambroſius. *Quid nobilius Dei Matre?* Ergo nobiliſſima Magiſtra, nobiliſſima nos ſemper docebit opera. Sit igitur in nobis primus, & præcipuus ardor diſcendi, quando nobilior modus benè operandi proponitur nobis diſcendus à nobiliſſima, & Beatiſſima Virgine. Non ſolùm licitè, ſed nobiliter quoque operabimur, ſi inclinaverimus corda noſtra ad faciendas juſtificationes Dei in æternum propter retributionem; ac etiam, ſi ſic curremus, ut comprehendamus æternæ gloriæ bravium; ſed nobiliùs quidem opera noſtra à nobis, Deo adjuvante, procedent, & fauſtiùs opera noſtra ſequentur nos ad Empyreum, ſi in operibus noſtris bonis (purè, & tantùm operantes propter Deum, & ejus amorem Divinum) Domini noſtri intenderimus tantummodò beneplacitum, & ſic exhibuerimus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum. Hoc nos docet Magiſtra noſtra nobiliſſima Virgo Deipara, cujus juge fuit exercitium benè, meliùs, & optimè operari ex Theologica charitate propter Deum. Iſtud fuit ejuſdem Magiſtræ nobiliſſimæ exemplum, iſtud etiam fuit, & eſt illius erga nos votum; quia vult, & optat, quòd æmulemur chariſmata meliora, & quòd potiùs in noſtra bona operatione attendamus, ut placeamus coram Deo in lumine viventium, quàm, ut benè operantes intendamus vitare à Deo infligenda propter peccata ſupplicia, vel ab ipſo percipere æterna bona, quæ ſunt rectè operanti promiſſa. Beatam igitur debent dicere omnes generationes Virginem Dei Genitricem adeò nobiliter verbo, & opere docentem. Verè talem Magiſtram voluit nobis Deus præbere ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti; & ut nos tantæ Magiſtræ capientes & doctrinam, & exemplum, perveniamus ad talem perennem felicitatem, ut videant oculi noſtri ſalutare noſtrum, noſtrum, nempe, Redemptorem, & Dominum Jeſum Chriſtum, quem in Altari ſancto tractamus, & recipimus abſconditum, utpote ſub ſpeciebus panis, & vini velatum. Hæc bona agnoſcentes, & ſperantes à miſericordia Divina, dicamus ſequentem Orationem deſignatam ab Eccleſia.

Oratio poſt Communionem.

P*Er hujus, Domine, operationem Myſterii, & vitia noſtra purgentur, & juſta deſideria compleantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EX-

EXPLICATIO.

Quò major eſt vis infirmitatis, eò pluſ noſcitur efficacia, & virtus medicinæ vim ægritudinis relegantis, & ægroto ſalutem reſtituentis. Ex eo, quòd magnam infirmitatem medicina proſternit, calcat, & ſuperat, altior iſta evadit, nobilior oſtenditur, feliciter triumphat, & lucens maximè, ſuam virtutem oſtentat. O peſſima noſtrorum vitiorum ægritudo, quæ potens eſt in vita nos debilitare, ac peſtilenti febre conſumptos, poſt mortem in inferno ſepelire! Sed ò Myſterii Divini robur, & fortitudo ad auxilia nobis comparanda, quibus infirmitates vitiorum noſtrorum vincantur, & vitia etiam noſtra feliciſſimè purgentur! O' potentia Sancti Sacrificii præclara, quæ noſtra juſta valet facere deſideria compleri! Quærimus ergo hodie per Altaris Myſterii operationem à vitiis purgari, & juſta noſtra deſideria compleri. Purgari à vitiis petimus, nè ampliùs in eis ſordeamus; ne fœtor illorum nos contaminet; nè fœditas vituperet; nè ignobilitas ipſorum infamet; nè tyrannis depopulet; nè perverſitas condemnet. Poſtulamus, noſtra compleri juſta deſideria quoque per ejuſdem Sacri operationem Myſterii. Illis completis, & ſalute nos æterna potientes, ſemper alacres erimus, jucundè degemus, & Dominum Deum noſtrum nos per hujus operationem Myſterii à vitiis noſtris purgantem, & noſtra juſta deſideria complentem miſericorditer, laudabimus, ac benedicemus perenniter. Ad tanta explodenda vitiorum noſtrorum mala, & ad tot bona in impletione, ſeu completione juſtorum deſideriorum noſtrorum à Deo (qui propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui replet in bonis deſiderium noſtrum, quatenùs renovetur ut aquilæ juventus animæ cujuſque noſtrûm) capeſſenda, avidiùs quotidie optemus cœleſti cibo in Altari Sacro paſci, ut noſtra vitia purgentur, & juſta deſideria compleantur per talis operationem Myſterii. Non deſinet quidem noſtris votis Maieſtas Divina annuere, ſiquidem dedit nobis idem Deus ſpiritum iſta bona flagitandi. Qui ad hæc poſtulanda dedit ſpiritum (quia ille in diebus Legis Gratiæ effudit ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, nempe, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ſpiritum gratiæ, & precum) dabit per petitorum conceſſionem pium benignus auxilium, ut nullius ſit vacua poſtulatio, nullius irritum votum.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM

Pro Dominica Reſurrectionis.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ Reſurrectionis, ſive Paſchatis. Qui quidem Textus eſt hic:

Hi ſunt in epulis ſuis maculæ.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Verſio Syriaca legit: *Hi ſunt, qui in otiis ſuis fœdati laſciviunt.* Arias: *Hi ſunt, qui in agapis.* Arabicus textus: *Hi ſunt, qui amicas ſuas impudicas accumbere faciunt in conviviis.* Sanctus Auguſtinus: *Coepulantes in dilectionibus veſtris.* Textus Æthiopicus: *Hi ſunt, qui in charitate dilexerunt vos, proſequentes peccata ſua, & incedunt ſecundùm cupiditates ſuas.* OEcumenius: *Hi ſunt inter charitates veſtras, velut ſaxa maris.* La Haye ex Græco: *In conviviis veſtris.*

Pro-

Proſequitur idem Author, & ait: *Videtur autem Interpres legiſſe in ſuis, ſcilicèt epulis. Sed utrumque verè dicitur, nam & ipſi impura convivia inſtituebant, & Fidelium menſas ad pietatem, & modeſtiam compoſitas ſuis ſòrdibus inquinabant, vel inquinare certè nitebantur. OEcumenius vertit: Saxa; & ita eſt: Saxa videlicet concava, & cavernoſæ rupes, quæ ſub aquis marinis deliteſcunt, & incautè navigantibus naufragium inferunt. Unde OEcumenius addit: Sic iſtis coepulantibus inſperatam perniciem inferunt.* Gloſſa Interlinealis dicit: *Hi ſunt ideò etiam cavendi, in epulis ſuis (ubi deberent honeſtati, & utilitati ſuæ, vel comedentium providere) maculæ.* Gloſſa Ordinaria: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ. Non ſolùm in comeſſationibus, & ebrietatibus carnalibus pereunt, & maculantur, ſed etiam ſunt maculæ aliorum, & alios ſecum perdunt, Domini gratiam in luxuriam transferentes.* Nicolaus de Lyra: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ. Poſtquàm declaravit malitiam hæreticorum per Scripturas figurales* (Sanctus Apoſtolus Judas) *hìc conſequenter idem facit per ſimilitudines naturales. Et dividitur in tres partes: quia primò facit propoſitum, ſecundò inducit ad hoc Propheticum dictum: Prophetavit autem: tertiò Apoſtoli dictum, ibi: Vos autem. Circa primum dicit: Hi ſunt in epulis ſuis maculæ. Et notantur hìc de exceſſu notabili in cibo, & potu, quia non ſolùm dicuntur maculati in concreto, ſed etiam maculæ in abſtracto.* Eſtius ait: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ. Pergit Sanctus Judas deſcribere mores corruptiſſimos illorum, qui Dei gratiam transferebant in luxuriam. In epulis ſuis, Græcè: In charitatibus veſtris, ſive, ut legit Auguſtinus lib. de Fide, & Operibus cap. 25. In dilectionibus veſtris: quamquam & verti poteſt: In agapis veſtris, Græca voce retenta: de qua diximus ad illum locum Petri huic ſimilem: Deliciis affluentes in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum: nempe, ſignificari per agapes ea Chriſtianorum convivia, ad quæ pauperes à divitibus advocabantur, charitatis, ac fraternitatis teſtandæ cauſa: quorum meminit interdum Tertullianus. Alludit & Cyprianus ad Quirinum lib. 3. teſtim. 3. dicens: Agapen, & dilectionem fraternam religiosè, & firmiter exercendam. Patet autem ex hoc loco antiquitas hujuſmodi conviviorum, & ipſius vocabuli in ea ſignificatione. Dicit ergo, ſeductores illos agapis Fidelium ſeſe miſcentes, eſſe eorum maculas, quoniam convivia ad fovendam charitatem inſtituta, commacularent ſua ſpurcitie, dum in iis non verebantur turpia quædem dicere, & agere.* Menochius ait: *In epulis ſuis maculæ, Græcè: In agapis ſuis maculæ.* Tirinus: *Hi ſunt in epulis ſuis, Græcè, id eſt, in charitatibus (ſic vocabant ſacra Chriſtianorum poſt ſumptam Euchariſtiam convivia, de quibus Conſule Tertullianum.) Maculæ commaculantes, ut vertit Syrus, corpus crapula, mentem libidine, convivas turpibus verbis, aſpectibus, doctrinis.* Hugo Cardinalis dicit: *Hi ſunt. Oſtenſò, quales ſunt iſti reſpectu aliorum tam majorum, quàm minorum; nunc oſtendit, quales ſunt in ſe ipſis. Sunt enim guloſi, ut dicit: Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, id eſt, gulæ, unde macula provenit, ultra modum ſtudentes, comedendo.* Cornelius à Lapide: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ. Græcè: In charitatibus, in dilectionibus maculati veſtris, ut legit Sanctus Auguſtinus de Fide, & Operibus, cap. 25. hoc eſt, in conviviis. Primitùs enim Chriſtiani in ſymbolum charitatis poſt Euchariſtiam celebrabant convivia, communia tam pauperibus, quàm divitibus, ſed frugalia, & pia, ideòque ea vocabant Agapes, id eſt, charitates, uti oſtendi 1. ad Corinth. 11. 20. Jam ſenſus eſt, quem dat Syrus: Iſti ſunt, qui in deliciis ſuis commaculant, tum corpus crapula, tum mentem ebrietate, gula, libidine; tum convivas prava doctrina, & hæreſi; æquè, ac detractione, maledicentia, atque impudicis verbis, & aſpectibus. Arabicus vertit: Iſti ſunt provocantes ſuper vos reatus, quia, ſcilicet, vos hæreſi, gula, & libidine commaculant, ideòque iræ, & vindictæ Divinæ reos, & obnoxios faciunt. Eleganter Thomas Anglicus: Dicuntur, ait, maculæ, quoad impudicitiam; convivantes, quoad crapulam; ſine timore, quoad ineptam lætitiam; paſcentes ſemetipſos, non pauperes, quoad menſam.* Hucuſque Cornelius.

Re-

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Inimici Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt, ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua; concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem; more pecudum eunt non quò eundum, ſed quò itur; pariunt maculoſa, & varia, non jam, ut merces ſint veri Jacob Chriſti Jeſu, ſed ut tradantur diabolo iſti peccatores, tamquam carnifici in pœnam; quia in comeſſationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis degentes, ipſa crapula ducit ad tartara, & dum iſtum lacum aperiunt, & effodiunt eum, incidunt in foveam, quam faciunt, quando inordinatè in epulis ſuis edunt, atque in ſuis conviviis uſque ad fœdiſſimam ingurgitationem bibunt. Viam civitatis habitaculi non invenient qui ambulant non in ſalvationem, ſed in perditionem, homines quidem non ſolùm nomine Chriſtiano, ſed etiam nomine hominum, ſeu creaturarum rationalium indigni: diligunt maledictionem, & veniet eis: & nolunt benedictionem, & elongabitur ab eis; quibus, ut ajebat Sanctus Bernardus, offert diabolus pomum, ut rapiat Paradiſum: guſtant paululum mellis, ut Jonathas, & ecce moriuntur; ac velut Eſau (aliquando audientes Chriſtum Dominum dicentem Juſtis prædeſtinatis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, & videntes, quod hi juſti eunt in vitam æternam) illi irrugient clamore magno, qui nunc guſtato corruptibili cibo, abeunt parvi pendentes, quòd primogenita vendiderint: nam tunc ſera, & inutili pœnitentia dicent: *Ergo erravimus à via veritatis*, cùm viderint ſibi proferri ſententiam maledictionis æternæ ab illo juſtiſſimo Judice, qui dicit: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui: & poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti*. Iſtud profectò ſolet multoties evenire illis peccatoribus, qui, ut dicit Sanctus Judas Thaddæus, ſunt in epulis ſuis maculæ. Recedamus igitur, ut Cinæus, nè fortè involvat nos cum eis Dominus noſter Rex Regum, & Dominus Dominantium Jeſus, quando illos percuſſerit majori vi, quàm olim percuſſus eſt Amalec. Hoc intendit noſtra Mater Eccleſia docens nos fugere à ventura ira, & implorare auxilium in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ Reſurrectionis, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti: vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Mors quidem mortis fuit hodie in ſua Sancta Reſurrectione Redemptor, & Dominus noſter Deus Homo Jeſus Chriſtus: fuit etiam inferni morſus. Ante faciem ejus it mors, & egreditur diabolus ante pedes ejus (ducti quidem mors, & diabolus ad triumphũ ante tantum Regem in captivitate) quia nobiliſſimus Triumphator iſte in ſua Sacroſancta Reſurrectione mortem vicit, & diabolum ſuperavit. Ergo iter faciamus ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi; quia unde in Paſſione occubuit, inde majorem ſuam gloriam reſurgendo manifeſtavit: & mortem, quam pertulit, reſurgendo calcavit: deſtruxit quidem clauſtra inferni, & ſubvertit potentias diaboli: hodie portas mortis, & feras pariter Salvator noſter diſrupit. Cujus Sepulchrum plurimo cuſtode ſignabat lapis, victor triumphat, & ſuo mortem Sepulchro funerat. O vera cœli victima, ſubjecta cui ſunt tartara, ſoluta mortis vincula, recepta vitæ præmia. Victor ſubactis inferis, trophea Chriſtus explicat, cœloque aperto ſubditum Regem tenebrarum trahit. Parum videtur mortem, & infernum vincere: plus eſt, quòd hodierna die Pater Æternus per Unigenitum ſuum æternitatis nobis aditum, de-

victa morte, reſeravit. Per Adam primum ſibi, & poſteris Paradiſus fuerat concluſus; per Chriſtum Adam ſecundum aditus æternitatis hodierna die ſibi, & nobis eſt feliciter reſeratus. Hoc egit Rex ille fortiſſimus, qui de mortis inferno ſpecu Patrum Senatum liberum eduxit ad vitæ jubar: qui mortem ſubiit innocens, à morte nos ut tolleret. Sic trina rerum machina cœleſtium, terreſtrium, & inferorum ab eo condita, illi flectit genu jam ſubdita. Iſte, qui eſt Dominus virtutum, Rex gloriæ eſt, ad cujus conſpectum, & ingreſſum portæ cœli attolluntur, & portæ æternales elevantur. Apertæ quidem ſunt portæ juſtitiæ, ingreſſi in eas confitebimur Domino: hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam. Sed quomodo erimus juſti, ut in portam, etſi apertam, ingrediamur Paradiſi, niſi Pater Æternus vota noſtra, quæ præveniendo aſpirat, etiam adjuvando proſequatur? Ergo cum metu, & tremore noſtram ſalutem operemur. Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, tamquam à nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ille quidem prævenit vota noſtra, quia niſi à gratia Dei præventi eſſemus, neutiquam pias cogitationes, vota, & deſideria ſalvationis haberemus: non vellemus vitam, nec diligeremus dies videre bonos. Præveniendo aſpirat Deus vota noſtra, ut ab eo inſpirati dicamus: *Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Sitivit in te anima mea: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Sic prævenit aſpirando vota, quæ habemus nos, qui, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Utinam ipſe Deus Pater Æternus, qui aſpirat præveniendo vota noſtra, etiam adjuvando proſequatur vota ipſa. Sit adjutorium noſtrum in nomine Domini: ille adjutor, & protector fiat nobis in ſalutem: adjutor, & protector factus ſit nobis: & Liberet corpus noſtrum à perditione, ut laudet anima noſtra ipſum, quoniam eruit ſuſtinentes ſe, & liberat eos de manu anguſtiæ. Ad hoc invocemus Dominum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut non derelinquat nos in die tribulationis noſtræ, & in tempore ſuperborum ſine adjutorio; & ut vota noſtra, quæ præveniendo aſpirat, etiam adjuvando proſequatur: in adjutorium noſtrum intendat, & ad adjuvandum nos feſtinet. Sic erimus fortes in bello, & pugnabimus cum antiquo ſerpente, & accipiemus regnum æternum: quoniam Deus populum humilem ſalvum faciet, & in nomine ejus tranſgrediemur murum.

ORATIO SECRETA.

Suſcipe, quæſumus Domine, preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum: ut Paſchalibus initiata myſteriis, ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Preces populi Dei oblationibus hoſtiarum aſſociantur: & ſic ſperamus, quòd tam preces, quàm hoſtiæ precibus conjunctæ, à Domino acceptabuntur. Fortè Deus preces noſtras nudas, ſolas, & ſine oblationibus hoſtiarum, ob peccata noſtra, à conſpectu ſuo abigeret, & ſuſcipere non vellet; ſed preces oblationibus hoſtiarum ſtipatas, & illis conjunctas credimus, quòd repellere nolet: & ideò deſiderantes ab ipſo exaudiri, ad ſuccurſum, & Sacrum Refugium oblationum hoſtiarum (ut indigentes, imò delinquentes) timidi confugimus, & preces noſtras hoſtiis unitas Deo noſtro præſentamus. Hoſtiæ, quæ Dominum contra nos iratum placant, exauditionem precum noſtrarum facilitant; & aperiunt portas ſuavis Domini miſericordiæ fugientibus à rigore ejus ſeveræ juſtitiæ: ac, quia hoſtiæ reddunt preces noſtras exaudibiles, illas rogatibus noſtris adhibemus, ut votorum noſtrorum compotes in conſpectu Dei ſiamus. Tam preces, quàm hoſtiarum oblationes ſunt deſideria, & munera Myſteriis Paſchalibus initiata; quia in hac die Sanctum Paſcha celebrantes, preces effundimus,

Digitized by Google

mus, & hoſtias Deo libamus. Jam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt, Paſchalis idem victima, & pura puris mentibus ſinceritatis azyma. Ipſe verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata mundi: qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Quid aptius in hac potiſſimum die, cùm Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quàm initiare Paſchalibus Myſteriis noſtras preces, & hoſtiarum oblationes? Virtus Chriſti reſurgentis dabit precibus noſtris eſſe dignas, quæ exaudiantur: dabit etiam oblationibus hoſtiarum dignitatem, ut à Domino acceptentur. His à nobis obtentis, ad æternitatis nobis medelam, Deo operante, tum preces, tum oblationes hoſtiarum proficient. Medela æternitatis ex hoc ſuffragabit nobis, quia medela æternitatis (hoc eſt, Miſſæ ſacrificio) curabimur, qui eramus ægroti, & æternæ appropinquabimus ſaluti: medela dicta æternitatis conciliabit nobis auxilia ad pœnitentiam, & gratiæ valetudinem ad perennem felicitatem captandam. Æternaliter curati vivemus, potentes dicere: *Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini*, qui dat ſalutem gentibus, ac Lazarum mortuum, & ſe ipſum ſuſcitavit occiſum. Ergo bonum eſt nobis, quòd hodie preces noſtræ, & hoſtiarum oblationes Paſchalibus ſint initiata Myſteriis, ut cum omnia iſta noſter Dominus voluerit ſuſcipere, valeant nobis ea maximè prodeſſe; &, Deo ipſo operante, ſentiamus, prædicta ad æternitatis nobis medelam provenire. Provenient quidem, & proficient nobis (qui ſumus Dei populus) Deo ipſo operante, hîc per ſuam Divinam gratiam, & in cœlo per ejus glorificationem jucundam: & ſic quæ profecerint ad utilitatem noſtram, etiam proderunt ad gloriam accidentalem Divinam.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Barradas dicit: *Ecce enim ex hoc beatam, &c. Reſpexit Virginem Dominus, ita mirabilem fecit, ut ab omnibus generationibus beata prædicetur. Quæ enim eſt generatio, à quo Virgo Deipara omnium fœminarum beatiſſima non appelletur? Surrexerunt filii ſtrenuæ illius mulieris, quæ Proverb. 3. decantatur, & beatiſſimam prædicaverunt. Similem in modum ſurrexerunt in mundo Dei filii, non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati: & per generationes, ſæculaque omnia, beatiſſimam Deiparam prædicant, & quidem meritiſſimè. Nam, ſi Divus Petrus (ait Sanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in orat. de Annuntiat.) ob id beatur appellatus Matth. 16. Regnique Cœlorum claves ſortitus eſt, quòd Chriſtum Dei Filium palàm confeſſus eſt: Quomodò ea ſuper omnes beata prædicanda non eſt, quæ illum parere meruit, quem ille confeſſus eſt, &c. Si beata dicitur, ſive benedicta inter mulieres Jael Judic. 5. quòd Siſaræ caput clavo transfixerit, & Judith 13. quòd Holofernem obtruncarit; Virgo, quæ tartarei ſerpentis caput contrivit, quanto meliori jure beatiſſima à cunctis nationibus decantabitur? Cap. 13. Princeps populi Ozias Judith, quæ Deiparæ imago fuit, hiſce affatur verbis: Nomen tuum Deus ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, &c. Magnificavit Dominum Virgo intemerata: Dominus verò magnificantem, ita magnificavit, ut non recedat laus ejus de ore hominum in æternum, illiusque encomiis celebrandis omnes ſe impares fateantur.* Sylveira ait: *Quæſtio eſt: Cur Beatiſſima Virgo, dum de ſua agit humilitate, de ſe per tertiam perſonam loquatur: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; dum verò de ſua beatitudine tractat, in propria perſona loquatur: Beatam me dicent? Reſpondeo, quòd modus agendi, ac loquendi debet eſſe ſtatui accommodatus, & proportionatus; dum*

ergo de humilitate eſt ſermo, ancillam ſe vocat; at verò, dum de ſua beatitudine agit, in propria perſona, tamquàm vera Domina, ac Mater Dei, fatur; ſicut enim eſt proprium humilium ſe inter ſervos computare propter maximam humilitatem, ita eſt proprium dominorum, ſuæ excellentiam dignitatis pro viribus tueri, ac cuſtodire. Chriſtus dicebat de ſe Pſalm. 21. num. 1. Ego ſum vermis. Et Pſalm. 2. num. 6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Modo vermis, modò Rex? Quomodò hæc cohærent? Pro ratione temporis: in morte, ac Paſſione ſe agnoſcit vermem; in dominandi poteſtate, ac beatitudine, Regem. Hæc Sylveira. Toletus inquit: Ecce enim ex hoc beatam, &c. Illud (Ecce) poſitum eſt propter duo. Primum, ut magnitudinem virtutis Dei commendaret, quaſi diceret: Perpende incomprehenſibilem Dei potentiam, quantoque jure Deum magnificem, quia, cùm humilis ancilla eſſem, in eam me erexit dignitatem, ut omnibus anteponar. Deinde, ut verbo Eliſabeth reſponderet: hæc enim dixerat: Beata, quæ credidiſti; at Beata Virgo in cauſam altiorem beatitudinem refert, quaſi diceret: O Eliſabeth, non quia credidi, beata ſum, quaſi ea ſit cauſa præcipua. Ecce prior, & major cauſa: quia, nempe, reſpexit me Dominus; fiet enim, ut poſthàc non tu ſola beatam me dicas, ſed omnes venturæ generationes. Cornelius à Lapide hæc habet: Ecce enim ex hoc, &c. Arabicus: Dabunt mihi beatitudinem omnes generationes. Probat Virgo, Deum reſpexiſſe ſuam humilitatem, carnem in ea aſſumendo, ex effectu: quia, ſcilicèt, ob hanc Verbi in ea Incarnationem, omnes omnium ſæculorum generationes, ut Matrem Dei, eam venerabuntur, admirabuntur, & beatam prædicabunt. Quaſi diceret, ait hìc Sanctus Auguſtinus: Tu, o Eliſabeth, de me dicis: Beata, quæ credidiſti; ſed ego dico: Ex hoc nunc (quo concepi Dei Filium) beatam me dicent omnes generationes. Et, nonnullis interjectis: Maria, inquit, quæ apud Dominum humilis erat, & apud homines propter Deum abjecta, in utroque ſe eſſe reſpectam, teſtatur: quia & ejus humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & ejus humiliatio apud homines in gloriam commutata. Quarè ſequitur: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Alludit ad verba Liæ, quæ, cùm ejus ancilla Zelpha peperiſſet filium, vocavit eum Aſer, id eſt, Beatus, dicens: Hoc pro beatitudine mea: beatam me dicent omnes mulieres. Hoc eſt, quod Chriſto acclamavit mulier illa ſapiens: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Lucæ 11. Vincentius Regius ſic loquitur: Quia reſpexit Dominus Beatam Virginem, inde factum eſt, ut Beatam omnes eſſent prædicaturæ nationes. Omnes verò generationes intellige eos, qui in Chriſtum erant credituri. Ex his patet, rectè intuliſſe Baſilium Eſai. 8. in illa verba: Acceſſi ad Propheteſſam. Item Epiphanium hæreſ. 88. prophetico ſpiritu hanc ſententiam à Virgine eſſe prolatam. Erat enim, quaſi ſtella quædam ſemper apta, & expoſita ad recipiendum in ſe clariſſimos Divinæ lucis radios ab eo Sole, qui ejus claudebatur utero.

Pro: *Benedictus*.

Verſio Perſica legit: Et clementiam, & miſericordiam ſuam cum patribus noſtris erexit, & teſtamentum, & promiſſum Sanctum ſuum in memoriam revocavit. Verſio Syriaca: Memorque teſtamentorum ſuorum Sanctorum. Alia Syriaca: Ac miſericordia uſurum cum patribus noſtris, ſeque memorem futurum teſtamenti ſui ſancti. Vatablus: Ut faciat miſericordiam cum patribus noſtris, ac memor ſit teſtamenti ſui Sancti. Arias: Facere miſericordiam cum, &c. Divus Irenæus lib. 3. cap. 11. Reminiſci teſtamenti ſui Sancti. La Haye ex Græco: Id eſt, meminiſſe, recordari, eſſe memorem. Idem Auctor ait: Et eſt Græciſmus, ut memoraretur, ſeque memorem oſtenderet. Teſtamenti, id eſt, pacti cum patribus de Meſſia naſcituro initi. In plurali teſtamentorum aliqui verterunt, vel quia illud teſtamentum excellentiſſimum fuit, vel quia pluries repetitum. Gloſſa Interlinealis: Memorari teſtamenti ſui Sancti. Memorem ſe oſtendit, vel, Memores nos faceret. Gloſſa Ordinaria: Locutus eſt: & erexit nobis ſalutem ad faciendam miſericordiam, ut miſericordiam, quam patribus promiſit, impleat in nobis. Nicolaus de Lyra: Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris. Quia Myſterium

ſterium Incarnationis implevit, non propter noſtram juſtitiam, ſed propter ſuam miſericordiam adimplendam, quam patribus promiſit. Et memorari teſtamenti ſui Sancti. Id eſt, pacti firmiſſimi, quod habuit cum patribus veteris teſtamenti de Chriſto venturo. De quo teſtamento ad modum rememorantis, ſeu recordantis ſe habuit, quando pactum implevit. Eſtius: *Ad faciendam miſericordiam, &c. Græcè: Facere miſericordiam cum patribus noſtris, & recordari, &c. Quarè, aut utrobique retinendus erat in verſione infinitivus, aut utrobique vertendum: Ad faciendam miſericordiam, ad recordandum teſtamenti. Dicitur autem Deus facere miſericordiam cum patribus jam olim defunctis; dum in gratiam eorum, & ex amore, quo eos proſequitur, præſtat beneficia poſteris; ſive ea promiſerit ſe præſtiturum, ut eſt in hoc loco, (unde ſubjungitur mentio teſtamenti, id eſt, fœderis, & promiſſi) ſive etiam non promiſerit. Sic laudatur Booz Ruth.3. quòd eamdem gratiam, Hæbraicè, miſericordiam (quam præbuerat vivis) ſervaſſet & mortuis.* Menochius: *Ad faciendam miſericordiam, &c. Id eſt, ideò crexit cornu ſalutis nobis, ut faceret cum patribus miſericordiam, quia quæ illis fuerant promiſſa, adimplevit. Memorari teſtamenti ſui Sancti. Ut Sancti fœderis ſui cum illis initi recordaretur. Quid autem teſtamentum vocet ſtatim explicat.* Tirinus: *Ad faciendam miſericordiam, non nobiſcum tantùm, ſed & cum patribus noſtris. Quia nempe promiſſa fuit ipſis hæc ſalvatio: & beneficium, quod prolibus exhibetur, ſibi præſtitum æſtimant parentes. Denique, quia ipſi quoque parentes vi meritorum Meſſiæ miſericorditer ſalvati ſunt à peccatis ſuis, ab ergaſtulo Inferni, & ab omni dæmonis poteſtate. Memorari teſtamenti ſui Sancti. Græciſmus eſt, quaſi dicat: Ad declarandum, ſe memorem eſſe fœderis, ſeu pacti inviolabilis olim cum illis initi.* Simon de Caſſia dicit: *Erectum eſt cornu ſalutis ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui Sancti. Tempus erat miſerendi, quia venit tempus, quo Sancti Patres excluderentur à poteſtate tartarea, quo præda Sanctorum, ab injuſtis raptoribus tolleretur. Erat amodò celebranda miſericordia cum antiquo Patre Adam, qui fletibus, & pœnis culpam ad poſſe diluerat. Necnon & cum miſera prole ſua, quam à Paradiſi ſedibus, à Divina gratia, per inobedientiam propriam fecerat exulare. Danda erat Noe miſericordia, qui evadendè ſpe pro reparationis humanæ munimine, centenariam arcam conſtruxit, à quo condita ſunt ſæculi teſtamenta. Facienda erat cum omnibus patribus miſericordiâ, qui fidem veram, obedientiam promptam Domino ſervaverunt. Et cum omnibus Sanctis Prophetis, qui vera hæc futura prædixerunt, & pro veritate, ludibria, & mortes, & vincula paſſi ſunt.* Hæc ſunt verba Magni Simonis de Caſſia.

Pro: *Nunc dimittis*.

TOletus ait: *Quia viderunt oculi mei, &c. Cauſam reddit præcedentis ſententiæ, cur ſe dimitti in pace ſecundùm verbum, dicat: Quia viderunt, inquit, oculi mei Chriſtum. Quem ſalutare appellat, id eſt, ſalutis Auctorem. Tuum autem: quia de Spiritu Sancto, cum quo Simeon loquebatur, conceptum: Et in quo Deus ſalutem hominum operari dignatus eſt; nemo enim ſalutem hanc efficere potuit, niſi Deus.* Sylveira dicit: *Quia viderunt oculi mei, &c. Cauſam annectit Simeon, cur ſe dimitti dicat; nam, ut ait Sanctus Odolonius ſerm. de Purificatione, poſtquàm Chriſtum meruit videre, nihil præter ipſum concupivit videre. Textus: Viderunt oculi mei, ut explicat Sanctus Eligius ſerm. de Purificatione, tam interiores, quàm exteriores. Interiores Deum, exteriores hominem: ipſum enim, quem in brachiis tenebat, verum Deum, & hominem credidit.* Sanctus Auguſtinus ſerm. 9. de Nativitate dicit: *O mira, & inexquiſita compago! O miracula! O prodigia! O myſteria! O nova, & inaudita commixtio! Deus, qui eſt, & qui erat, fit Creator creatura, qui immenſus eſt capitur, divites conſtituens pauper efficitur, incorporeus carne veſtitur, videtur inviſibilis, palpatur impalpabilis,*

Refle-

Reflexiò moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

BEatam dici Deiparam Virginem Mariam, diſpoſuit faciens miſericordias Dominus miſerator, longanimis, & multùm miſericors, corroborans miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe, ad faciendam miſericordiam cum genere humano, ut videamus Chriſtum ſalutare Dei in cœlo. Hoc infertur ex eo, quod Dei Genitrix prædicit, quod Zacharias affirmat, & quod Simeon juſtus aſſerit. Eſt Beata Maria meliùs, quàm Judith, gloria Jeruſalem, lætitia Iſrael, & honorificentia populi noſtri. Ergo dici meretur beata, quæ in cœlis poſt Deum beatos glorificat: quæ in Eccleſia militante cunctos (obtinens illis Divinam miſericordiam) exhilarat, & honorem ſpei videndi Deum omni plebi Chriſtianæ conciliat. Beati igitur eſſe curemus, qui Beatam Dei Matrem prædicamus. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram: & ideò teneamus quod habemus, ut nemo accipiat coronam noſtram, (ſiquidem ſcimus, quòd aliquando accidit, quemdam conſequutum fuiſſe coronam quadrageſimam, offerendo ſe ad martyrium, quando eam coronam ſibi præparatam perdidit ille, cui defecit animus ad frigus cum triginta novem ſociis martyribus coronatis ſuſtinendum: & hic miſer deſiliens in proximum balneum tepefactum, miſſus eſt in caminum ignis, ubi erit fletus, & ſtridor dentium) Beati eſſe fatagamus, coronam nobis promiſſam ſpe ſalubri ſperantes, fortiter fidem, bonam operationem, gratiam, & charitatem tenentes. Ut taliter ſimus beati per gloriæ coronam, allidamus parvulos noſtros ad petram: hoc eſt cogitationes noſtras malas (maximè, quando incipiunt, & ſunt parvæ, à nobis generatæ, & nutritæ) ad petram Chriſtum confringamus, benè utentes ipſius benignitate: allidamus illas quoque ad petram deſerti Beatam Mariam, armati ejus vera, & ſolida devotione: ſic beati in facto noſtro erimus: ſic miſericordiam, quam Deus facit nobiſcum, lucrabimur: & ſic etiam Redemptorem noſtrum in cœleſti Patria videbimus. Utinam Jeſus, quem velatum nunc in Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ aſpicimus, concedat nobis illud, quod tam ſitimus, & ab eo fiat, ut illum revelata cernentes facie, viſu ſimus beati ſuæ gloriæ. Dum ita cupimus, affectuosè ſequentem orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

SPiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde: ut quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Dominum, &c.

EXPLICATIO.

NOn poterimus theologicè, & meritoriè, Deum, & proximum diligere, niſi idem Deus Dominus noſter nobis ſpiritum ſuæ charitatis dignatus fuerit infundere. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ecce quomodo Deus eſt in eo, qui diligit; nam diligere, merendo vitam æternam, non poſſet, ſi ei Deus benignus non ſe infudiſſet. Qui non diligit, manet in morte: ergo, ut vivificationis gratiam conſequamur, Spiritum ſuæ charitatis à Domino poſtulemus. Spiritus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam. Utinam Spiritus Sancti gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra: Sancti Spiritus corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fæcundet: quia benè in omnibus nobis erit, ſi Spiritum ſuæ charitatis Dominus nobis infuderit. Faxit Deus, quòd è cœlo rore Sancti Spiritus infundamur, ut eo fæcundati, poſſimus Deum, noſtroſque proximos, prout jubemur, diligere. Si Pater Æternus infuderit nobis, ut hodie ab eo petimus, ſuæ Spiritum charitatis; quos Sacramentis Paſchalibus ipſe ſatiavit, ſua faciet pietate concordes. Optamus igitur, ut Deus nobis ſuæ Spiritum charitatis infundat:

quia

Digitized by Google

quia ab illo ſatiati Paſchalibus Sacramentis, deſideramus, quod nos concordes reddat, atque unanimes efficiat; ſicut accidit illis, qui in primitiva Eccleſia acceperant Spiritum Sanctum, Fidelibus, quibus cor unum, & anima una erat; (& dicitur de illis, quod erant perſeverante in doctrinis Apoſtolorum, & in communicatione fractionis panis.) Eſt Phaſe, id eſt, *tranſitus Domini*: itaque Chriſtus (qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo) vult omnes nos tranſire de vitiis ad virtutes: & profectò tranſlati erimus de morte ad vitam, ſi dilexerimus fratres, & ſatiati Paſchalibus Sacramentis facti fuerimus à Deo ſua pietate concordes. Ut ergo ad vitam tranſeamus dilectionis, nos ſatiat Deus Paſchalibus Sacramentis. Concordes ſimus, qui jam ſatiati noſcimur ſanctis Sacramentis Paſchalibus. Simus unanimes vero Chriſtianitatis Spiritu, atque vera Chriſtianorum Catholicorum concordia. Dignè ambulemus, ſoliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Charitatem habeamus, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Dei exultet in cordibus noſtris. Hæc bona nobis obvenient, ſi Spiritum nobis Dominus ſuæ charitatis infuderit, & fecerit ſua pietate concordes nos, quos ſatiavit Paſchalibus Sacramentis.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM

Pro Dominica in Albis.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ in Albis. Qui quidem Textus eſt hic:

Convivantes ſine timore.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Arabicus vertit: *Qui currunt per dolum, & impudicitiam in deſideriis ſuis. Pro Convivantes, Græcè eſt verbum, quod aliqui ad libidinem, & turpem concubitum referunt.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Convivantes, ſtudentes gulæ ultra modum, ſine timore, omnia mala cum multo contemptu facientes.* Hugo Cardinalis: *Ultra modum ſtudentes comedendo, cùm debeant magis utilitati, & honeſtati vacare. Sine timore, perpetrantes mala: & hoc, quia citò non profertur contra eos ſententia. Et tangit hìc aliud eorum peccatum, quod eſt temeraria ſecuritas.* Nicolaus de Lyra ait: *Convivantes ſine timore Dei, & bonorum hominum.* Eſtius: *Sine timore. Participium in Græco maſculinum eſt: quarè conſtrui non poteſt cum voce maculæ, quod fœmininum eſt. Rectiùs autem legit Auguſtinus: Coepulantes, nempe, vobiſcum. Quod (vobiſcum) etiam hìc in nonnullis Græcis Codicibus additur. Senſus igitur eſt: Unà vobiſcum convivantur, & epulantur, non more Sanctorum; quales illi, de quibus Tob. 9. quòd cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant; ſed abjecto Dei timore, licenter, atque ſecurè vacantes voluptati ventris, & carnis. Dictionem: Sine timore, nonnulli annectunt membro ſequenti. Verùm cohæret multò meliùs cum vocabulo, Convivantes, ut jam expoſitum eſt.* Menochius: *Convivantes ſine timore. Sine Dei, hominumque reverentia.* Tirinus: *Convivantes, & epulis, ac poculis ſeſe ingurgitantes, ſine ullo timore, vel reverentia, ſeu hominum, ſeu Dei.* Cornelius hæc habet: *Convivantes ſine timore. Quia ſine Dei, hominumque reverentia, intrepidè, & im-*

imprudenter ſe carne inſarciunt, & vino ingurgitant, geſtibus laſciviunt, ac verbis virus pectoris ſui evomunt: quarè gurgites ſunt, belluones, nati Veneri, & ventri. Notat Dionyſius, accumbentem menſæ præ cæteris opus habere timore Dei, eumque in ſe excitare debere; eo, quòd in menſa multæ gulæ, detractionum, ſuperbiæ, impudicitiæ, &c. ingerantur occaſiones, quæ ſine timore Dei ſuperari nequeunt. Quare Sanctus Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique Sancti, convivia, licèt invitati, adire noluerunt, domi verò ſuæ conviviunt, & convivas ſacra lectione condiebant. Qui ergo convivia adeunt, timore Dei ſe prænuniant, cogitentque illud Sapientis Proverb. 31. 1. Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam: nè deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii. Vide Sanctum Chryſoſt. homil. 30. in Matth. Clementem Alexad. 2. Pædag. c. 1. & 2. Sanctum Paulinum Epiſt. 31. Sanctum Ambroſ. apud Sanctum Auguſt. 6. Confeſſ. c. 2. Sanctum Hieronymum Ep. 22. Sanctum Gregorium lib. 1. Epiſt. 71. Qui omnes egregiè docent, qualia, & quàm ſobria debent eſſe Chriſtianorum convivia. Unum Tertullianum præterire nequeo, qui totum Chriſtiani convivii ritum ita præſcribit: Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim Agape, id, quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum: ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non prius diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: editur quantum eſurientes capiunt: bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire: æquè oratio convivium dirimit. Et paulò poſt: Convivium etiam ſolemne Majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt, cui præter cognatos, & affines, nemo interponebatur: ut ſi qua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum favoribus concordiæ adhibitis tolleretur. Porrò tò: Sine timore, nonnulli referunt ad id, quod ſequitur: Semetipſos paſcentes, verùm Romana aptiùs referunt ad tò: Convivantes, quòd præceſſit. Sed eodem res redit. Hæc Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Filiis Job, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit illos, & mortui ſunt. O quoties quod iſtis corporaliter accidit, convivantibus ſine timore Dei (nec adhuc hominum) evenit quidem deteriùs, & ſaltem ſpiritualiter ſolet contingere infeliciùs! Convivantur multi ſine timore, & ideò potiùs juſtum eſt, ipſos timere. Timeant, dum ſine timore veſcuntur; quia poteſt repentè ventus vehemens (id eſt, infirmitas mortalis) irruere à regione deſerti (nempe ab ira Deo per eos derelicti:) qui quidem ventus valet concutere quatuor angulos (ſcilicet, quatuor humores) corporeæ habitationis, vel domus, quæ corruens opprimet eos, & ipſi morientur, ac erunt ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum Deus non eſt memor ampliùs. Adhuc eſcæ Iſraelitarum erant in ore ipſorum (qui manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis:) & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum. Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris. Omnis caro fænum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exiccatum eſt fænum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo. Verè fænum eſt populus horum inſipientium ſine timore convivantium, illis veſcentibus, & bibentibus vinum. Fænum hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, quia ibunt impii in ſupplicium æternum. Elevans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, homo dives ille, qui epulabatur quotidie ſplendidè, qui mortuus eſt, & ſepultus eſt in inferno, dixit: *Crucior in hac flamma*. Ecce quomodò fænum miſſum eſt in ignis clibanum. En qualiter furor iræ Dei comprehendit hominem illum miſerrimum. Hic furor Divinæ iræ

eſt

eſt ventus vehemens irruens à regione deſerti; quia Deus ille iratus, quem convivantes ſine timore deſerunt, vehementèr infligit eis ſupplicium. Concutit pluries idem Deus quatuor angulos domus hominis ſine timore convivantis, commovens, ut hic repentè moriatur, & damnetur, quatuor humores ſuſtentantes domum corporis terreſtris. Non ceſſat facilè quaſſatio taliter delinquentium; quia Deus conquaſſat capita in terra multorum. Sic domus corporum corruunt, & opprimunt turbam hominum ſine timore convivantium, & iſti temporaliter, ac ſimul æternaliter moriuntur. Ergo nolimus æmulari in malignantibus; quoniam qui malignantur exterminabuntur. Imò, ut à ſimilibus culpis, & pœnis nos eruat Deus, oremus: & quæ in duabus ſequentibus Orationibus petit Eccleſia, ſupplici voto poſcamus.

Oratio Officii Dominicæ in Albis, quæ eſt prima in Miſſa illius.

PRæſta quæſumus, Omnipotens Deus: ut qui Paſchalia feſta peregimus, hæc, te largiente, moribus, & vita teneamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

UT ſit perenne mentibus Paſchale Jeſus gaudium, à morte dira criminum vitæ renatos liberet; ſiquidem ſcimus, eum mortuum eſſe propter peccata noſtra, & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram. Idem noſter Dominus, qui ſolemnitate Paſchali mundo remedia contulit, populum ſuum cœleſti dono proſequatur, ut & perfectam libertatem conſequi mereatur, & ad vitam proficiat ſempiternam. Ipſe, qui Eccleſiam ſuam novo ſemper fætu multiplicat, concedat famulis ſuis, ut ſacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Ille demum idem, qui diverſitatem Gentium in confeſſione ſui nominis adunavit, det, ut renatis fonte baptiſmatis una ſit fides mentium, & pietas actionum. Utinam, quæ nos ſic orantes petivimus, dum Paſchalia feſta peragebamus, conſequi à Deo poſſimus! Utinam ſic flagitata obtineamus! quia iſta nanciſcentes, & à Domino impetrantes, qui compotes fuerimus facti talium noſtrorum votorum, quæ inter octavas Paſchæ habuimus, dum Paſchalia Feſta peregimus; hæc eadem Paſchalia Feſta tenebimus moribus, tenebimus etiam vita. Paſchalia profectò feſta peregimus tranſeunter, ſed eadem, ſi obtinuerimus petita, moribus, & vita tenebimus permanenter. Faxit Deus, ut quæ tranſeunter peregimus, perſeveranter teneamus. Hoc nobis proveniet, ſi Omnipotens ſempiternus Deus, qui Paſchale Sacramentum in reconciliationis humanæ fædere contulit, dederit noſtris mentibus, ut effectu imitemur quod profeſſione celebravimus. Qui imitatur effectu quod profeſſione celebrat, tenet Paſchalia feſta moribus, & etiam vita. Quid eſt effectu imitari illud ipſum, quod piè celebratur profeſſione? Jam reſpondeo, Deo dante. Profeſſione celebramus myſterium Reſurrectionis Sanctæ noſtri Redemptoris, & Domini Jeſu Chriſti, quando dicimus ex toto corde; *Surrexit Dominus verè*. Profeſſio namque Chriſtianitatis, & Fidei Catholicæ nos edocet credere (contra id, quod dicunt Judæi, hæretici, apoſtatæ, infideles, & pagani) Chriſtum verè tertia die à mortuis reſurrexiſſe; & hanc veritatem fidei erga Redemptoris noſtri Reſurrectionis myſterium tenere, aſſerere, & confiteri firmiſſimè. Hoc Symboli articulo, ſicut aliis ejuſdem Symboli, diſtinguimur, & ſegregamur ab eis, qui non ſunt Chriſtiani Catholici Apoſtolici Romani. Profeſſione igitur celebrantes feſta Paſchalia Sacratiſſimi myſterii Dominicæ Reſurrectionis, debemus ſatagere effectu imitari illud ipſum Reſurrectionis Chriſti Domini myſterium, quod, ut Catholici Chriſtiani, celebramus profeſſione. *Sit itaque Reſurrectio noſtra perpetua* (ait in ſuis Homiliis ille Sanctiſſimus ſimul, & ſapientiſſimus Summus Pontifex ſanctę memorię Clemens XI. referens majeſtatem ſtili Sancti Leonis

Papæ) *ſicut perpetua fuit Reſurrectio Chriſti; nemo in id recidat, unde ſurrexit: nemo adſuperna vocatus, ad ima deflectat*. Reſurgamus cum Chriſto: & ſi reſurreximus cum Chriſto, quæ furſùm ſunt quæramus, quæ furſùm ſunt ſapiamus: reſurgentes ad non moriendum morte peccati iterùm: &, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur; quomodò Chriſtus reſurrexit, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Sic imitabimur effectu bene vivendi, id, quod credentes firmiter veram Reſurrectionem Chriſti, celebramus profeſſione; & deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curremus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera Dei ſedet. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitimus, adverſus peccatum repugnantes. Ergo peccatis mortui juſtitiæ vivamus, ut ſimus tamquàm ex mortuis viventes. Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Hoc igitur pacto, quod profeſſione celebramus, imitabimur effectu: ac (Deo præſtante, ut qui Paſchalia feſta peregimus, hæc illo largiente moribus, & vita teneamus;) tenebimus quidem Feſta Paſchalia moribus verè Chriſtianis, ac vita verè Catholica; quibus decet relucere illos, qui, Deo vocante, fidem Chriſtianam Catholicam profitentur, ut Deo digni per gratiam Dei efficiantur.

ORATIO SECRETA.

Suſcipe munera, Domine quæſumus, exultantis Eccleſiæ: & cui cauſam tanti gaudii præſtitiſti, perpetuæ fructum concede lætitiæ. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

ORamus Deum noſtrum hodie, ut ſibi complaceat ſuſcipere munera exultantis Eccleſiæ. Exultat quidem Angelica turba cœlorum, & pro tanti Regis victoria, tuba inſonat ſalutaris. Gaudet & tellùs tantis irradiata fulgoribus: & æterni Regis ſplendore illuſtrata, totius orbis ſe ſentit amiſiſſe caliginem. Lætatur & Mater Eccleſia tanti luminis adornata fulgoribus. Hæc ſunt enim feſta Paſchalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, cujus ſanguine poſtes Fidelium conſecrantur; & Paſchale mundo gaudium Sol nuntiat formoſior, cùm luce fulgentem nova Jeſum vident Apoſtoli: in carne Chriſti vulnera micare tamquam ſidera, mirantur: & quidquid vident, teſtes fideles prædicant. Sat funeri, ſat lacrymis, ſat eſt datum doloribus: Surrexit Extinctor necis, clamat coruſcans Angelus. Gaviſi ſunt diſcipuli, viſo Domino: ideò nos ad Regias Agni dapes ſtolis amicti candidis, poſt tranſitum maris rubri Chriſto canimus Principi; dum volentes ſacrificare ſacrificium juſtitiæ, immolare Deo ſacrificium laudis, & reddere Altiſſimo vota noſtra; Sanctam Miſſam celebramus, & offerimus coram Majeſtate Divina. Hoc ſacrificium, & ea, quæ Fideles Deo inter ſacrificium offerunt, ſunt munera exultantis Eccleſiæ: quæ quidem offert Sacrificium Miſſæ incruentum, ubi (in hac Dominica in Albis, & octava Paſchæ) immolatur Chriſtus, qui eſt primus, & noviſſimus: eſt vivus, & fuit mortuus: & ecce eſt vivens in ſæcula ſæculorum, & habet claves mortis, & inferni. Reſtat, ut Deus Eccleſiæ ipſi, cui cauſam tanti gaudii præſtitit in ſancta Chriſti Reſurrectione, perpetuæ fructum concedat lætitiæ. In Reſurrectione quidem Chriſti cœli, & terra lætantur. Eſt lætitia in Eccleſia Catholica: & quia hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultamus, & lætamur in ea. Ecce cauſa tanti gaudii, quam Dominus præſtitit Eccleſiæ, quæ proinde hodie offert Deo munera cum exultatione magna. Sed, quando flores appa-

rue-

ruerunt in terra noſtra (hoc eſt in Sancta Eccleſia Paſcha floridum Reſurrectionis Chriſti celebrante;) deſiderat Eccleſia ipſa, quòd flores fructus parturiant: quia illa, quaſi vitis fructificavit ſuavitatem odoris, & flores ejus ſunt fructus honoris, & honeſtatis. Si Deus Eccleſiæ eidem contulerit in mundo fructum operationis bonæ, & in cœlo fructum glorificationis perpetuæ; æternaliter læta Eccleſia non habebit quod deſideret: quandoquidem pro ea petimus, ut cui Deus præſtitit cauſam tanti (quo exultat) gaudii, concedat fructum perpetuæ lætitiæ.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, *&* *Nunc dimittis*.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Toletus ait: *Prophetat Beata Virgo repleta Spiritu Sancto, quo excitante, & inſpirante, Dei beneficia accepta commendat, quod non eſt laudem propriam quærere, ſed Dei Auctoris beneficam potentiam commendare. Omnes cùm audis generationes, non ad ſingulos homines referas, ſed ad credentes in Chriſtum, quorum ore perpetuò beata prædicatur & in cœlo, & in terra, ut annotavit Origines homil.8. & Euthymius.* Barradas inquit: *Cantic. 6. Viderunt eam filiæ ſion, & beatiſſimam prædicaverunt. Hæreticus, qui non viderit, qui qualis Virgo ſit, non cognoverit, qui cæcus fuerit, is in Deiparam omnes laudes non effundet. At filiæ, quæ illam viderunt, quæ illius majeſtatem, gratiam, à Deo accepta inaudita dona conſiderarunt: non beatam ſolùm, ſed etiam inter cunctos homines, Angeloſque beatiſſimam prædicarunt. Non eſt quorumlibet (ait Baſilius Seleuciæ Epiſcopus loco indicato) promeritas laudes Virgini perſolvere, ſed eorum, qui Divinæ gratiæ lumine inſigniter illuſtrati ſunt, &c.* Cornelius ita explicat: *Ecce. Hoc adverbium primò eſt nota admirationis: quaſi dicat: Ecce rem novam, miram, & omnibus ſæculis inauditam, ut fœmina una ſit benedicta, & beata, imò beatiſſima præ omnibus Angelis, & hominibus, cum huc uſque omnes fœminæ in Eva à Deo fuerint maledictæ, & tribus pœnis, ſcilicèt, ſervitutis, doloris, & laboris addictæ, & afflictæ. Geneſ. 3. Secundò, eſt nota incohationis, & principii. Quaſi dicat: Ecce ex nunc incipiam beatificari, & deinceps continuò beata prædicabor ab omnibus ſæculis. Tertiò, eſt nota indicii, & monitionis. Quaſi dicat: Ecce, advertite, o mortales miſeri, qui cupitis eſſe beati, diſcite à me, beatitudinem ſitam eſſe in humilitate, obedientia, gratia, & favore Dei, quam per me impetrabitis. Ego enim ſum prima beata, per quam Deus ceteros omnes beare deſtinat. Ad me ergo recurrite, meamque opem implorate, ut beati evadatis.* Hæc Cornelius. Vincentius Regius ita loquitur: *Sed age, veriſſimum eſſe hoc Virginis vaticinium breviter oſtendamus. Principio beatam eam Deus ipſe vocavit, cùm dixit: Quinimmò beati qui audiunt verbum Dei. Nam, cùm mulier illa dixiſſet: Beatus venter, &c. intulit Chriſtus, beatam eſſe Virginem, quia illum conceperat, ſed beatiorem tamen, quia auditum Dei verbum, ſedulò cuſtodiebat; hoc enim eſt: Quinimmò beati. Quarè rectè in Virginem convenit illud Judith. 13. Nomen tuum ita Dominus magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. Porrò benedictio Patris Eccleſ. 3. firmat domos filiorum: ſumma verò benedictio ſummi Patris, ſummæ huic impertita filiæ, ejus domum ſtabilivit, auxit, ornavit in ævum. Domum enim Virginis in cœlo, terraque ceteris omnibus nobiliorem, præclarioremque effecit. Angeli etiam eam beatam prædicarunt: Gabriel, dum dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu. Porrò in Nativitate Chriſto in lucem edito, Gloria in excelſis, exultantes Angeli cecinere, ob ter felicem partum etiam Virgini*

gratulantes. Rurſus ait Eccleſia, Angelos gaviſos eſſe illius beatitudine, cùm aſcendit in cælum, dum ait: Aſſumpta eſt Maria in cælum: gaudent Angeli. Et quidem ita, ut etiam admirabundi dicerent: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens? Hic etiam revocandum eſt in memoriam, quod ſanctiſſimo viro Divo Gregorio accidit. Cùm enim in publica quadam ſupplicatione, ac pompa per Urbem incederet Summus ipſe Pontifex Gregorius, Virginis hujus Imagine depicta in tabula, tamquàm Chriſtianorum vexillo, præeunte, viſi, auditique ſunt Angeli, circa depictam illam Imaginem ſupplices occinere: Regina cæli, lætare, Alleluja, quia quem meruiſti portare, Alleluja, Reſurrexit, ſicut dixit, Alleluja: quibus Summus Pontifex Gregorius ſubjecit: Ora pro nobis Deum, Alleluja. Ecce qualiter omnis cæleſtis, mortaliumque Eccleſia uno ore beatam hanc Virginem celebrant. Ad hæc: Beatam nominarunt illam etiam ſancti, quibus non ultimo loco connumeranda Eliſabeth, quæ dixit: Beata quæ credidiſti, & apud Lucam exclamat illa: Beatus venter, &c. Reliqua denique mulierum multitudo idem inclamat: Viderunt namque eam filiæ Sion, & Beatiſſimam prædicaverunt eam. Et, nè longum faciam; omne genus humanum talem prædicat, & ſuſpicit; Hebræi, quia fæcunda, Chriſtiani, quia Virgo; Gentiles, quia vitam illis protulit. Quid plura? De Sarracenis etiam ipſis legi, ſepulchrum ejus honorare conſuetos, nec quempiam permittere aliquo convitiorum genere, vel contumeliis eam impunè afficere. Denique ſol quoque ipſe, & luna, ac ſtellæ, quomodò poſſunt, Beatam eſſe ſignificant, & tantùm non voce fatentur, eſt enim pulchra, ut luna, electa ut ſol; cujus etiam pulchritudinem eamdem ſol, & luna, ceteraque aſtra mirantur, Hucuſque Vincentius Regius:

Pro: *Benedictus*.

Cornelius dicit: Ad faciendam miſericordiam, &c. Qua Dominus Deus Iſrael, ut Patribus Chriſtum promiſit, ita jam promiſſis ſtetit, Chriſtumque poſteris eorum exhibuit, per quem ipſos etiam Patres de limbo liberabit, & beabit, ac in cælum ſecum deducet. Unde Theophylactus: Chriſti gratia, inquit, etiam ad illos, qui mortui erant, extenditur: omnes enim per eum reſurgent. Implevit etiam Patrum ſpem, & deſiderium, nam, ut ait idem Theophylactus: Cùm patres vident, filios ſuos talibus frui bonis, gaudent, & participes ſunt lætitiæ, perinde, ac ſi in ſe collata eſſent. Vincentius Regius ait: Ad faciendam, &c. Ut faceret miſericordiam cum Patribus noſtris: quod poteſt referri ad id; Erexit cornu, id eſt, ideò erexit cornu ſalutis, ut faceret miſericordiam; vel referatur ad: Salutem ex inimicis. Cum Patribus autem, licèt mortuis, feciſſe miſericordiam dicitur, quia non modò promiſerat Chriſtum, ſed ſuo etiam miſerat eum tempore, ut datam ſervaret fidem, & hoc eſt, quod ſubdit: memorari, id eſt, ut ſancti fœderis ſui cum illis initi recordaretur. Græciſmus eſt, recordari, id eſt, ut recordaretur. Maldonatus inquit: Ad faciendam miſericordiam, &c. Id eſt, ideò erexit cornu ſalutis nobis, ut faceret miſericordiam cum Patribus noſtris. Aut ideò præmiſit ſalutem ex inimicis noſtris, ut cum Patribus noſtris faceret miſericordiam: utroque enim referri hoc poteſt. Si priori illo modo interpretemur, ſenſus erit, miſericordiam ſuam erga Patres noſtros Deum oſtendiſſe, quòd Filium ſuum miſiſſet, quemadmodum Origines, Beda, Theophylactus, & Euthymius interpretantur. Si poſteriore, Deum tunc, cùm promiſit, magna in ea ipſa re miſericordia erga Patres noſtros uſum fuiſſe, quia propter eos Chriſtum nobis promiſit. Sed, quia priorem ſenſum omnes ſequuntur, eum & nos ſequamur. Barradas hæc habet: Adventus Meſſiæ, & redemptionis cauſam fuiſſe, aperit Zacharias, miſericordiam Dei erga Patres, pactum cum illis initum de Meſſia mittendo, adimplentis. Quaſi dicat: Præſtitit beneficium tantum Deus, & ſalutem altiſſimam excitavit, non ex meritis noſtris, ſed, ut miſericordiam antiquis Patribus præſtaret, & ut teſtamenti, id eſt, fœderis ſancti, de Meſſia mittendo, cum illis percuſſi, memorem ſe oſtenderet. Sylveira ita explicat: Ad faciendam, &c. liberationem, quam ſuprà dixerat, ab inimicis, nunc magìs explicat, appellando eam miſericordiam, quam Deus per Incarnationem nobiſ-

cum

eum fecit. Dicit autem Adventum Filii Dei miſericordiam: quia, ut ait Apoſtolus ad Tit.3. n.5. Qui non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. Tum ratione exaltationis naturæ humanæ, quæ hypoſtaticè unita eſt Deo; tum, quia bonitas Dei ſe demiſit, & accomodavit ad noſtram miſeriam; tandem ratione temporis, quo facta eſt Incarnatio, in quo mundus Idolorum errore detinebatur, à quo per Filium Dei liberatus eſt. Cum Patribus noſtris, id eſt, non ſolùm nobiſcum, ſed etiam cum Patriarchis, ac juſtis, qui nos præceſſerunt, ut ait Origines homil. 10. *Neque enim credibile eſt, ut qui priùs viderunt diem illius, & lætati ſunt, poſteà in adventu ipſius nihil utilitatis acceperint. Sequitur textus: Memorari. Deus metaphoricè dicitur recordari, quando præmio afficit, vel promiſſa olim præſtat. Teſtamenti ſui ſancti. Promiſſionem, quam Deus fecit antiquis Patribus de adventu Filii ſui, non appellat pactum, ſeu fœdus, ſed teſtamentum, quia hoc morte Filii confirmatum eſt. Ad Hebr.* 9. *n.*17. *& ideò appellat ſuum: teſtamenti ſui; quia ipſo Filio nos liberavit, quod maximè ſuum reputat. Zachar.*9. *n.*11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Et addit: Sancti. Divus Bonaventura: Vetus teſtamentum fuit ſanctum per figurationem; novum verò per continentiam, & impletionem; unde ſanctum vocat teſtamentum novum, quod ſanctificavit ſanguine ſuo (Intellige, Chriſtus Dominus, Deus, & homo.)*

Pro: *Nunc dimittis.*

MAldonatus ait: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Salutem tuam, quam in mundum miſiſti, quam Zachar. Lucæ* 1. 68. *redemptionem appellaverat ſalutem tuam. Conſuetudinem vertendi ſeptuaginta & Græcè Lucas, & noſter interpres Latinè ſecutus eſt. Salutem autem Dei ſe vidiſſe, dicit, quia Chriſtum ſalutis Auctorem vidit. Etſi omnes ferè veteres interpretes Chriſtum ipſum ſalutem, quaſi Salvatorem, vocari putant. Baſil. in Pſalm.*61. *& Auguſtinus lib.* 1. *contra adverſ. legis, & Proph. cap.* 11. Cornelius dicit: *Per ſalutare intelligit Salvatorem Chriſtum, quem priſci Patres deſideraverunt videre, at ſolus Simeon vidit, contrectavit, & amplexus eſt. Audi eorum deſideria, Jacobi: Salutare tuum (id eſt, Salvatorem Chriſtum ex Juda, & poſteris meis naſciturum) expectabo Domine. Geneſ.* 49. 18. *Davidis: Defecit in ſalutare tuum anima mea. Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum. Concupivi ſalutare tuum Domine. (Pſal n.* 118. *verſ.* 81. 123. 174. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. Pſalm.*50. *verſ.* 14.) *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Pſalm.* 84. *verſ.*8.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

IN iſtis Canticorum novi Teſtamenti verbis poteſt notari quiddam, quod debetur jure: aliud, quod offertur piè: & alterum, quod diſtribuitur abundè. Debemus jure omnes generationes dicere Beatam, noſtram Dominam Virginem Dei Genitricem Mariam. Offert nobis Deus noſter piè facere nobiſcum miſericordiam. Diſtribuit abundè nobis Conditor noſter, & Redemptor ingreſſum in æternitatem jucundam. Canit Deipara, ſe Beatam ab omnibus hominum generationibus dicendam: canit etiam Zacharias, Deum voluiſſe miſericordiam cum Patribus noſtris, & ideò nobiſcum facere: canit quoque Simeon, ſe oculis corporis (& nos in ipſo ſene repræſentatos, oculis fidei Catholicæ, quouſque veniat felix tempus videndi facie ad faciem) Chriſtum Dominum videre. Ergo Virginem Dei Genitricem, beatam dicamus lætanter: ſperemus Divinam miſericordiam fideliter; & gratias agamus ob Chriſtum obtentum, jugiter. Sed heu! Quo pacto, cùm non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, acceptabiliter Deiparam (quæ in viis juſtitiæ ambulat, in medio ſemitarum judicii) laudabimus, ſi ab ipſis viis, & ſemitis juſtitiæ, ac judicii deflexerimus? Quomodò utiliter Divinam miſericordiam ſperabimus, ſi ſperare in

re in Domino, & facere bonitatem non ſatagentes, illudimur? Qua quoque via ad cœlum nobis oblatum inceſſanter tendemus, ſi à Chriſto, qui eſt via, veritas, & vita, magis quotidie noſtra mala operatione elongamur? Agejam ſic Beatam Mariam prædicemus, ut ejus greſſus ſectemur; ſic Divinâ ſperemus miſericordiam, ut novam vitam in Dei ſervitio exordiamur; ac ſic Deo reddamus gratias ob Chriſtum nobis manifeſtatum, ut præcincti, & quaſi parati ad ambulandum, curramus in odorem unguentorum ſuorum. His moti bonis affectibus, ſequentem orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut ſacroſancta myſteria, quæ pro reparationis noſtræ munimine contuliſti, & præſens nobis remedium eſſe facias, & futurum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Semper confert nobis Dominus Deus noſter ſacroſancta myſteria Corporis, & Sanguinis Chriſti Redemptoris noſtri pro reparationis noſtræ munimine; ſed confert illa hodie præcipuè in ipſius Chriſti glorioſa Reſurrectione. Nam Rex ſempiternus Cœlitum, rerum Creator omnium, æqualis ante ſæcula ſemper Parenti Filius, naſcente qui mundo Faber imaginem vultus ſui tradens Adamo, nobilem limo jugavit ſpiritum; &,qui,cùm livor, & fraus dœmonis fœdaſſet humanum genus, ille carne amictus perditam formam reformat Artifex; idem quidem ipſe eſt, qui natus olim ex Virgine, nunc è ſepulchro naſcitur, ſecumque nos à mortuis jubet ſepultos ſurgere. En qualiter qui ad noſtram reparationem munimur Sacroſanctis Myſteriis Corporis, & Sanguinis Chriſti, quæ celebrantur in Sacrificio Miſſæ; hodie per memoriam Reſurrectionis ſanctæ ejuſdem Chriſti noſtri Redemptoris, & Domini, accipimus in hac Dominica in Albis, & die Octava Paſchatis, ſecundùm miſericordiam Patris Æterni magnam, ſpeciale munimen, quod conferre dignatur ille ad noſtram reparationem. Per Chriſti quidem Corpus, & Sanguinem in Sacro Altari munimur, dum in hoc Sacro Convivio, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur: quia in hac ſacratiſſima eſca eſt virtus ad reparandas animas, & ad ſubveniendum illam guſtantibus; pinguis eſt enim panis Chriſti, & præbebit delicias regibus; & Elias ambulavit in fortitudine cibi illius (panis, ſcilicet, ſubcineritii) qui erat umbra, & figura hujus Sanctiſſimi Sacramenti; in quo eſt gratia cibativa reparatrix, ſi eſt in nobis ob noſtram miſeram conditionem vis caloris inordinati deſtructrix; quæ animæ interiora (velut calor naturalis ſtomachum corporis, alimento non munitum ad reparationem) conſumeret, niſi adderetur nobis ad nos reparandum Sacræ Eucharistiæ munimen. Sed ſi efficaciæ, ac virtuti Sacramenti Altaris addatur munimen ad reparationem noſtram, quod quidem reperitur etiam in myſterio Chriſti Reſurrectionis (quia Pater Æternus regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, ut ſuccincti lumbos mentis noſtræ, ſobrii perfectè ſperemus in eam,quæ offertur nobis, gratiam, non configurati prioribus ignorantiæ noſtræ deſideriis, ſed ſecundùm eum, qui vocavit nos, Sanctum: & ipſi in omni converſatione ſancti ſimus: & in timore incolatus noſtri tempore converſemur) reſultabit profectò ex unione Euchariſtiæ Sacratiſſimæ cum myſterii Reſurrectionis Dominicæ memoria maximum munimen ad noſtram reparationem. Petimus hodie, ut ſacroſancta myſteria à Domino pro reparationis noſtræ munimine collata, faciat idem Deus, eſſe noſtrum præſens remedium, & eſſe quoque futurum eadem myſteria. Præſens erunt remedium nobis in hac vita, & erunt nobis etiam futurum in gloria, ſi per nos non ſteterit, quòd remedium hoc utrumque non accipiamus, dum ad illa, ut decet, non nos præparaverimus. Utinam Deus quos ſuis reficit Sacra-

cramentis, ſuis non deſtituat benignus auxiliis: ut his Dei auxiliis nobis cooperantibus, per myſteria Divina accipere valeamus remedium præſens, & etiam futurum: præſens, quò ad perfectionem aptemur in hac vita: & futurum, quò gaudeamus in æternitate beata.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM

Pro Dominica ſecunda poſt Paſcha.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſecundæ poſt Paſcha. Qui quidem Textus eſt hic:

Semetipſos paſcentes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: *Se ipſòs regentes.* Verſio Arabica: *Gubernant ſe ipſòs ſine virtute.* Pagninus, & Vatablus: *Suopte ductu, arbitrioque viventes.* Alii: *Semetipſòs creant paſtores, & Epiſcopos.* Has verſiones affert Cornelius. Joannes de la Haye dicit: *Semetipſòs paſcentes: Alii: Regentes. Licèt utrumque dicatur: tamen meliùs vulgata: Paſcentes: agitur enim hìc de conviviis, in quibus quis paſcitur. Dicit autem Apoſtolus, ſe ipſòs paſcere, quia omnia ad proprium commodum, & utilitatem referunt.* Gloſſa Interlinealis ait: *Semetipſos paſcentes, non pauperes Chriſti. Non ſunt ſub vero Paſtore.* Hugo Cardinalis dicit: *Semetipſòs paſcentes. Contra illud Job. 31. 6. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. Et tangitur hìc aliud peccatum, ſcilicet immiſericordia. Unde Job. 20. c. Non remanſit de cibo ejus, propterea nihil remanebit de bonis ejus. Ezechiel. 34. a. Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſòs.* Nicolaus de Lyra: *Semetipſos paſcentes. Superfluè in quantitate, & qualitate.* Eſtius: *Semetipſos paſcentes. Græca vox ſignificat etiam regentes, quomodo vertit interdum vulgatus Interpres, ut Pſalm. 2. Reges eos in virga ferrea. Et 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Quod ſecutus quidam, ita paraphraſticè vertit hunc locum: Suopte ductu arbitrioque viventes: Id enim eſt, ſemetipſos regentes; videlicet, nullius parentes imperio, ſed quod ipſis collubitum eſt, agentes. At verò pleriſque magìs placet: Paſcentes; quomodò noſter tranſtulit: quod ſenſum habet obvium, ac ſi dicat Apoſtolus: Cùm profiteantur ſe doctores, quorum eſt paſcere verbo Dei: ſe ipſòs quidem, auditores ſuos non paſcunt, ſed necant venenoſò pabulo, ſemetipſòs autem carnaliter, ac delicatè paſcunt impenſis, quas à ſuis auditoribus accipiunt, aut extorquent. Quemadmodùm faciebant illi pſeudo Apoſtoli, de quibus Paulus 2. ad Corinth. 12. 11. Suſtinetis enim, ſi quis accipit. Ad hunc quippe modum iſtud: Paſcunt ſemetipſos, ſumitur apud Ezechiel. cap. 34. ubi in reprehenſione paſtorum Iſrael ter repetitur, quòd paſcebant ſemetipſòs.* Menochius: *Semetipſòs paſcentes, ſcilicèt, delicatè.* Tirinus: *Semetipſòs paſcentes. Oviculas ſibi creditas deglubentes, imò mactantes, & ipſarum carnibus, ſanguine, exuviis, paſcentes non pauperes, ſed ſemetipſòs.* Cornelius à Lapide *Semetipſòs paſcentes. Quaſi dicat: Paſtoris eſt paſcere oves, non ſe ipſòs. At hi pſeudopaſtores paſcunt ſe, non oves, imò oves deglubunt, ut iis, eorumque bonis ſe paſcant. Boni paſtoris eſt paſcere etiam corporaliter pauperes. At hi eleemoſynas, quas à Fidelibus corrogant pro pauperibus, ſibi arrogant. Alludit ad Ezechiel. 342. Vide ibi dicta. Secundò, OEcumenius Græcum verbum correſpondens Latino: Paſcentes, exponit: Regen-*

gentes. Olim enim Reges vocabantur, & erant Paſtores populorum. Qua enim diligentia, cura, & humanitate paſtor paſcit, regitque oves, eadem Rex paſcere, & regere debet populum. Alii legunt: Semetipſos creant paſtores, & Epiſcopos, non vocati à Deo, nec electi ab Eccleſia Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

I*Mpendamus virtuti, quod ſubtrabimus voluptati. Fiat refectio pauperis abſtinentia jejunantis.* Sic ajebat Sanctus Leo Magnus. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo? Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodò poteſt diligere?* Hæc dicit Sanctus Joannes Apoſtolus. *Si frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace: calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Hucuſque S. Jacobus Minor. Pudeat, dum hæc audiunt, eos, qui paſcunt ſemetipſos, & ſe nominant Catholicos, & Chriſtianos. Si re tales curarent eſſe, & non tantùm nomine, non eſſent ſemetipſos paſcentes, nec deſpicerent egenos; imò alerent inopes, & nutrirent Chriſti pauperes. Ille beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Arbor quidem, quæ eſt in ripa fluminis, ſumit aquam ſibi congruentem, & aquam quoque ad alias irrigandas arbores permittit currere, nec totam intendit bibere, deglutire, & abſorbere: ideò dat fructum in tempore ſuo, & folium ejus non defluet; ſed ſi anhelans ſolùm ſemetipſum paſcere, vellet ſibi totam fluminis aquam, arborum aliorum immemor; tunc non modò careret fructu, ſed putreſcens, etiam orbaretur folio; quia eadem aqua, quæ ad vitam vegetativam juvat, immoderatè ſumpta, & uni tantùm arbori avaro applicata, dum arboris fructificationem impedit, etiam ab eo foliorum tegumentum, atque venuſtatem tollit. Utinam illi, qui ſunt ſemetipſos paſcentes, ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent! Sed miſeri pereunt, quia ſemetipſos paſcunt, & paſcere proximos obliviſcuntur. Non ſapiunt; & ideò ſaporibus, & ingluviei ventris intenti, pauperes paſcere negligunt, ac ſic miſerè damnantur. Non intelligunt ſuper egenum, & pauperem; ideò non erunt beati, nec in die mala liberabit eos Dominus; nec Dominus conſervabit eos, nec vivificabit eos, nec beatos faciet eos in terra; ſed tradet eos in animam inimicorum illorum. Noviſſima non provident; nam, ſi memorarentur noviſſima ſua, in æternum non peccarent ea crudelitate, qua proximos, quos non paſcunt, occidunt. Eſt jucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur. Illa mulier fortis ridebit in die noviſſimo, quia multis proficiens, & multos paſcens, ad ſuæ gloriæ incrementum, facta eſt quaſi navis inſtitoris. de longè portans panem ſuum: manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem: de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Ab homine igitur illo jucundo, & à muliere forte ſumamus exemplum, & ab illis hominibus ſemetipſos paſcentibus, & miſerè damnatis, experimentum, ut illo exemplo moti noſtros proximos paſcamus, & hoc experimento ducti, non iniquè paſcamus noſmetipſos. Sic mala peccatorum vitabimus: ſicque, Deo dante, bona beatorum obtinebimus. Jam ergo, ut fugiamus peccata, & ſupplicia, utque aſſequamur bona opera, & quæ his reſpondent, præmia; oremus in duabus ſequentibus orationibus, quas hodie proponit Eccleſia Catholica coram Majeſtate Divina.

Oratio Officii Dominicæ ſecundæ poſt Paſcha, quæ eſt prima in Miſſa illius.

D*Eus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexiſti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam: ut quos perpetuæ*

tuæ mortis eripuiſti caſibus, gaudiis facias perfrui ſempiternis. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

JAcebat quidem mundus culpis, ac pœnis involutus, atque miſerrimè ſuper terram conſternatus, & proſtratus, imò etiam infernali morti ſecundæ, quæ eſt ſubtus terram, vicinus: & ſic jacens, poterat de manu Dei, ut in æternum non reſurgeret, dimitti, niſi adeò magna eſſet miſericordia ipſius Domini noſtri, in cujus manu ſunt univerſi fines terræ. Sua igitur miſericordia, ac bonitate motus Pater Æternus ſtatuit mundum erigere in Filii ſui ſanctiſſimi humilitate. Ob hoc miſit Filium ſuum in mundum, non ut judicaret mundum, ſed ut ſalvaretur mundus per ipſum: venit Chriſtus quærere, & ſalvum facere quod perierat, & ut homines vitam habeant, & abundantiùs habeant. Dum mundus jacens dicere poterat: *Adhæſit pavimento anima mea*, Deus vivificavit illum ſecundùm verbum ſuum; quia viſitavit, & fecit redemptionem Iſrael plebis ſuæ, ſicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus: & dans lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael (ut Chriſtus eſſet ſalus ſua uſque in extremum terræ) uſus eſt ſua benignitate maxima, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. In Filii ſui humilitate jacentem mundum Deus Pater erexit: quia, cùm Chriſtus ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum; exaltatus ipſe à terra omnia traxit ad ſe ipſum, & vadit parare nobis locum, ut ubi eſt, ille nos ſimus. *Humiliavit ſe Rex noſter, ut ſuos milites exaltaret*, ait Sanctus Fulgentius: *Unigenitus Dei Filius naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret factus homo*, dicit Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus: & cùm multi unum corpus ſimus in Chriſto, ut docet Sanctus Paulus Apoſtolus: *quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis, ac in Chriſto Cœlorum ſuperna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quàm per diaboli amiſeramus invidiam*, inquit Sanctus Leo Magnus. Sed neceſſarium eſt (ut ſimus beati viri, quorum ſit auxilium abs Deo; & poſtquàm dedit benedictionem Legiſlator Chriſtus, qui elevatis manibus benedixit diſcipulis, & ferebatur in cœlum, eamus de virtute in virtutem, ac videatur Deus Deorum in Sion cœleſti à nobis) neceſſarium eſt, inquam, quòd aſcenſiones in corde ſuo diſponat quiſque noſtrûm, quæ ſurſum ſunt quærens, & juxta obligationes propriæ profeſſionis, officii, & ſtatus, modum aſcendendi cum Chriſto in cœlum, ac non jacendi ſuper terram, diſponens: & quòd (adjuvantes noſmetipſos, nè in vacuum gratiam Dei recipiamus, ſed Dei adjutores ſimus, ut loquitur Sanctus Paulus) Divinæ gratiæ nos excitanti, ac è terra, & terrenis nos erigenti cooperemur, toto affectu inclinantes in bonam partem, & ad efficienda opera ſalutaria, noſtrum liberum arbitrium priùs ad iſta à Deo noſtro motum, & excitatum. Quando audierimus interiùs vocem dicentem: *Aſcende huc* (quia vox Dei inſpiratio ejus eſt, ſecundùm Sanctum Bernardum,) ſtatim ſimus in ſpiritu, ut dicitur in Apocalypſi Sacro: ac, velut Sancti Jacobus, & Joannes, quando Jeſus vocavit eos, ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum: & ſicuti Sanctus Matthæus, cui dixit noſter Redemptor: *Sequere me*, & ille ſurgens ſecutus eſt ipſum Chriſtum, promptiſſimè relicto eo, in quo ſedebat, telonio; ita nos, hodie ſi vocem Domini audierimus, nolimus obdurare corda noſtra; ſed, dum tempus habemus, operemur bonum; & ambulemus, dum lucem habemus, ut non nos tenebræ comprehendant: & vigilemus, quia neſcimus diem mortis, neque horam. Poſtquàm hodie Patrem Æternum invocavimus, & eum in Filii ſui humilitate jacentem mundum erexiſſe, confeſſi ſumus; petimus, quòd ipſe, qui erexit mundum jacentem, Fidelibus ſuis perpetuam concedat lætitiam: ut faciat, ſuos

Fideles perfrui ſempiternis gaudiis; quos quidem Fideles jam eripuit à caſibus perpetuæ mortis. Quarè enim non ſperabimus glorificari ab illo Deo benigniſſimo, cui complacuit dare nobis regnum ſua liberaliſſima benignitate, cùm anteà placuiſſet ei nos à caſibus perpetuæ mortis eripere? A perpetuæ profectò mortis caſibus mundum Pater Æternus eripuit, quando eumdem mundum jacentem voluit erigere in Filii ſui ſanctiſſimi humilitate. In perpetuæ quidem mortis caſibus jacens verſabatur miſerrimè mundus, qui jacebat ſomnolentus, jacebat conſternatus, imò & jacebat mortuus; ſomnolentus, nempe, præ pigritia, non operans bonum; conſternatus per fragilitatem, inclinatus ſemper ad malum; ac mortuus, utpote qui ad peccandum læthaliter erat peſſima conſuetudine ductus. In Filii verò ſui humilitate Pater Æternus erexit mundum ſomnolentum, ut hic poſſit dicere: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*; erexit mundum conſternatum, ut ille cum Daniele ſancto (qui aliquando corporaliter jacebat conſternatus ſuper faciem ſuam, & vultus ejus hærebat terræ) dicat: *Ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea*: erexit denique Pater Æternus mundum mortuum, ut de iſto, velut de filio anteà prodigo, dicatur: *Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt*. Itaque Deus Pater Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ, quando in Filii ſui humilitate erexit mundum ſomnolentum, illum excitans; erexit mundum conſternatum, ipſum exaltans; & erexit demùm mundum mortuum, eum ad vitam gratiæ reſuſcitans.

ORATIO SECRETA.

B*enedictionem nobis, Domine, conferat ſalutarem ſacra ſemper oblatio: ut quod agit myſterio, virtute perficiat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

Benedictio Domini ſuper caput juſti. Ergo qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, ut accipiat benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Ut benedicti ſimus nos à Domino, qui fecit cœlum, & terram, probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo (nempe, menſæ Sacri Altaris) edat, & de calice bibat. Hodie benedictionem à Deo petentes, dicimus: *Benedictionem nobis, Domine, conſerat ſacra ſemper oblatio*. Domini eſt ſalus: & ſuper populum ſuum benedictio ejus. In virtute Domini lætabitur rex, id eſt, homo Chriſtianus Catholicus ſe regens, & regulata vita vivens: & hoc faciens, ſuper ſalutare Dei (id eſt per Chriſtum) exultabit vehementer. Dominus deſiderium cordis ejus tribuet ei, & voluntate labiorum ejus non fraudabit eum, quoniam prævenit eum in benedictionibus dulcedinis. In his vult nos Dominus Deus noſter prævenire: & virtus Domini eſt ad ſanandum nos: ac virtus de ſancto Sacrificio Miſſæ exibit, & ſanabit omnes, ſi Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſeruerit pectoribus noſtris amorem ſui nominis, & præſtiterit in nobis religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutriat, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita, cuſtodiat. Si ſacra ſemper oblatio bene dictionem ſalutarem nobis contulerit; quod agit myſterio, virtute perficiet. Oblatio ſacra eſt virtute perficiens, quæ eſt myſteriis nobis proficuis ſcatens; quia Deus ſacram oblationem vult myſteriis ſcatere, ut nos valeat virtute oblatio ipſa perficere. Myſteriis ſacræ oblationis Deus nos docet; quos etiam virtute oblationis perficit. Proficua quidem eſt nobis oblatio dogmatibus nos noſtræ veræ fidei imbuens, & ſimul nos perficiens, ac ſua magna virtute quotidie meliores reddens. In Chriſto benedicentur omnes tribus terræ, & diſcent dogmata Sacra ab Altaris oblatione ſemper myſterio agente: omnes gentes magnificabunt ipſum Dominum, ex ejuſdem oblationis virtute reportantes perfectionem cum maxima utilitate. Benedictus

dictus Dominus Deus Iſrael, quia facit mirabilia ſolus: & cantemus Domino canticum novum, quia mirabilia facit, ſemper, quantum eſt ex ſe, benedictionem nobis ſalutarem per oblationem Altaris conferens, & per eam myſterio agentem, virtute nos feliciter perficiens, ut hauriamus aquas gratiæ, & gloriæ in gaudio de fontibus Salvatoris.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes -- Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti -- Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Barradas dicit: *Vidit Divam Virginem Divina gratia inſigniter illuſtratam Damaſcenus, & beatiſſimam prædicavit Orat. 1. de Aſſumpt. Si eorum, inquit, qui juſtitiam coluerunt, memoria laudibus celebranda eſt, ecquit tandem juſtitiæ fonti, ac ſanctitatis theſauro laudem non adhibeat? Beata es, Virgo, inter omnes generationes, ſolaque digna, quæ beata prædiceris. Ecce enim beatam te dicent omnes generationes, quemadmodùm ipſa dixiſti. Te filiæ Jeruſalem, id eſt, Eccleſiæ, viderunt, ac reginæ, id eſt, juſtorum animæ, beatam te dixerunt, atque in ſæcula collandabunt. Hæc ille: & alia multa, quæ brevitatis cauſa ſileo.* Cornelius inquit: *Beatam me dicent omnes generationes, multis nominibus, & titulis, quos recenſet Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſ. in tract. 4. notula 1. ſuper Magnificat. Dignare, inquit, nos laudare te, Virgo Sancta, ò ter, quaterque beata. Beata primò, quæ credidiſti, clamat Eliſabeth. Beata ſecundò, quia gratia plena, ſecundùm Gabrielis ſalutationem. Beata tertiò, & benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Beata quartò, quia fecit tibi magna, qui potens eſt. Beata quintò, quia Mater Domini. Beata ſextò, quia fœcundata es cum Virginitatis honore. Beata ſeptimò, quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Inter hos omnes titulos præcipuus, & fons ceterorum eſt, quod Beata Virgo à Deo electa, & facta ſit Mater Verbi incarnati.* Vincentius Regius hæc habet: *Divus Thomas Opuſc. 4. aliquot etiam in medium allatis rationibus Virginem Mariam beatam eſſe confirmat. Primùm quidem ob gratiæ donum, quia, ſi animum ejus reſpicias, gratia redundabat, quamobrem ab Angelo plena gratia dicta eſt. Inerat enim in ejus animo omnis plenitudo gratiæ, quæ, ut idem Doctor ait, propter duas res dari conſuevit, ut, ſcilicèt, benè quis operetur, & ut malum fugiat. Hæc autem duo perfectiſſimè in ea fuerunt, quæ omnis generis virtutibus ornata; & ſine ulla peccati labe fuit. Deinde, ſi corpus ſpectes, etiam quantùm ad hoc, eſſe illam gratia plenam negare non poterit. Erat enim ita magna ejus gratia, ut in corpus etiam ſuo modo redundaret, ex quo, & in quo Dei erat Filius concipiendus. Denique, plena gratia, fuit, quod ad alios attinet; derivantur enim ab ea ad nos omnes, nec pauca, nec parva gratiarum auxilia, juxta illud Cantic. 4. Mille clypei, id eſt, remedia contra omne peccati genus, & periculorum, pendent ex ea, innumeraque ſubſidia contra immaniſſimam hoſtium infeſtationem. Secundò, beata eſt, quia libera, immuniſque eſt ab omni maledicto. Triplex enim maledictum illatum eſt homini. Primum mulieri, ut polluta conciperet, cum dolore pareret, & cum labore geſtaret fœtum. Maria; ut patet Eſai. 35. Germinans germinabit lætabunda, & laudans. Alterum maledictum eſt viro illatum: In ſudore vultus tui, &c. Hoc illa caruit, quia non modò Virgo, ſed Magiſtra, & Virgo Virginum fuit. Porrò de veris Virginibus 1. Corinth. 7. aſſeritur, quòd ſolutæ ſint curis hujus mundi, & ſolicitudinibus, & uni ſoli Deo vacent. Tertium maledictum commune eſt viris cum mulieribus, ut in morte ſolvantur in cinerem; Verùm ſecùs, opinione Patrum, ſentiendum eſt de Beata Virgine. Denique tertiò Beata, benedictaque eſt, in primis ob Filium. Nam, ſi benedicta eſt*

Digitized by Google

arbor, cujus benedictus eſt fructus, quid miramur, ſi Mariam Beatam, benedictamque dici, prædicarique, affirmamus? Porrò Mariani ventris fructus trifariam benedictus eſt, & quia delectabilis ad edendum, guſtandumque, & quia per illum ſimiles evaſimus Deo: quæ tria bona in fructu paradiſi quæſivit Eva, ſed non invenit, peſſimo errore decepta; hæc tamen nobis ſuo tam inſigni, Divinoque fructu Maria repræſentavit, & contulit. Hæc ex Divo Thoma. Huculque Vincentius Regius.

Pro: *Benedictus.*

SImeon de Caſſia ait: *Ad faciendam miſericordiam, &c. Dilata erat miſericordia, non ablata: prorogata, non denegata. Sed nunc canit præ gaudio Zacharias: quoniam Deus viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ, & cornu ſalutis erexit, ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Teſtamentum ſanctum eſt promiſſio futurorum, promiſſio Filii ſui Sancti Sanctorum, & firma pollicitatio ſupernorum; cujus memoratus, cùm plenitudo temporis venit. Hæc jam in figura expetirerat David: Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Spes divinorum dumtaxàt datur ex verbo. Nunquàm aliter ſpes in divinis, præterquàm ex verbis innaſcitur; in humanis autem ex verbis, quæ ad invicem homines pollicitando conferunt, aut ex conſuetudine naturæ, qua ſemina ex ſeminibus, fructus ex arboribus capiuntur. Proinde David ſpem tenebat ex verbo, cujus memorem pollicitatorem Dominum eſſe, quærit. Sed eſt teſtamentum ſanctum, & eſt teſtamentum ſancti ſui. Teſtamentum ſanctum, vetus eſt, juxta quod, ſi nobiſcum incedit, nihil aliud, imò minus, quàm Patres noſtri, ſuſcipiemus: Sed inquit David: Reſpice in teſtamentum tuum: in eum, videlicet, quod diſpoſuit per Filium ſanctum ſuum, cujus Zacharias dicit Dominum memorari. Etiam Jeremias longè antè de teſtamento hujuſcemodi prophetavit: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda pactum novum: (aliàs Teſtamentum novum) Non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua apprehendi manum, ut educerem eos de terra Ægypti. Et quæ ſequuntur, in hac declaratione conveniunt. Novum pactum, novumque teſtamentum non eſt, ſicut, ex quo in hæreditatem, præter quam temporalia non cedebant; ſed eſt, quo, morte Teſtatoris confirmato, cæleſtis, atque ſuperna confertur hæreditas; non, quo terrena ſalus, corporaliſque ſanitas, ſed, quo æterna, ſpiritualiſque proſperitas confertur. Teſtamentum ſanctum, ſanguinem habet hircorum, vitulorum, & aliorum animalium; Teſtamentum ſui ſancti, ſanguinem habet proprium Filii Dei. Neque ſalus erat in ſanguine animalium, nec liberatio captivorum; ſed in ſanguine Teſtamenti Sancti Dei, prout per alium Zachariam Prophetam fuerat antè prædictum: Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Qui Sanguis ante Paſſionem impaſſibiliter datur Diſcipulis, quibus Salvator dicit: Bibite ex hoc omnes: hic enim eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et ideò Chriſtus ſui novi, ſanctique Teſtamenti Mediator exiſtens, quod confirmavit ſuæ mortis interceſſione, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, remiſſionem accipiant omnes, qui vocati, & electi eſſe participes hæreditatis æternæ. Ubi enim novum Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt ut intercedat Teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt. Quod ſpiritu prophetico videbat Zacharias, Dei memorari hujuſcemodi Teſtamenti, quod ab æterno diſpoſuerat, per Prophetas promiſerat: in quo ſalus: in cujus ſanguine liberatio: in quo ſuperna hæreditas vocatis, & electis tribuitur. Quod morte confirmandùm ipſe videbat, noſque in fide inhæſitante aſpicimus confirmatum; de quo jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Quoniam in ſemine ſuo, benedictionem conſtituit omnium gentium.* Hucuſque Simon de Caſſia. Cornelius inquit: *Et memorari, &c. (Græcè: Meminiſſe, recordari, eſſe memorem.) Eſt Græciſmus, quaſi dicat: Ut memoraretur, ſeque memorem oſtenderet Teſtamenti, id eſt, pa-*

ti cum Patribus de Meſſia naſcituro initi. Pactum hoc cum Abraham, Iſaac, & Jacob à Deo ſancitum extat Geneſ. cap. 12. v. 3. & cap. 20. v. 4. & cap. 28. v. 14. Eſtque hoc: Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ. Benedictionem hanc explicat Jeremias cap. 31. v. 31. dicens: Et feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum, &c. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, &c. quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabar ampliùs. Hæc apud Cornelium.

Pro: *Nunc dimittis*.

TOletus ait: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Hoc nomine appellatus eſt ſæpè in veteri Teſtamento Chriſtus. Eſt autem Pleonaſmos: Viderunt oculi mei; quæ tamen habet emphaſim, ſicut dicimus: Hiſce oculis vidi. Eſt etiam antitheſis quædam:* Oculi mei, *ſalutare tuum, exprimens ſingulare quoddam beneficium, ut oculi ſenis hominis obtinuerint videre ſalutare Dei, & Deum ipſum in carne.* Hæc Toletus. Sylveira dicit: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. In Pſalmis dicitur ſalutare Dei, & ſalutare hominum. Dicitur: Salutare meum, prout ſalutem hominum operatus eſt; dicitur etiam: Salutare tuum, ſcilicet, Dei, quia eam ſalutem operatus eſt, quam ſolus Deus potuerat donare. Vel, quia ille Filius eſt de ſubſtantia Patris. Vel denique, quia adeò magnam agnovit eſſe Æterni Patris erga homines benignitatem, ut noſtram ſalutem ſuam propriam reputaret.* Barradas inquit: *Indicavit Spiritus Sanctus Simeoni diem, qua oblatus eſt in templo Meſſias. Venit ergo in ſpiritu, ſive per Spiritum, hoc eſt, revelante Spiritu Sancto, ac ducente, in templum. Cùm verò Virgo, & Joſeph inducerent Chriſtum infantem, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, hoc eſt, ut illum Deo, tamquàm primogenitum traderent, & quinque ſiclis redemptum acciperent, offerrentque pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum, juxta ea, quæ ſuprà diximus; non fuit ſatis veneranda, ac ſitibundo ſeni bonorum omnium vidiſſe fontem, &, Spiritu Sancto indicante, agnoviſſe: acceſſit propiùs, ulnis feliciſſimis excepit, novumque Canticum cygnæa voce edidit.* Hæc Barradas.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

NOn erat qui de Judith loqueretur verbum malum. Non ſit qui de Beata Virgine Dei Genetrice Maria (quam præfigurabat Judith) non loquatur verbum bonum. Eructet ergo cor noſtrum verbum bonum, & ex abundantia cordis os loquatur, ut Deiparam Virginem dicant Beatam omnes generationes, & per ipſam, cum ipſa, & in ipſa laudent Dominum omnes gentes. Confirmata eſt ſuper nos miſericordia hujus Domini, de quo dicit Zacharias: *Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti*, ac de quo dicit Simeon: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, Domine*. Væ nobis, ſi non euangelizaverimus, Deiparam Beatam appellantes, Dei miſericordiam laudantes, & Chriſtum benedicantes. Dicamus Mariam Beatam, quoniam genuit nobis vitam. Laudemus Dominum, qui fecit nobiſcum miſericordiam. Benedicamus Chriſtum, qui acquiſivit nobis felicitatem æternam. Vitam datam per Virginem gentes redemptæ plaudamus. Deum, qui mirificavit miſericordias ſuas nobis, ſecuri magnificemus. Chriſtum, qui cœlum aperuit nobis, tota devotione extollamus. Plaudentes vitam à Maria nobis genitam, plaudemus Divinam miſericordiam ſalutare Dei nobis præparantem ad noſtram ſalutem, & redemptionem. Laudantes Dominum, qui fecit miſericordiam nobiſcum, laudabimus eum præcipuè, quia per Mariam ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam. Benedicentes Chriſtum, Beatam dicemus Virginem Dei Genitricem Mariam, quia beatus eſt venter, qui illum portavit, & beata ſunt ubera, quæ ipſe ſuxit. Sicque etiam lau-

laudabimus Dei miſericordiam, quæ raliter nobis favir, quando nobis Chriſtum, & Mariam dedit. Cùm Euchariſtiam ſumimus, Bearam dicimus Deiparam, quia, dum caro Chriſti eſt caro Mariæ, juxta Sanctum Auguſtinum, adoranres ſacram humanitatem Verbo hypoſtaticè uniram, non poſſumus non Beatam Virginem Dei Genirricem prædicare, ſiquidem ex ipſa, & in ipſa placuit Filio Dei carnem ſumere. Quando Sacramento Sanctiſſimo Altaris appropiamus, illum Deum, qui memoriam fecit mirabilium ſuorum, ut miſericors, & miſerator Dominus, & ejus magnam miſericordiam ore pleno benedicimus. Etiam, quando ſacram Communionem accipimus, in hymnis, & canticis Chriſtum Salvatorem, Ducem, & Paſtorem laudamus. Quantum ergo poſſumus, tantum audeamus, quia major omni laude, nec laudare ſufficimus. Saltem humili corde Orationem ſequentem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

PRæſta nobis quæſumus Omnipotens Deus: ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes, in tuo ſemper munere gloriemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

SI converſus Dominus vivificaverit nos, plebs Domini Dei ipſius lætabitur in eo. Utinam convertat nos Deus ſalutaris noſter, & avertat iram ſuam à nobis. Convertat nos Dominus,& convertemur; ſed etiam convertamur ad eum, & convertetur ad nos, ut nobis dicit Dominus exercituum. Converſus Dominus conſervet nos, & vivificet nos, & non tradat nos in manus inimicorum noſtrorum. Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult, vivificat. Spiritus eſt, qui vivificat; caro autem non prodeſt quidquam. Urinam retribuat ſervis ſuis, vivificet nos Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & cuſtodiemus ſermones ſuos. Avertat oculos noſtros, ne videamus vaniratem, in via ſua vivificet nos. Concupiamus mandata ſua, & ſic in æquirate ſua vivificabit nos. Hujus vivificarionis gratiam hodie deſideramus, dum dicimus: *Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes, in tuo ſemper munere gloriemur.* Vivificati poterimus gloriari; ita tamen, ut qui gloriatur, in Domino glorierur. Quid gloriatur, quaſi non acceperir, ille, qui, ut omnes alii, nihil habet, niſi quod à Deo accepit? cùm verum ſir, quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. Gloriabimur in Dei ſemper munere, ſi à Domino Deo noſtro grariam vivificationis ſuæ conſecuti fuerimus, unde gloriari in Deo ipſo valeamus. Non ſuperbiamus qui ſumus terra, & cinis. Non gloriemur noſmetipſos commendantes. Gloriemur in Dei munere; quia ſufficienria noſtra ex Deo eſt. *Numquid* (ait Iſaias) *gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trabitur? quomodò ſi elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt. Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum, in pinguibus ejus tenuitatem: & ſubtus gloriam ejus ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis.* Hucuſque Iſaias. *Deus poſuit oculum ſuum ſuper corda hominum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent; & gloriari mirabilibus illius, ut magnaglia ennarrent operum ejus*, ait in libro Eccleſiaſtici Sacer Textus. In Dei ſemper munere gloriari expetit nobis hodie noſtra Sancta Marer Eccleſia: ut gloriemur in ſpe filiorum Dei; quam quidem ſpem nobis ſacra præſtar Euchariſtia, quia hæc eſt Dei munus, & pignus ærernæ fururæ gloriæ. Itaque nobis accedentibus ad Dei ram magnum munus abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti; cùm Chriſtus hoc Sacramenrum voluerit inſtituere, tamquàm Paſſionis ſuæ memoriale perenne.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM

Pro Dominica tertia poſt Paſcha.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ tertiæ poſt Paſcha. Qui quidem Textus eſt hic:

Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legis: *A' ventis circumaguntur*: Verſio Syriaca: *Nubes ſine aqua, quæ ob ventos vagantur.* Arabica: *Similes nubi aqua carenti, & à ventis abactæ*: Æthiopica: *Incedunt ſecundùm cupiditates ſuas.* Regius Codex: *A' ventis conferuntur.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Nubes ſine aqua, quia alios obſcurant, quæ à ventis circumferuntur: quia ad ſuggeſtionem ſpirituum immundorum in diverſos vitiorum errores raptantur.* Gloſſa Ordinaria: *Comparant ſe prædicatoribus pluentibus juſtitiam, coruſcantibus per miracula; ſed ipſi ſunt nubes obſcurantes ſolem, ponentes in cœlum os ſuum, perverſa ſuperbè docendo, ſine aqua ſapientiæ.* Hugo Cardinalis: *Nubes ſine aqua. Ecce impetuoſitas: quia tales nubes ſunt generativæ fulguris, & tempeſtatis: quæ à ventis circumferuntur. Ecce inſtabilitas; & impatientia. 2. Petri, 2. d. Hi ſunt fontes ſine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ. Neque enim ſunt aqua ſapientiæ ſalutaris, & de qua Dominus potat ſuos, ſicut dicit Eccleſiaſtic. 15. a.* Nicolaus de Lyra: *Nubes ſine aqua, ſapientiæ ſalutaris: quæ à ventis circumferuntur, ſuperbiæ motibus, & vanitatis.* Eſtius: *Nubes ſine aqua, &c. Deinceps ſeductores illos Sanctus Judas depingit colore ſimilitudinum quarumdam. Hujuſmodi enim quatuor adducit: quarum hæc prima, eaque ſola eſt etiam à Petro adducta verbis nonnihil diverſis, ubi ait: Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ, ſeu nubes, turbinibus exagitatæ. Pro circumferuntur Regius Codex habet: Conferuntur, quod conſonat Græco, quod in eodem Codice Regio legitur & in aliis nonnullis: quamquàm in plurimis eſt: Quæ circumferuntur: quam nec dubitamus veriorem eſſe lectionem. Nobis ſenſus ille maximè probatur, quem indicavimus noſtro ad locum Beati Petri Commentario, propterea falſos magiſtros vocari nubes ſine aqua, id eſt, nubes leves, ac ſteriles, quia pluviam promittunt veræ, ac ſalutaris doctrinæ, nec tamen exhibent. Addit Apoſtolus: Quæ à ventis circumferuntur, quòd more nubium, quæ procellis agitantur, inconſtantes ſint in ſuis dogmatibus, fingentes, ac refingentes, prout affectus cupiditatum, veluti venti quidam, ad hanc, aut illam novitatem doctrinæ eos impulerint. Vide quæ in Petro diximus. Extat hæc methaphorica phraſis etiam apud Paulum Epheſ. 4. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, &c. Ex quo etiam loco apparet, hic legendum eſſe: Circumferuntur.* Menochius: *Nubes ſine aqua, nubes ſteriles, & infœcundæ, quæ videntur aquam ad hominum refrigerium, & terræ fœcunditatem promittere, ſed eam non præſtant. Sic Gnoſtici inane ſcientiæ, & doctrinæ nomen præferebant, ſed eam non præſtabant. Quæ à ventis circumferuntur. Notat aliam hæreticorum proprietatem, nimirum, levitatem, & in ſuis dogmatibus inconſtantiam, ſemper enim fluctuant, nec umquam ſtabiles conſiſtunt, ex uno errore in alios incidentes.* Tirinus: *Nubes ſine aqua, ſteriles, infœcundæ, copioſam pluviam promittentes, ſed nullam præſtantes. Variis ventis, & ſuggeſtio-*

Digitized by Google

geſtionibus dæmonum in varias doctrinas circumferuntur, inſtar Euripi ſemper fluctuantes, & nunc in hos, nunc in illos errores, ſola innovandi libidine prorruentes, inquit Tertullianus, Iræneus, & Vincentius. Cornelius hæc habet: *Nubes ſine aqua. Puta, nubes ſteriles, infæcundæ. Tropologicè: Nubes ſine aqua ſunt Concionatores pompoſi, & verboſi, qui aures ſcalpunt, ſed cor non feriunt. Secundò, OEcumenius; Sicut nubes, inquit, ſine aqua agitata ventis, ea loca, quibus incumbit, non refrigerat aqua, ſed caligine obducit, & offuſcat; ita hæretici animas ſalutari ſermone non irrigant, recreant, & fæcundant, ſed deteſtabilibus documentis obtenebrant. Tertiò, Beda: Sicut nubes ſteriles, ait, à ventis circumferuntur, ita hæretici ventis, id eſt, flatibus, & ſuggeſtionibus dæmonum in diverſos vitiorum raptantur errores. Rurſum, ſicut nubes à vento inſtar fumi diſpellitur, & evaneſcit, ita & hæretici ſuo vanitatis ſpiritu diſſipantur, & evaneſcunt. Ita Sanctus Athanaſius de Juliano Apoſtata jam regnante, & in Fideles graſſari incipiente: Secedamus, ait, paululùm, ò amici: eſt enim nubecula, quæ citò præterit, & evaneſcit, teſte Socrate lib. 2. cap. 22. Verus fuit Vates; ſequenti enim anno occiſus fuit Julianus. Verè Job. cap. 1. 9. Sicut, ait, conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcenderit in inferos non aſcendet. Alludit Sanctus Judas ad Simonem magnum, qui inſtar nubis vento agitatæ volavit per aerem raptatus à dæmone, ſed precibus Sancti Petri proſtratus crura confregit. Nota tò: Circumferuntur: hæretici enim ab una hæreſi in aliam, & in aliam dilabuntur, atque in dies nova cudunt dogmata, juxta illud: Impii ambulant in circuitu, dogmatum, & errorum. Unde Sanctus Hilarius ad Conſtant. Imp. ait, Arrianos plurimas habere fides, nè ulla eſſet, imò annuas, & menſtruas, adeòque tot habere fides, quot voluntates. Verè noſter Fruſius: Cur nunc tot fidibus Inditur una fides? Protei ergò, & Chamæleontes ſunt hæretici, qui inſtar Euripi fluctuant ſemper, & nuſquam ſtabiles conſiſtunt. Vide Iræneum lib. 1. cap. 5. Tertullian. lib. de præſcript. cap. 42. Vincentium Lirinenſ. contra prophanas hæreſum novitates.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

ALiud eſt nubes aqua plenas, ad irrigandos pluvia agros, volare: & aliud quidem nubes ſine aqua à ventorum vi circumferri: & nubes ſine aqua à ventis ipſas circumferentibus ductæ, ſunt noculentæ: illæ verò, quæ cum aqua volant ad irrigandum, proficuæ. Nubes aquoſa terram fæcunditate donat, quando nubes ſine aqua & tonitrua ſæpè edit, & fulmina horriſona ad homines interficiendos explodit: acſi idem ſit nubes ſine aqua circumduci, quòd ex aere tela ignita à mittere ad internecionem; ſicut idem eſt lapidem in funda circumduci manibus fundibularii, ac lapidem ipſum parare, ut inde ejectus majori vi exeat, & plùs hominibus noceat. In circuitu impii ambulant: & ideò, cùm initium omnis peccati ſuperbia ſit, ventis ſuperbiæ, & aliorum criminum impii hæretici prædicantes moventur, & in circuitu ambulant, dum à talibus ventis vitiorum circumferuntur: ac, cùm extra Eccleſiam contra Eccleſiam latrant, ſicut canes; famem patientur ut canes: civitatem circumeunt, & quia clauſa eſt illis janua cœli, viam civitatis habitaculi non inveniunt. Væ illis! Melius illis eſſet, ſi nati non fuiſſent. Nubes ſine aqua ab ipſis ventis diſſipantur, à quibus circumferuntur; quia hæreticos interficiunt ipſorum ſcelerum ſequelæ, quibus moventur, ut in circuitu (non recta via ad cœlum, fidei, & bonæ operationis) gradiantur. Nocet quidem multis nubes ſine aqua, quæ eſt nubes tempeſtatis, ſed nocet quoque ipſi nubi huc, atque illuc circumferri vi ventorum; quia quò magis à ventis agitatur in circuitu, tantò plùs evaneſcens diſſolvitur, peſſumdatur, & deſtruitur; ſic profectò ipſis hæreticis damna majora faciunt illorum peſſimi errores, quamvìs veriſſimum ſit, quòd ab eis ſeductis etiam damna & æterna, & temporalia inferunt miſerè hæreſes. Quot igitur homines ad hæreſes peſſimi hæretici ducunt, tot ſunt jacula mortis æternæ, & miſeriarum temporalium, quibus proprias animas confodiunt,

pro-

propria corpora interficiunt. Speciosa miſericordia Domini, quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis: ergo terribilis eſt Dei juſtitia nubes ſine aqua permittens à ventis circumlatas ambulare; ex quibus, in pœnam mundi ſcelerum, tot hæreſes exeunt, tot errores prodeunt, quibus magna pars Orbis involvitur, & in æternum infeliciter damnatur. Verum eſt, quod oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt manifeſti fiant in nobis; ſed væ mundo à ſcandalis! Utinam Miniſtri Dei invigilent ad exorcizandas iſtas truculentas nubes! Et Deus nobis concedat id, de quo loquuntur duæ Orationes ſequentes!

Oratio Officii Dominicæ tertiæ poſt Paſcha, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Deus, qui errantibus, ut in viam poſſint redire juſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis: da cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ ſunt apta, ſectari. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Quondam Iſraelitæ à Deo puniti, vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore. Effuſa eſt contemptio ſuper principes: & errare fecit eos in invio, & non in via: quia Dominus fecit principes contemptibiles ob peccata eorum, & permiſit eos errare in conſiliis, ubi non erat via. Sed ipſe Dominus miſeratus populi ſui adjuvit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oves familias, qui deduxit ſicut oves populum ſuum in manu Moyſi, & Aaron: ipſeque Dominus, qui regit Iſrael, imploratur, ut intendat: qui deducit velut ovem Joſeph: ac ille, qui erravit ſicut ovis, quæ periit, petit à Deo, ut quærat ſervum ſuum. Si nos ergo aliquando fuimus in terra deſerta, & invia, & inaquoſa; converſi ad Dominum poſſumus ipſi, velut in Sanctuario, vel in ſanctis operibus apparere, Deo dante, ut videamus virtutem ejus, & gloriam illius; eramus enim ſicut oves errantes, ſed converſi ſumus ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum: ac ſic lætabitur deſerta, & invia: gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron. Ille enim prodigus, qui peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè, poſteà, cùm cœpiſſet egere, venit ad patrem ſuum, poſtquàm fuit in ſe reverſus, illi dante intellectum vexatione: vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt: quia Deus errantibus, ut in viam poſſint redire juſtitiæ, veritatis ſuæ lumen oſtendit. Sic multiplicato jam populo Chriſtiano, errantibus accidet; quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc optantes, petimus à Deo ipſo, ut det cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ ſunt apta, ſectari. Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Ergo reſpuamus peccata, quæ quidem omnia ſunt nomini Chriſtiano inimica. Curemus ſectari omnes virtutes, & ea, quæ ſunt nomini Chriſtiano apta. Ideòque ſectemur juſtitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis, qui invocant Dominum in corde puro. Eramus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulemus. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate.

ORATIO SECRETA.

His nobis, Domine, myſteriis conferatur, quò terrena deſideria mitigantes, diſcamus amare cœleſtia. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Os noſtrum aperiamus, & attrahamus ſpiritum, ſi mandata Domini deſideramus: ſanè viam mandatorum Dei curremus, cùm ille dilataverit cor noſtrum. Dilatemus nos os noſtrum, & Dominus implebit illud. Sordebit nobis

terra, dum cœlum aſpexerimus, ſicut dicebat inter ſuſpiria Sanctus Patriarcha Ignatius de Loyola. Quid enim nobis eſt in cœlo? & à Deo quid volumus ſuper terram? Defecit caro noſtra, & cor noſtrum: Deus cordis noſtri, & pars noſtra Deus in æternum. Utinam Divinis Sanctæ Miſſæ Myſteriis nobis conferatur, quò terrena deſideria mitigantes, diſcamus amare cœleſtia. Quarè ſupernæ Patriæ maxima, & omnem cognitionem excedentia bona non diligimus? Quia deſideria terrenorum mitigata non habemus. Cur cœleſtia non amamus? Quoniam rerum terrenarum deſideriis innixi, non vacamus eorum mitigationi; imò quotidie ipſorum vacamus fervori, ac vivacitati. Habent quidem Divina Myſteria Altaris vim ipſis à Deo inditam, deſideria terrena mitigandi. Non reſiſtamus Dei gratiæ in Euchariſtia mitiganti terrenorum deſideria; & ſic terrenis non inhiabimus, nec caducis ſtudebimus. Sinamus ſancta operari in nobis myſteria mitigationem cujuſlibet inordinati rerum mundialium deſiderii. Ni nos obicem cœleſti operationi Divinæ Euchariſtiæ poſuerimus, res Divinæ nos à terrenis deſideriis expedient, gratiæ augmentum nobis tribuendo, quo vincamus deſideria eorum, quæ ſunt in mundo. Sic ab illis expediti, velut avis ſolutis vinculis volat, ad cœleſtia magno amore properabimus. Sic terrenis nos deſideriis abnegantes, cœleſtia amare diſcemus; diſcentes, illa amabimus; & amantes, quæremus; quærentes, inveniemus; atque invenientes, perenni felicitate ditabimur. Dives eſt Deus in miſericordia in omnes, qui invocant illum: invocemus Dominum, & liberabit nos. Ambulemus non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt, & mundus in maligno poſitus eſt. Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Beatus vir, quem erudierit Dominus, & de lege ſua docuerit eum: ut mitiget ei a diebus malis, donec foveatur peccatori fovea: quoadusque juſtitia convertatur in judicium; & qui juxta illam omnes, qui recto ſunt corde. Deus dominatur poteſtati maris humani cordis, motum autem fluctuum ejus ipſe Dominus mitigat, quando Divinis myſteriis in Eccleſia ſancta nobis confertur, quò terrena deſideria mitigantes, diſcamus amare cœleſtia.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

Toletus dicit: *Ecce enim ex hoc, &c. Illud (ex hoc) Albertus Magnus ad humilitatis meritum refert, quaſi dicat: Ex hoc meæ humilitatis merito fiet, ut me beatam prædicent omnes generationes. Hæc autem expoſitio legitimo ſenſui, quem ſecuti ſumus, adverſatur: non enim Beata Virgo in opus aliquod ſuum, ſed in magnitudinem virtutis, & bonitatis Dei refert ſuam exaltationem. Accomodatius Auguſt. ſerm. 2. de Aſſumptione Beatæ Virginis, & in expoſitione hujus Cantici, & Beda referunt ad verbum præcedens: Quia reſpexit Dominus humilitatem meam, ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. Et reverà Beata Virgo in hoc referebat beatitudinem hanc, quia à Deo reſpecta eſt. Quantùm tamen ad litteram non refertur illud (ex hoc) ad verbum, ſed ad tempus, ut ſit ſenſus: Poſthac, de cetero, ſeu ex hoc tempore, quo me reſpexit Deus, prædicabor beata; ſignificans, non fidei, aut virtuti ulli ſuæ tribuendam eſſe exaltationem, ſed Deo ipſi, qui potenter, gratis, & benignè eam reſpexit. Quem ſenſum verbum Græcum confirmat; additum eſt enim (ex hoc nunc) id eſt, ex hoc tempore præſenti: quo enim tempore fides in Chriſtum incæpit, Beata Virgo Beata eſt prædicata, nam & Eliſabeth Beatam acclamavit, & mu-*

& mulier illa, quæ Lucæ 11. *extollens vocem dixit: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti: id, quod in Euangelio omnes credentes implent*. Barradas ait: *Vidit Virginem magnus Epiphanius, & in ſermone de laudibus illius compoſito, inter cetera: Exili, inquit, voce ſum, tardaque lingua, & minimè diſſertus, ut ſic verba facere poſſim de percelebri, ſancta, & Deipara Maria, de qua leviter loqui non debet humana lingua. Pertenuem enim habet vocem, illius habita ratione, &c. Item: Quid dicam, & quid loquar de Sancta Virgine? Deſiderium me trahit, ut de Deipara verba faciam, & formido me retinet in ſilentio, ut qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate, &c. Vidit illam Iſychius Orat.* 2. *Jure (inquit) omnis grati animi lingua ſalutat Virginem Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum Principem imitatur. Itaque hic quidem dicit ei: Ave, ille verò acclamat: Dominus ex te: iſte cognominat eam Matrem lucis, ille ſtellam vitæ, alius Dei thronum appellat, alius Templum majus cælo, alius Cathedram non inferiorem Cathedra Cherubina, alius item hortum non ſeminatum, fertilem incultum, turturem mundam, columbam impollutam, nubem pluvias incorruptas continentem, fodinam, unde prodiit lapis totam terram tegens, à nullo inciſus, navem mercibus refertam, theſaurum locupletantem. Alii Arcam arca Noe latiorem, longiorem, & illuſtriorem. Illa enim animalium arca, hæc arca vitæ, illa ipſum Noe, hæc Noe factorem portavit. Hæc ille. Deficiet me tempus, ſi omnes velim commemorare, qui Deiparam viderunt, & beatam prædicarunt.* Hucuſque Barradas. Cornelius ſic explicat: *Omnes generationes, omnes ætates, omnia ſæcula, omnes Fideles futuri. Audi Hugonem Cardinalem. Omnes generationes, inquit, id eſt, omnes gentes, ſcilicèt, Judæorum, & Gentilium, virorum, & mulierum, divitum, & pauperum, Angelorum, & hominum, quia omnes per ipſam ſalutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, Angeli reparationem. Chriſtus enim Dei Filius operatus eſt ſalutem in medio terræ, id eſt, in utero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim reſpiciunt, ut Bernardus inquit, & qui habitant in cælo, & qui habitant in inferno, ideſt, in Purgatorio, & qui habitant in mundo: Primi, ut reſarciantur: ſecundi, ut eripiantur: tertii, ut reconcilientur. Cauſam deinde aſſignans ſubjicit: Ex hoc ergo Beatam te dicent omnes generationes, o Beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam, & gloriam genuiſti, mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miſeris gloriam. Ideò dicitur Judith* 15. 10. *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter: primum eſt vox Angelorum, quorum ruina per ipſam reparata eſt: ſecundum eſt vox hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt: tertium eſt vox mulierum, quarum infamia per ipſam deleta eſt: quartum eſt vox mortuorum, quorum captivitas per eam reducta eſt. Sic & Albertus Magnus hîc.* Vincentius Regius ſic loquitur: *Obſervandum eſt, hoc eodem capite bis Beatam vocari Virginem; ſemel ab Eliſabetha: Beata quæ credidiſti; iterùm in Cantico à Spiritu Sancto, cùm ipſa dic[illegible] plena Deo: Ecce enim ex hoc beatam m[illegible] omnes generationes: ſemel verò be[illegible]citur, quod vel idem eſt, quòd Beata, [illegible] certè alterum ſub altero continetur: exclamans enim voce magna Eliſabeth: Benedicta, inquit, inter mulieres. Judic.* 4. *&* 5. *(ut adhuc aliquid ſpeciatim de benedictione dicamus) Jael benedicta vocatur, quòd Siſaræ vas lacte plenum propinaverit, quo ſomno ille oppreſſus fuit; longè tamen præſtantiùs hoc eodem nomine Maria benedicta vocabitur: obtulit namque Deo lac cæleſte, quo ubera ejus de cælo redundarunt. Benedicta compellata fuit Judith præciſo Holofernis capite: multò id magìs in Mariam competit, quæ inferni Regis caput amputavit. Abigail benedictæ nomen obtinuit, quòd Davidici pectoris iras ſedaverit prudenti quadam animi ſubmiſſione, & modeſtia inſigni; ſed multò id meliùs in Maria videmus, cujus humilitatem reſpiciens Deus, juſtiſſimam iram depoſuit, qua contra genus humanum exarſerat. Quid plura? Sunt, qui idcircò dicant, noluiſſe Deum initio homini, cùm in peccatum lapſus eſt, maledicere, ſed id mali terræ potiùs, ac ſerpenti imprecatum eſſe; quia, inquiunt, in*

primis illis humani generis parentibus Virgo hæc, velut incluſa, continebatur, ex qua Dei Filius naſci deberet. Poſtremò obſerva, duas mulieres in Euangelio vel benedictam, vel Beatam vocaſſe Mariam, & eam, quæ beatum ventrem prædicavit, qui Chriſtum portaverat: & Eliſabeth; utraque verò magna voce clamaſſe dicitur, quia nimirum magna erat ea, quæ prædicabatur. His conſtat, & quòd Beata, & quòd Benedicta meritò dicatur. Hæc Vincentius Regius.

Pro: *Benedictus.*

SYlveira hæc habet: *Quo pacto dicitur, quòd fecerit Deus miſericordiam cum antiquis Patribus, cùm ipſi jam defuncti eſſent? Reſpondeo primò, quòd facta eſt miſericordia cum Patribus antiquis, dum ex meritis Chriſti prævifis data eſt illis omnis juſtificatio, omnis gratia, omnis remiſſio peccati, & omnis bona diſpoſitio ad finem ſupernaturalem, tamquàm ex pretio ſolvendo; adveniente autem Chriſto, pretium ſolutum eſt, & Deo creditori integrè, ac perfectè ſatisfactum. Ad Rom. 3. num. 25. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum. De quo latè Suarius Tom. 1. ad 3. p. diſt. 41. ſect. 1. §. Sed inſtabit. Vazquius 3. p. tom. 1. diſt. 77. cap. 6. num. 25. ubi multos Patres adducit. Secundò. Fecit miſericordiam cum antiquis Patribus per Chriſtum: Dionyſius Carth. dando illis felicitatem conſummatam, ſeu beatitudinem. Tertiò. Hugo: Eos à limbo liberando, dum Chriſtus ſecum in gloriam eos tranſtulit. Quartò. Eis adimplendo promiſſum datum, dum, ſcilicèt, operatur redemptionem totius generis humani, quæ etiam, dum ad illos ordinabatur, peculiare beneficium ipſi juſti ſibi factum reputabant. Et nota, quòd exprimitur hìc miſericordia facta, non nobiſcum, ſed cum Patriarchis. Fecit miſericordiam cum Patribus noſtris, & meritò ſanè, quia illi, qui fuerunt primi in merito, conveniens erat, ut eſſent primi in præmio, & felicitate conſequenda. Deinde, Juſti antiqui, qui præceſſerunt, Chriſto Domino hoc obſequium præſtiterunt, ut meruerint accelerationem, & aliquas circumſtantias Incarnationis, ut docet Divus Thomas in 3. diſt. 4. quæſt. 5. art. 1. & eſſe communem ſententiam, teſtatur Cabreira 3. p. q. 2. art. 11. diſpoſ. 4. n. 11. Ergo voluit Chriſtus Dominus, ut qui peculiares extiterunt in obſequio, peculiares eſſent in gratia, & miſericordia, dum ſecum aliquos cum corporibus ſuis in gloriam tranſtulit.* Hæc Sylveira. Maldonatus ait: *Exponamus quomodò Patres illi noſtri jam tunc mortui ex Chriſti adventu Dei miſericordiam dicantur percepiſſe. Id duobus modis Auctores intelligunt. Origenes homil. 10. & Theophylactus in Commentariis, quòd illis etiam Patribus Chriſti adventus, & Redemptio profuerit, fide enim, & gratia naſcituri Chriſti ſalvati ſunt, ut ait Petrus Actor. 15. 11. Euthymius verò, quòd propter illos recordatus fuerit Deus promiſſi ſui, & miſerit Chriſtum. Miſericordiam enim erga illos fuiſſe, non modò, quòd illis Chriſtum promiſiſſet, ſed etiam, quòd ſuo miſerit tempore, ut eis datam ſervaret fidem. Hoc magis placet, quia ſequitur: Et memorari teſtamenti ſui ſancti; quæ explicatio videtur eſſe præcedentis ſententiæ. Itaque fruſtrà hìc Calvinus diſputat miſericordiam Dei, non Patriarcharum meritum fuiſſe, quòd Chriſtus nobis datus fuerit, quaſi id quiſquam noſtrùm negaret. Meliùs ex hoc loco collegiſſet, multa nobis beneficia conferre Deum propter ſanctos illos Patres, quod ille cum diſcipulis ſuis negat. Nec enim obſcurè Zacharias indicat, in gratiam illorum cornu nobis ſalutis erexiſſe, nè ejus fœderis, quod cum illis tam amicis, gratiſque ſibi hominibus pepigiſſet, oblivìſci videretur.* Hæc Maldonatus. Toletus dicit: *Ad faciendam miſericordiam, &c. Primò, facta eſt miſericordia cum Patriarchis, & Prophetis, & cum omnibus juſtis, qui præceſſerunt, dum mittitur pretium peccatorum illorum, ſeu, dum miſericordia incohoata ante adventum, in ipſo adventu perficitur, & completur, quandoquidem Deus aſſumpta carne facit miſericordiam; ſicut qui captivum de poteſtate inimici liberat, pretio nondum ſoluto, ſed credito, miſericordiam incohoat, quam conſummat, quando illud exhibet. Secundò, quia detinebantur juſti illi, cum è vivis diſceſſerant, etiam purgati, in carcere, ſeu*

lim-

limbo, nè viderent Deum, & gloria fruerentur, donec per hoc cornu ſalutis liberarentur. Unde Chriſtus in infernum deſcendens, & reſurgens, eos illinc extraxit, & ſecum in paradiſum introduxit. Utrumque opus miſericordiæ fuit; remiſſio enim peccatorum non juſtitiæ hominum, ſed gratiæ, & miſericordiæ eſt per Chriſtum. Liberatio etiam illorum à carcere, & introductio in gloriam, licèt opus ſit juſtitiæ, qua Deus mercedem promiſſam juſtis præbet, tamen à radice miſericordiæ procedit, per quam gratiam dare, qua juſti conſtituerentur, & promittere dignatus eſt. Hanc igitur miſericordiam Chriſtus adveniens fecit cum Patribus illis. Patres enim appellat priores tempore, qui jam mortui fuerant. Et memorari teſtamenti ſui ſancti. Secunda cauſa, cur cornu ſalutis erexerit Deus, annectitur, nempe, ut recordaretur teſtamenti, pacti, ſeu promiſſionis ſuæ, quam fecerat olim Patribus, quaſi diceret: Ut re ipſâ oſtenderet, ſe memorem eſſe. Recordari enim Deum promiſſionis, non eſt aliud, quàm implere, quod promiſerat: ut igitur miſericordem, & fidelem ſe exhiberet erga Patres, carnem ſumpſit, & cornu ſalutis erexit. Fuit miſericordiæ, promiſiſſe; at impleſſe, fidelitatis. Teſtamentum appellat fœdus, & promiſſionem, ſeu pactum, quod fecit Deus cum majoribus illis Judæorum de adventu ſuo, & carnis aſſumptione ad ſalvandum, & redimendum hominem: quod appellat ſanctum, ut diſtinguat ab aliis pactis, quæ fecit Deus de rebus temporalibus: hoc autem eſt de Chriſto venturo, qui Sanctus ſanctiorum eſt, & ad nos ſanctificandum datus. Adverte ex his verbis, Deum in ſuſcipienda carne habuiſſe rationem ſtatuum, qui præceſſerunt; venit enim, ut illorum miſereretur, & quod eis promiſerat adimpleret. Hæc duo prædixit, & promiſit Deus David Pſal. 88. Miſericordia, inquit, mea, & veritas mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Perpende (cornu ejus) nimirum, Chriſtum de domo David, ejuſque ſemine: prætereà illud (miſericordia mea cum ipſo) quod nunc dicitur (ad faciendam miſericordiam) (& veritas mea cum ipſo) id eſt (memorari teſtamenti ſui ſancti) quaſi dicat: Erigam cornu in domo David, ut faciam miſericordiam cum ipſo, & fidelem me exhibeam, implendo quod promiſi. Statim explicat ibi ſanctitatem, & ſtabilitatem promiſſionis hujus. In æternum, inquit, ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint. Si juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam nou auferam ab eo, neque nocebo in veritate mea: Neque prophanaba teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Hæc omnia præſentem Zachariæ ſententiam explicant. Teſtamentum autem ſanctum dici, quidam Recentiores putant, quia inviolabile ſit, & firmum: ſed accommodatiùs dicitur ſic appellatum, ut indicet illud pactum de Chriſto venturo, ad diſtinctionem pacti de rebus temporalibus, & terra promiſſionis Judæis tunc danda. Hucuſqne Toletus.

Pro: *Nunc dimittis*.

COrnelius dicit: *Simeoni hic privilegium eximium, & rarum à Deo conceſſum eſt; ſcilicèt, ut ante mortem videret Chriſtum natum. Qua in re Abrahamum, Iſaac, Jacob. Moſem, omneſque Patriarchas, & Prophetas ſuperavit: qui ut ait Apoſtolus, juxta fidem defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus (de Chriſto, Chriſtique gratiis, & beneficiis) ſed à longè eas aſpicientes, ac ſalutantes. Hebr. 11. 13. Hinc liquet, Simeonem ſingularis fuiſſe ſanctitatis, ſanctique deſiderii, & zeli, quo aſſiduè ſuſpirabat, orabatque pro adventu Meſſiæ: ideòque eum videre meruit.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

GEneratio, & generatio laudabit opera Dei, noſtri quidem Creatoris: laudent ergo omnes generationes opera noſtri Domini, dicentes Beatam Sanctiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam.

riam. Opera miſericordiæ voluit Deus nobis in Deipara efficere, memorans teſtamenti ſui ſancti, ut oculi noſtri poſſent Chriſtum Salvatorem noſtrum in cœlo feliciſſimè videre. Beata debet dici Deipara ab omni natione, quia per eam uſus eſt Deus noſter nobiſcum miſericordia, memorans teſtamenti ſui ſancti, & dum nos Chriſtum videre voluit, promiſſa in veteri teſtamento de Chriſto, felicitate magna noſtra, fideliſſimè adimplevit. Ergo laudemus Dominum, qui Beatam Mariam creavit, & maximam inter puras creaturas voluit eſſe in divitiis gratiæ, & gloriæ: laudemus Dominum, qui ad utilitatem noſtram voluit ſui teſtamenti memorari: laudemus ſuper omnia Dominum, à quo accepimus Chriſti Incarnationis maximum, & Divinum veriſſimè beneficium. Pudeat nos à Dei laude ceſſare, ſiquidem cognoſcimus ab illo talia dona percepiſſe. Eſt ſacra Euchariſtia Incarnationis extenſio, juxta Sanctum Joannem Chryſoſtomum: ergo pudeat quoque nos, poſtquàm accepimus Diviniſſimum Sacramentum, gratiarum actionem negligere: nam in Sacramento Altaris extenditur Chriſti Incarnatio, ut ad animas, & pectora noſtra perveniat ille Deus homo factus, cujus Incarnatio fecit Beatam dici Deiparam, & per eamdem Incarnationem Deus implevit promiſſa, ac ipſa quoque Incarnatio fecit Dei Filium eſſe Redemptorem noſtrum. Plaudit Deo Beata Maria in Cantico, docens nos Domino cantare: benedixit Zacharias, & benedixit etiam Sanctus Senex Simeon Dominum, ac conſequenter ambo iſti erudiunt nos, ut ſimus fervidi, atque diligentes erga Dei noſtri laudes: accipiamus igitur & doctrinam, & exemplum, nè ob negligentiam in laudando Dominum, magnum mereamur, & incurramus ſupplicium. Maledictus eſt qui opus Dei negligenter facit: nè ergo ſimus maledicti, creſcamus quotidie ad gratias Deo reddendas, in devotione, & fervore. His utentes, Deum poſt hodiernam Communionem laudemus, & ſequentem Orationem ad hoc præſcriptam dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Sacramenta, quæ ſumpſimus, quæſumus Domine, & ſpiritualibus nos inſtaurent alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

EXPLICATIO.

Sacramenta inſtituta ad ſalutem animæ cujuſque noſtrûm, non ſolùm poſſunt nos ſpiritualibus inſtaurare alimentis, verùmetiam tueri corporalibus auxiliis. Plena ſunt omnia, & perfecta, ut à pleno, & perfecto Deo, & Homine Domino noſtro, ac Redemptore Jeſu Chriſto diſpoſita, condita, atque ſtabilita. Jeſus Chriſtus igitur, qui eſt plenitudo, omnia adimplet, omnia ſolidat, omnia bona ſtabilit, & omnibus noſtris neceſſitatibus, tum ſpiritualibus, tum etiam temporalibus remedium plenè apponit. Ideò hodie per Chriſtum Dominum noſtrum petimus à Patre Æterno, ut per ipſum Jeſum Chriſtum, Sacramenta, quæ ſumpſimus, ſpiritualibus nos inſtaurent alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Voti compotes efficiemur, qnando experti fuerimus (quamvis verum ſit, quòd beneficia Divina cognoſcentur meliùs in æterna Patria, quàm in hac mortali vita) Sacramenta frequentantes, quòd ipſa ſpiritualiter nos aluerint, & ſaginaverint, ut robuſti ſimus, nè in itinere virtutis, & Chriſtianæ etiam perfectionis deficiamus, quia Chriſtus nos adjuvat miſerens ſuper Chriſtianam turbam, & ſi dimitteret nos jejunos, deficeremus in via; ac ideò nos cibat, ut ad metam propoſitam feliciter properemus, & illam perjucundè pertingamus. Cibant Sacramenta, ut ſolident; alunt, ut vivificent; ſaginant, ut nos meliorent. Solidant cibantia, à fame, & dejecta deſperatione eruentia: vivificant alentia, à morte ſpirituali, proficua preparatione, ſive præſervatione, aut forti antidoto liberantia: & ſaginantia quoque eadem Sacramenta Divina nos meliores efficiunt, dum nos à peccatis com-

committendis defendentia, contra malitiam diaboli, ſtimulos carnis, & mundi blandimenta forti virtute præmuniunt. Perditi profectò eramus, & ut tales etiam nunc nos noſcimus, qui alimentis ſpiritualibus à Sacramentis Divinis hodie inſtaurari percupimus, & hanc inſtaurationem à Deo per Chriſtum petimus. Utinam veniat à Divinis Sacramentis per ſpiritualium alimentorum inſtaurationem, remedium nobis, quibus ineſt cognitio noſtræ ſummæ egeſtatis: ut ſic edant pauperes, & ſaturentur, & laudent Dominum, qui requirunt eum, & vivant corda eorum in ſæculum ſæculi apud felix Empyreum, diligendo, & benedicendo Dominum: quia ipſe eſurieutes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Sed inter hæc omnia noſter cibus ſit, ut faciamus voluntatem Patri noſtri, ut perficiamus opus ejus, quo aperiente manum ſuam, omnia implebuntur bonitate: qui parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet. His nos ſpiritualibus alimentis per Divina Sacramenta, quæ ſumpſimus, inſtaurati, ſperamus etiam per eadem Sacramenta auxiliis corporalibus defendi: nam qui liberaliter, mediis Sacramentis, nos in ſpiritualibus inſtaurat, etiam per Sacramenta eadem, corpora noſtra tuetur; quibus ſuæ miſericordiæ ſuccurſus porrigit, & adminiſtrat, ut his ſuccurſibus, ſive auxiliis maneat etiam corpus tutum, maneat vita temporalis defenſa, maneat ſubſtantia ſecura, maneat fama conſervata, quando anima per Divina Sacramenta accipit ſpiritualia beneficia: ut in utroque ditati, hoc eſt, in ſpiritu, & corpore muniti, Deo noſtro, corpore ſimul placeamus, & mente.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM

Pro Dominica quarta poſt Paſcha.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quartæ poſt Paſcha. Qui quidem Textus eſt hic:

Arbores autumnales, inſructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

VErſio Syriaca legit: *Arbores, quarum fructus deficit, bis mortuæ, quarum è radicibus emerſerunt.* Arias vertit: *Arbores marceſcentes.* OEcumenius: *Arbores infrugiferæ.* Adamus, Vatablus, & alii apud Cornelium: *Arbores autumno marceſcentes.* Cornelius ex Græco: *Arbores finientis, ultimique autumni, ac hiemali ſqualori proximæ, ita dictæ à finiente autumno.* Arabica translatio apud eumdem Cornelium: *Arbores corruptorum fructuum.* Joannes de laHaye in Concordia, & Expoſit. li..er. *Arbores, inquit, autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ: Alii: Marceſcentes: eſt enim Græcè: Arbores emarcidæ, quales ſunt, quæ in autumno foliis, flore, fructibus deſtitutæ, in quibus ſolum remanet inutilis truncus, hiemali glaciei expoſitus; ſed, cùm in autumno aliquæ arbores ſint, quæ fructum ſuum non depoſuerunt, ideo Sanctus Judas vocat eos non ſolùm arbores autumnales, ſed infructuoſas, bis mortuas, nempe in ramis, & in ceſpite. Ita hi (hæretici) ſunt bis mortui, nempe coram Deo in peccato mortali exiſtentes, ſed etiam mortui ſunt quoad Eccleſiam, mortui crimine hæreſeos, & mortui propter alia peccata ab illis perpetrata.* Hæc la Haye. Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Arbores autumnales, inſtructuoſæ, nullam utilitatem vel ſibi,*

vel

aliis facientes, bis mortuæ, nunc in anima, poſteà in corpore, omittendo, & committendo. Gloſſa Ordinaria ait: *Comparant ſe arboribus bonum fructum ferentibus, ſed ſunt arbores autumnales: tardè ferunt bonum fructum, ſicut arbor in autumno plantata. Vel quia tunc folia cadunt, & fructus. Vel, ſi ſupercreſcit fructus, adulterinus eſt, & inutilis. Siquidem non faciunt quod bonum videatur, non bona intentione agunt, ſed, ut bona, quæ ſunt, in aliis extirpent. Bis mortuæ. Semel moritur, quæ non facit fructum bonum. Bis moritur, quæ facit fructum malum. Vel bis mortuæ, quia ante tempus fidei, mortui, ſed inde viſi ſunt reſurgere per fidem, rursùm redeunt ad impietatem: & ideò eradicatæ ab hæreditate, quam ſperabant ſe habituros, vel à ſoliditate charitatis, in qua Sancti dicuntur radicati*. Hugo Cardinalis: *Arbores autumnales. Ecce pigritia ad bonum. Illæ enim arbores, quæ tunc plantantur, cùm folia cadunt, fructus non faciunt, quia in hieme ſubſequente moriuntur; vel, ſi faciunt, adulterini ſunt, quia non perveniunt ad maturitatem, & tales vocat arbores autumnales. Sic hæretici, quandiu ſunt in proſperitate, benè plantati, & radicati videntur; ſed in hieme adverſitatis moriuntur, nec afferunt fructum in patientia. Sed, ut dicit Pſalm. 88. Deſtruxiſti eum ab emundatione, id eſt, ab adverſitate, quæ eos deberet mundare. Vel, ſi faciunt aliquem fructum, tamen in autumno incipiunt, nec perveniunt ad maturitatem, & ſic colliguntur fructus eorum inutiles, & acerbi. Et propter hoc ſequitur: Infructuoſæ, ſibi, & aliis. Vel arbores autumnales vocat, quarum fructus uſque poſt autumnum non colliguntur, quaſi tardi, & hiemales: non primitivi, ſeu æſtivi. Sic iſti pigri ad bonum in æſtate vitæ præſentis non faciunt fructum, unde & ſervantur ad hiemem gehennalis pœnæ. Tob. 21.6. In diem perditionis ſervabitur malus, & ad diem furoris ducetur. Bis mortuæ, quia primò hìc in culpa, tandem in futuro in pœna. Vel primò moritur, qui non facit bonum; ſecundò, vel bis qui facit malum. Vel ſemel mortui, quia nati filii iræ; ſed bis, quia decedentes in peccato per amiſſionem gratiæ. Unde & ſequitur: Eradicatæ, à gratia, à terra charitatis, quæ fructus facit optimos, & in centuplum multiplicatos. Geneſ. 28. c. Seminavit autem Iſaac in terra illa, & invenit in ipſo anno centuplum. Lucæ 8. a. & Matthæi 13. c. Semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum; aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, & aliud triceſimum. Ad litteram patet hoc de arboribus, quæ in autumno eradicatæ de terra, ſemel mortuæ dicuntur, etſi plantatæ ad tempus vegetantur, tamen ingraveſcente hieme, omninò moriuntur, & ideò dicuntur bis mortuæ. Tales ſunt multi, poſtquàm multos fructus collegerunt, & multas divitias congregaverunt, ſi eradicentur per aliquam infirmitatem, & ſi videantur florere per eleemoſynarum diſtributionem, mortui tamen ſunt, quia non bona intentione hoc faciunt, ſed timore mortis, ſic ſolùm ſperantes ſalutem corporis. Et hoc patet, quòd poſteà ad eadem, quæ priùs, relabuntur; ſed ingraveſcante hieme mortis, bis moriuntur, quia & in anima, & in corpore*. Hæc Hugo Cardinalis. Nicolaus de Lyra ſic explicat: *Arbores autumnales. Apparentia folia tantùm habentes, ideò ſubditur: Infructuoſæ: Id eſt, bonis operibus carentes. Bis mortuæ. Semel ante converſionem per mortale peccatum, & iterùm poſt lapſum in hæreſim. Eradicatæ. A radice charitatis*. Eſtius ait: *Arbores autumnales, infructuoſæ. Arbores extremi, ac deficientis autumni. Hoc autem alii ad flores, alii ad fructus referunt. Ad flores quidem: Solent enim arbores novellæ, inquit quidam Auctor, extremo autumno, præter temporis rationem, florere; idque agricolis indicat, eas mox emorituras. Ad fructus autem; quia arbores, quæ ſero autumno fructus proferunt, non eos perducunt ad maturitatem. Quod autem ſequitur: Infructuoſæ, quibuſdam videtur eſſe interpretatio prioris. Nam & arbores extremo autumno florentes fructum non afferunt, ut ob id meritò dici poſſint infructuoſæ. Alii verò additum hoc putant, ut novum, ac ſecundum epitheton arborum malarum, ut tertium epitheton ſit: Bis mortuæ, id eſt, penitùs emortuæ: quartum: Eradicatæ, & exciſſæ, ita, ut fructus in poſterùm nullus expectari poſſit. Igitur his arboribus ſeductores illos comparat Apoſtolus, quia arbores autumna-*

tumnales ſunt, ac frugiperdæ, quia fructum, ſi quem ferre videantur, maturum, & utilem reddere non poſſunt. Imò verò infructuoſi ſunt, quia nullum verum, ac ſalutarem fructum ferunt nec in ſe ipſis, nec in ſuis ſectatoribus. Item ſunt bis mortui, quia per Baptiſmum à morte peccatorum ſemel reſuſcitati, in eamdem mortem per apoſtaſiam relapſi ſunt. Denique ſunt eradicati, & exciſi; quòd ex eis, tamquam ex arboribus radicitùs evulſis, fructus non ampliùs ſperetur; adeò, ut de talibus dicat Paulus Hæbr. 6. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rursùs renovari ad pœnitentiam. Cæterùm obſervanda eſt in his epithetis gradatio per incrementa. Nam gradus ſunt fructum inutilem ferre, nullum ferre fructum, bis mortuum eſſe, ad extremum eradicari, mittendum in ignem. Menochius: Arbores autumnales. Id eſt, arbores, quæ fructum quidem aliquem ferunt, ſed corruptum. Tales ſunt hæretici, quorum fructus, id eſt, opera non inutilia ſolùm ſunt, ſed etiam noxia. Bis mortuæ, id eſt, omninò mortuæ, ſicut dicimus: Bis, terque beati, id eſt, omninò beati. Vel bis mortuæ, quia primò in ſe moritur arbor, cùm areſcit, deinde iterùm moritur, cùm eradicatur, aut ſucciditur. Significat Apoſtolus hiſce metaphoris deſperatam Gnoſticorum ſalutem. Tirinus: Arbores autumnales, id eſt, finiente autumno, non fructus, ſed folia protrudere incipientes, quæ & ipſa mox hiemali frigore abſumuntur, ac proinde prorsùs infructuoſæ, ut ſequitur. Ita Gagnæjus, & Salmeron. Bis mortuæ, primò, dum areſcerent: ſecundò, dum eradicatæ ſunt, ut ſubditur. Cornelius hæc habet: Arbores autumnales. Primò, verti poteſt: Arbores autumno marceſcentes. Sic hæretici ſimili modo ſunt homines marcidi, nullum doctrinæ veræ, operumque bonorum fructum afferentes; ſed terrenis affixi cæleſtia non capiunt, nec cupiunt, imò deſperant. Porrò Columella lib. 3. cap. 10. oſtendit analogicè rectè hominem comparari arbori, & plantæ, ac utriuſque partes, & membra inter ſe confert. Eſt enim homo, quaſi arbor inverſa, habens radicem, puta caput, ſurſum; ramos puta pedes, deorſum; cujus contrarium facit arbor. Secundò verti poteſt: Arbores autumnales: Arbores finientis, ultimique autumni: Tunc enim arbores comam ſuam, puta omnia folia, deperdunt, areſcunt, & caneſcunt. Ita hæretici nulla veræ ſapientiæ, vel eloquentiæ folia, & ſpeciem præferunt; ſed uti fructu ſteriles, ſic foliis, & ſpecie ſunt aridi, & ſqualidi. Tertiò, vocantur arbores frugiperdæ, id eſt, eo, quòd ſuos fructus corrumpant, & nil, niſi corruptum, & marcidum producant. Unde Arabicus vertit: Arbores corruptorum fructuum. Tales ſunt hæretici, qui non tantùm ſunt mortui, ſed & mortiferi; quia non tantùm ſua, ſed & aliorum bona opera, & pietatis fructus extirpant; imò peſtifero hæreſis veneno inficiunt, & intoxicant. Infructuoſæ, quia fructum vel perdiderunt, vel perdunt, uti jam dixi. Aptè Sanctus Epiphanius hæreſ. 13. & Irenæus lib. 1. c. 33. Gnoſticos, & hæreticos comparant fungis, qui ex arboribus prodeunt, quaſi earum excrementa, unaque nocte oriuntur, & mox emoriuntur. Sic enim hæretici ex nobis prodierunt, repentè oriuntur, occiduntque citiſſimè, ait Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 57. Bis mortuæ. Primò, quia non tantùm fructus, ſed & folia amiſerunt, uti jam dixi. Simili enim modo hæretici non tantùm fructu, & ſapore, ſed & ſpecie, ac decore pietatis, & bonorum operum deſtituuntur. Secundò, bis, id eſt, omninò, & penitùs mortuæ. Sic dicimus: Bis, terque, id eſt, omninò, beati. Tertiò, nonnulli per bis mortuas accipiunt bis plantatas, & bis eradicatas, per eaſque ſignificari relapſos in hæreſim. Alii ajunt, primò mortuos fuiſſe, cùm ante Baptiſmum in Gentiliſmo viverent, ſecundò verò mortuos, cùm poſt Baptiſmum in hæreſim lapſi ſunt. Alii bis mortuos cenſent, quia tam corpore, quod omni libidine contaminant, quàm animo mortui ſunt. Anagogicè. Primò moritur anima per peccatum, quo gratia, quæ eſt vita animæ, deperit: Secundò moritur, cùm truditur in gehennam. Hæc enim eſt mors ſecunda. Apocal. 20. 14. Quartò, & genuinè, arbores bis mortuæ, id eſt, eradicatæ, uti explicando ſubdit Sanctus Judas, ſicut paulò antè autumnales explicuit per infructuoſas. Arbor enim primò in ſe moritur, dum areſcit, ſed vivit adhuc in radice, ex qua in Vere rursùm pullulat, & reviviſcit: ſecundò

verò moritur in radice, dum illa eradicatur, & tunc plenè, planèque moritur, ut nulla ei vitæ ſpes ſuperſit. Simili modo moritur anima hæretici, primò per peccatum mortale: per hoc enim amittit charitatem, & gratiam, quæ eſt vita animæ. Deinde ſecundò moritur per hæreſim: per hanc enim amittit fidem, quaſi radicem, quæ eſt initium vitæ ſpiritalis. Hæreſis enim numquàm eſt primum hominis peccatum, ſed ad eam, præviis aliis peccatis, quaſi gradibus, ſenſim deſcenditur. Eradicatæ. OEcumenius, & alii cenſent, plùs hoc eſſe, quàm tò: Bis mortuæ. Mortuæ enim reviviſcere, & repullulare poſſunt, ſi radix in terra ſana conſiſtat; at eradicatæ nullam vitæ ſpem habent. Sed verius eſt, tò: Eradicatæ, explicare tò: Bis mortuæ, utì jam dixi. Porrò hæretici per ſchiſma, & hæreſim eradicati ſunt à Fide, Eccleſia, Deo, & Chriſto, quaſi excommunicati. Tò ergo: Eradicatæ, Gnoſticorum deſperatam ſalutem ſignificat. Nam, ut ait OEcumenius, à Paradiſo, id eſt, Domini Eccleſia, eradicantur, & foràs projecti ad ignem æternum colliguntur. Qualem enim ſtatum habere, aut radicem poteſt, qui ob voluptatis colluviem ab omnibus projicitur? Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

RAdices non habent illi, qui ad tempus credunt, ſed in tempore tentationis recedunt. Væ arboribus eradicatis! Minatur illis ſententia ignis, quia infructuoſæ, & quia ſunt eradicatæ. Video homines velut arbores ambulantes. Non ſunt iſti qui plantati in domo Domini in atriis Domini Dei noſtri florebunt: non ſunt ſicut ille, qui dicit: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Ambulant velut arbores aliquis homines? Ego non habent radices: & quia non habentes radices, dum à bono ſtatu recedunt, dum à recta operatione deficiunt, atque à propoſito veræ fidei, & boni operis deſiliunt, non ſunt arbores ferentes fructum, ac ideò igni æterno deſtinantur. Radicemus ergo in populo honorificato; radicantes, fructificemus: &, ſi per fructum boni operis refecti fuerimus in mente, non erimus arbores autumnales his mortuæ, eradicatæ. Multi ſunt vocati, pauci verò electi: quia electi ſolùm ſunt illi, qui vocati ad fidem Catholicam, radicant in hoc populo honorificato, credentes, & benè operantes, charitate ardentes, ſtatum gratiæ habentes, & in eo uſque ad mortem firmiter perſeverantes. Qui manet in Chriſto, & Chriſtus in eo, hic fert fructum multum: hic non periclitabitur: hic, quia non eſt infructuoſus, nec eradicatus, morti æternæ non addicetur: nam qui juſſit ficulneam infructuoſam ſuccidi, novit fructiferas arbores in magno pretio habere. Quapropter magis ſatagamus, ut per bona opera certam noſtram vocationem, & electionem faciamus: hæc enim facientes (ut ait Sanctus Apoſtolus Petrus) non peccabimus aliquando: ſcilicet, neque cogitatione, neque verbo, nec facto, nec omiſſione, incurremus peccatum, ſaltem morrale. Aſcendet in montem Domini, & ſtabit in loco ſancto ejus, innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Firma erat arbor, & viva illa mulier fortis, quæ panem otioſa non comedit (fugiens à peccato omiſſionis:) conſideravit ſemitas domus ſuæ (benè cogitans:) os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus (& ſic numquam loquebatur, niſi recta:) de fructu manuum ſuarum plantavit vineam, accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſum, manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum, ſtragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus, & purpura indumentum ejus (O quàm bona operatio!) Ideò dictum eſt de ea: *Mulier timens Dominum ipſa laudabitur. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* O ſi tales eſſent omnes rationales arbores! Utique non deſtinarentur igni gehennæ, ſicut iſti miſeri, de quibus loquitur Sanctus Judas Thaddæus, dum prædicens hominibus perditis proximam damnationem, aſſerit, illos eſſe arbo-

res

res autumnales, infructuoſas, bis mortuas, eradicatas. Hoc igitur barathrum fugiamus: & ad hoc, auxilium Dei imploremus in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ quartæ poſt Paſcha, quæ eſt prima in Miſſa illius.

DEus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis: da populis tuis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis: ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

VUlt Deus, & nos deſiderare debemus, ut renatis fonte baptiſmatis una ſit fides mentium, & pietas actionum. Vult etiam noſter Dominus, quod multitudinis Fidelium, ſicut in Primitiva Eccleſia, cor unum ſit, & anima una: & ideò ipſe noſter Deus Fidelium mentes unius efficit voluntatis. Hoc quidem datum optimum, & donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Optamus igitur, ac petimus, ut Deus, qui Fidelium mentes unius efficit voluntatis, det populis ſuis id amare, quod præcipit, id deſiderare, quod promittit. Faxit ipſe, ut quod præcipit, amemus, & quod promittit, appetamus: amemus quidem quod præcipit, vero, & toto animo: ac deſideremus quod promittit, anxio, & vehementi deſiderio: diligamus ardenter omnia à noſtro Deo præcepta; ſperemus in eo, illius piè deſiderando promiſſa. Chriſtus eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: portavit ſecum de monte ſancto Cœli, meliùs, quam Moyſes de monte Sinai, Legem Euangelicam, quam voluit imprimi non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus: & hæc eſt lex Domini immaculata convertens animas, & præceptum Domini lucidum illuminans oculos: quæ quidem ſunt deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & favum: & ideò debemus diligere mandata Chriſti ſuper aurum, & topazion: ac propterea etiam æquum eſt, nos ad omnia mandata noſtri Redemptoris dirigi, & omnem viam iniquam odio habere. Præcepta Chriſti ſunt etiam præcepta Patris Æterni. Veniat nobis per Chriſtum Dominum noſtrum à Patre Æterno, ut amemus, quod præcipit: veniat quoque ab ipſo, ut deſideremus ea, quæ nobis promittit. Dixit ipſe aliquando iratus, juxta parabolam Euangelicam: *Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Quare hæc tanto pronuntiat rigore? Quare ſummè miſericors tali operatur ſeveritate juſtitiæ? Quia miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis (cùm feciſſet cœnam magnam, & vocaviſſet multos) ut venirent, quia jam parata ſunt omnia, & cœperunt ſimul omnes excuſare. Ergo privati ſunt guſtu, ac delectatione magnæ cœnæ, quia quod præcepit talis Dominus non voluerunt diligere, & ea, quæ promittebat ipſe Deus, noluerunt deſiderare. Ideò non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum: quia impii Divina mandata non amant, negligunt cœli gaudia (à Deo ipſis promiſſa, ſi ſe ad illa præparaverint:) ſed juſti præcepta a Deo amant, & habentes Dei promiſſiones, toto deſiderio Domini promiſſa appetunt, & ut digni efficiantur promiſſionibus illius, ſe, amantes præcepta, valdè accuratè diſponunt. Si igitur nos (Deo dante hoc populis ſuis) id amaverimus, quod ille præcipit, id deſideraverimus, quod promittit, erimus ſicut ille beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis; & etiam gloria, & divitiæ erunt in domo conſcientiæ noſtræ, & juſtitia noſtra manebit in ſæculum ſæculi, ſi promiſſiones Dei deſideraverimus, & toto apetiverimus corde. Hæc nobis facientibus, inter mundanas varietates, ibi noſtra fixa eruut corda, ubi vera ſunt gaudia. Inter marinorum fluctuum motus magnos, & varietates, ſive varias elationes, navis anchoris figitur, & acus nautica, quæ vim magnetis ebibit, firmè axem, ſeu polum contemplatur. Similiter igitur ſint nobis terrena in uſu, & cœ-

cœleſtia in deſiderio: ut, Deo rectore, Deo duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Simus inter mundanas varietates, & motus firmi, atque immoti in via, quæ ducit ad portum cœleſtis Patriæ, ſpe cœleſtium ducti. Sint oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri, rectè erecti, & applicati: ſit ante Deum omne deſiderium noſtrum, & gemitus noſter ab eo non erit abſconditus: & obtinentes ab illo pennas ſicut columbæ, volabimus, & requieſcemus, qui nunc inter mundanas varietates gemimus, jacemus, & laboramus.

ORATIO SECRETA.

Deus, qui nos per bujus ſacrificii venerandu commercia, unius ſummæ Divinitatis participes efficis: præſta, quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Ipſius Dei genus ſumus, qui etiam in Deo vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut dicit Sanctus Paulus. Curemus igitur per gratiam Dei, & bona opera effici Divinæ conſortes naturæ, ut ait nobis Sanctus Princeps Apoſtolorum Petrus. Unigenitus Dei Filius, dicit Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus, ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit: & hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem. Ideòque in hac Oratione teſtamur, quòd Deus noſter per Sacrificii Miſſæ veneranda commercia, unius ſummæ Divinitatis nos participes efficit. Inſuper, nè torpeamus, & nè inter degeneres, ac tanto honore privatos homines infelices, hæreticos, & infideles, computemur, hodie petimus à Domino, quatenùs nobis tribuere dignetur, ut, ſicut ſuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur. Non veritatem aſſequitur, qui non benè operatur. Aliud eſt veritatem Dei cognoſcere, & aliud veritatem ipſam aſſequi. Veritatem quidem Dei omnes Chriſtiani Catholici Apoſtolici Romani per veræ fidei confeſſionem, & profeſſionem cognoſcimus: quia credimus in Deum Patrem, & in Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum, & Redemptorem noſtrum. *Hæc eſt vita æterna* (ait Chriſtus Salvator noſter, Patri loquens) *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.* Ad vitam æternam comparandam, Patrem Æternum, & Chriſtum, qui eſt veritas, cognoſcentes, hodie Patri Æterno dicimus: *Præſta, quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur.* Non benè, & cum vitæ æternæ merito, cognoſcimus, nec dignis moribus aſſequimur Chriſtum Patris veritatem, niſi per fidem vivam, & charitatem Chriſtianam. Qui dicit, ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Si hoc executi fuerimus, qui debemus, ſicut Chriſtus ambulavit, & ipſi ambulare; tunc in via vitæ, & ſalutis æternæ felicitabimur; quia veritatem Dei à nobis cognitam, nempe, Chriſtum, dignis moribus aſſequemur: ille enim verè cum merito vitæ æternæ credit, qui exercet operando quod credit. Qui ſequitur Chriſtum, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Aſſequemur Chriſtum, ſi ſequuti fuerimus illum, à tenebris peccatorum abhorrentes, noſmetipſos abnegantes, & crucem noſtram tollentes.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Juſjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Expli-

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

TOletus ait: *Ecce enim ex hoc, &c. Hanc ſententiam à Beata Virgine ſpiritu prophetico pronuntiatam affirmat Baſilius Iſai.8. illud verbum. Acceſſi ad Prophetiſſam, de Beata Virgine interpretans; quam etiam interpretationem ſecuti ſunt Cyrillus in eodem loco, & Epiphanius hæreſ.18. Verba autem Baſilii ſunt hæc: Quòd Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu elocuta eſt. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quòd ſi animum accommodaveris univerſis ejus verbis, non utique per diſſidium negaveris eam fuiſſe Prophetiſſam, quòd Domini ſpiritus in eam ſupervenerit, & virtus Altiſſimi obumbraverit ei. Hæc Baſilius. Cur autem beata dicta ſit, & verè fuerit, ipſamet ſequenti ſententia ennarrat, & explicat.* Vincentius Regius dicit: *Quid igitur miramur, ſi hanc tam Beatam, tam benedictam, tam magnam Virginem initio ipſo molitionis rerum cæleſtes illæ mentes in admirationem tantæ ſanctitatis, & amplitudinis, raptæ, ſupplices adorarunt? Nam, cùm illæ tunc, fide ſaltem, propoſitum ſibi Chriſtum, tamquàm hominum, & Angelorum caput veneratæ ſint; id quoque officii tantæ Virgini præſtitiſſe, non in dubium revocandum eſt; neque enim tunc ſine Matre veroſimile eſt Chriſtum eis fuiſſe propoſitum. Quemadmodùm verò inquit Paulus ad Hæbr. 1. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus, quod præſtiterunt in Filii Dei Incarnatione: ita dicendum eſt, tunc quoque iterum adoratam Virginem. Porrò de ſpeciali ejus adoratione Hyperduliæ, quæ non eſt illa quæ innititur excellentiſſimæ gratiæ, ſed quæ illi tribuitur, tamquàm digniſſimæ Dei Matri, lege Franciſcum Suarez tom. 2. diſ. 2.* Barradas inquit: *Deficiet me tempus, ſi omnes velim commemorare, qui Deiparam viderunt, & beatam prædicarunt. Plena ſunt ſanctorum virorum ora, pleni libri celeberrimis præconiis: inter quæ illud Petri Comeſtoris ſilendum non eſt, quod apud Divum Antoninum extat 3.p. cap.8. tituli 18.*

> *Si fieri poſſet, quòd arenę pulvis, & undę,*
> *Undarum guttæ, roſa, gemmæ, lilia, flammæ,*
> *Æthera, Cælicolæ, nix, grando, ſexus uterque,*
> *Ventorum pennæ, volucrum, & pecudum genus omne,*
> *Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,*
> *Gramina, ros, ſtellæ, piſces, angues, & ariſtæ,*
> *Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,*
> *Lingua cuncta forent; minimè depromere poſſent,*
> *Quæ ſit, vel quanta, Virgo Regina Maria,*
> *Quæ tua ſit pietas, nec littera, nec dabit ætas.*

Cornelius à Lapide ſequentia verba loquitur: *Ecce enim ex hoc beatam, &c. Prophetat hîc Virgo, ſe ab omnibus ſæculis beatam prædicandam, celebrandam, & invocandam. Prophetiæ hujus veritas ex eventu clara eſt. Videmus enim Beatam Virginem ab omnibus nationibus, & ſæculis tot ſacellis, templis, feſtis, Congregationibus, Religionibus, votis, ſupplicationibus, littaniis, &c. coli, & celebrari, quot ceteri Sancti ſimul juncti non obtinent: imò ſoli Beatæ Virgini tribui cultum Hyperduliæ, ſicut Deo cultum latriæ, ceteris verò Sanctis cultum Duliæ. Te ergo, ò Deipara Virgo, beatam prædicabunt omnes generationes. Tuam ſanctitatem, tuam Virginitatem, tuam humilitatem, tuam Maternitatem celebrarunt, celebrant, & celebrabunt omnes omnium temporum Chriſtiani. Vivat tuum decus, tua laus, tua gloria quamdiù vivent Angeli, quamdiù vivent homines, quamdiù vivet Chriſtus, quamdiù Deus erit Deus, in omnia ſæculorum ſæcula.* Hucuſque ſunt verba Cornelii à Lapide.

Pro:

Pro: *Benedictus*.

VErſio Perſica legit: *Et juramenta, quæ Abraham Patri noſtro juravit, quòd nobis daret*. Textus Syriacus: *Nempe, ſe conceſſurum nobis*. Perſicus alter: *Juramenti, quod atteſtatus olim fuit Abrabamo Patri noſtro, ut daret ſe nobis*. Arabicus: *Se daturum nobis ſalutem*. *Alter* Syriacus: *Necnon jusjurandi, quod juravit Abraham Patri noſtro, ſe daturum nobis*. Vatablus: *Quod juravit Abrahæ Patri noſtro, ut daret nobis*. Arias: *Ad Abraham Patrem noſtrum dare nobis*. Divus Irenæus lib. 3. cap. 11. *Ad Abraham Patrem noſtrum, uti det nobis*. Aliqui legunt ex Græco: *Secundùm jusjurandum, quod juravit, &c.* Gloſſa Interlinealis: *Et ad faciendum jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum, ſcilicet, per carnem, vel per Fidem, ſe nobis*. Beda in Gloſſa Interlineali: *Jusjurandum, &c. In te benedicentur omnes cognationes terræ*. Gloſſa Ordinaria: *Et juramentum, quod fecit Patribus de liberatione noſtra, in nobis per Chriſtum compleatur.* Gloſſa Moralis: *Jusjurandum, quod juravit, &c. Geneſ. 22. d. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Quod impletum eſt in Chriſto*. Nicolaus de Lyra ſic explicat: *Jusjurandum &c. De quo dicitur Geneſ. 22. cap. Per memetipſum juravi, &c. Quod juramentum implevit Deus Pater mittendo Filium. Daturum ſe nobis. Quia Deus Pater dedit etiam ſe nobis in Filio, qui eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre*. Eſtius: *Jusjurandum, &c. Quæritur, quo jurejurando Deus promiſit hoc Abrahæ? Reſpondetur, Deum promiſiſſe, & juraſſe Abrahæ, quando promiſit ſemini ejus benedictiones, quas Lucas, ſeu Zacharias benè interpretantur ſpirituales, cujuſmodi maximè eſt, Deo cum tranquillitate ſervire, in ſanctitate, & juſtitia.* Menochius: *Jusjurandum, &c. Eſt appoſitio, quaſi dicat: Quod eſt jusjurandum illud, quod juravit ad Abraham. Aliqui putant, ſubintelligendam particulam: Secundùm, hoc modo: Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti, ſecundùm jusjurandum, quod juravit, &c. Daturum ſe nobis, explicat, quid illo jurejurando contineretur, nempe, ut hoc nobis daret, hoc concederet beneficium, ut liberati de inimicorum noſtrorum poteſtate; ſine timore, id eſt, liberè illi ſerviremus*.

Pro: *Nunc dimittis*.

TOletus ait: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Euthymius ſalutare interpretatur Incarnationem Dei, quæ in ſalutem hominum facta eſt. Baſilius verò in Homil. ſup. Pſalm. 61. in illud: Quoniam ab ipſo ſalutare meum, Chriſtum in hoc loco intelligit, qui ab effectu ſalutis hominum dicitur ſalutare. Eodem modo interpretatur Athanaſius libro de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Attende autem, dici ſalutare Dei, & ſalutare hominum. Nam in Pſalmis aliquando dicit David: Salutare meum, aliquando: Salutare tuum, cum Deo loquens: & utrumque verum eſt; diverſa tamen ratione. Salutare quidem hominum, quia eorum ſalutem operatus eſt; ſalutare Dei, quia Dei Patris Filius eſt, & quia, ut homo, Spiritus Sancti opera conceptus eſt, & quia ſalutem hanc nemo alius, præter Deum, efficere potuit. Quidam Recentiores vertunt: Salutem tuam: dicitur enim Chriſtus ſalus, quia ſalutis cauſa, aptiùs tamen dicitur ſalutare. Rectè autem notat Theophylactus in Simeone videri impletum illud, quod Pſalm. 99. dictum eſt. Longitudine dierum implebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum*. Hucuſque Toletus.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

LAudemus nomen Dei, quoniam ſuavis eſt Dominus, in æternum miſericordia ejus: & uſque in generationem, & generationem veritas ejus. Veritas quidem Dei, nempe, Chriſtus, qui eſt via, veritas, & vita, pervenit ad omnes gentes, & benedicuntur in ipſo omnes tribus terræ, dum in omnem terram exit ſonus

præ-

prædicantium illum, ac idem Chriſtus in Idumæam extendit calceamentum ſuum, ipſi alienigenæ ſubditi ſunt: cùm enim per prædictum calceamentum notitia deſignetur Incarnationis Jeſu Chriſti (in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; itaque ſicut pes vivus ingreditur in calceum, qui fit ex pelle animalis mortui, ita Verbum Divinum cum vivaciſſima ſua Divinitate intravit in noſtram naturam humanam mortalem per ſuam Incarnationem) ſcimus, quòd populus, quem non cognovit, ſervivit illi, in auditu auris obedivit illi, & Gentilis populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis, quando repellentibus Judæis ſalutare Dei, converſi ſunt Apoſtoli ad Gentes, & ipſæ audierunt; ut, ſicut dicit Sanctus Gregorius Magnus, à Judæa Apoſtolorum repulſa prædicatio tunc nobis in adjutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis ſuæ teſtimonium ſuperba repuliſſet; quia Sinagoga prophetias de Incarnatione, & Paſſione Dominica audivit, ſed credere in mortuum noluit; &, juxta Sanctum Auguſtinum, ſignificavit Divina providentia, apud Judæos ſolas Divinas litteras remanſuras, quibus Gentes inſtruerentur, illi ex cæcarentur: atque per hoc completum eſt quod Apoſtolis dictum eſt à Chriſto: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*. Si pervenit ergo in generationem, & generationem veritas Dei, nempe Chriſtus, quomodò poterat non pervenire etiam notitia Sanctæ Mariæ Virginis Matris ejus? Pervenit profectò Deiparæ notitia ad omnes generationes; ideò omnes illam Beatam dicunt, ideò cunctæ illius magnitudinem mirantur. Per ipſam complevit Deus jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum (ut dicit Zacharias) daturum ſe nobis, ſcilicèt, illud ſalutare Dei, quod oculi Simeonis ſenis viderunt, quando accipiens Chriſtum in ulnas ſuas, gratias agens benedixit Dominum. Ergo Dei Genitrix omnes generationes inſtruit. Ergo Deus per illam ſuum juramentum complet. Ergo per eam quoque Sanctus Simeon Chriſtum aſpicit. Laudemus igitur nomen Dei, quoniam ſuavis eſt Dominus, in æternum miſericordia ejus, & uſque in generationem, & generationem veritas ejus. Laudemus quidem Dominum per Mariam Dei Genitricem Virginem nos docentem: laudemus ſuam profectò promiſſionem de Chriſto confirmatam juramento, non tardantem: laudemus quoque ſanctum deſiderium Simeonis ſenis implentem. Sed, ſi per Beatam Mariam Dominus nos docet; quarè non diſcimus? Si Deus juramentum nobis implet, quomodo nos ipſi promiſſa non ſolvimus? Si idem Deus viſu Chriſti ſenem Simeonem beat; quarè nos proximos noſtros ad ſuam ſalvationem ſolicitè non juvamus? Pudeat nos oblatam nobis ſanam doctrinam negligere: pudeat promiſſa à nobis magno Deo, non implere: pudeat etiam proximum ſcandalizare. Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, & ut veniam conſequamur, & gratiam, Dei auxilium in ſequenti oratione imploremus, qui jam Sacram Communionem ſumpſimus.

Oratio poſt Communionem.

ADeſto nobis, Domine Deus noſter: ut per hæc, quæ fideliter ſumpſimus, & purgemur à vitiis, & à periculis omnibus eruamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

QUid erit, quod nobis deſit, ſi Deus nobis miſericors adſit? Adſit igitur, ut nos regat, ut dirigat, ut defendat, ut ditet, ac etiam beatos faciat. Ille eſt *Deus noſter, & omnia*, ut dicebat Sanctus Franciſcus; & ideò habebimus omnia bona, ſi nobis Dominus noſter adfuerit ſua benignitate, & clementia. Hoc explicuit Sanctus Auguſtinus, dum ita locutus eſt, dicens: *Quid eſt aliud, quod per Prophetam dicitur: Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi plebs: niſi, ego ero, unde ſatientur: ego ero quæcumque ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & vi-*

ctus,

ctus, & copia, & gloria, & bonor, & pax, & omnia bona? Ita Sanctus Auguſtinus. Omnia prædicta appetere poſſumus, dum dicentes hodie: *Adeſto nobis, Domine Deus noſter*, ipſum adimus, & eum humiliter exoramus. Per Sacramenta, quæ fideliter ſumpſimus, & à vitiis purgari, & à periculis omnibus erui, fiducialiter depoſcimus. Sed quomodò petet fiducialiter ille, qui non ſumpſerit hæc Sacramenta fideliter? Qui illa infideliter ſumit (vel quia de illis non credit credenda, vel quia agit quæ non ſunt ipſa accipientibus conſona) ea recipiens in peccato gravi, privatus gratia Divina; timeat potiùs ſupplicium, quàm inde ſperet, proventurum ſibi præmium, vel, Divinæ benignatis (ad hoc, ut purgetur à vitiis, & eruatur ab omnibus periculis;) ſe conſecuturum ſuffragium. Fideliter igitur Divina Sacramenta iſta ſumamus; ut, deſiderantes à vitiis purgari, & à periculis omnibus erui, omnia hæc, quæ poſcimus, conſequamur; & voti compotes effecti, Dominum noſtrum iſta largientem laudemus. Tunc purgabimur à vitiis, quæ nos fædant: tunc etiam eruemur à periculis cunctis, nobis minantibus, vel fortè jam armata manu nos undique circumſepientibus. Per Sacramenta quidem à vitiis purgabimur, qui, levibus maculis per ea à nobis expulſis, in vitiis minuemur, & per Communionem hodiernam ad craſtinam præparabimur. Sic juſtus juſtificabitur adhuc, & ſanctus ſanctificabitur adhuc; ac per conſequens purificabitur à vitiis, vincendo malos habitus, pravas conſuetudines, & noxias inclinationes: & ſic etiam nobis abundanter miniſtrabitur introitus in æternum regnum. Etiam eruemur à periculis omnibus per myſteria, quæ fideliter ab Altari Dei ſumpſimus: quia qui caruerit peccatis, & vitiis adducentibus ferè ſemper etiam temporalia pericula; de periculis ſpiritualibus, & corporalibus omnibus triumphabit per Divina Sacramenta. Proptereà Deum (qui de tantis periculis, ut dicebat Sanctus Paulus, nos eripuit, & eruit, & in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet) debebimus ferventiùs quotidie diligere, benedicere, & laudare.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM

Pro Dominica quinta poſt Paſcha.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quintæ poſt Paſcha. Qui quidem Textus eſt hic:

Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Fluctus vehementes, qui per ſpumam, ſuam declarant ignominiam.* Arabicus: *Undæ tenebricoſæ, horribiles.* OEcumenius: *Undæ efferæ maris, deſpumantes ſua ipſorum dedecora.* Apud Cornelium Sanctus Martinus Papa Primus legit: *Fluctus feroces maris, ſpumantes proprias confuſiones.* Alter Arabicus: *Sicut fluctus feri maris commoti, ebulliunt in confuſionibus, vel dilectis ſuis.* Joannes de la Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Quia eorum (hæreticorum) immonitas, imò & arrogantia indicatur: ut enim fluctus maris intumeſcunt, & attolluntur, & ipſis quodammodò cœlis minantur: non aliter iſti in cœlum, ipſamque Divinam naturam maledicta congerunt; & quemadmodùm fluctus maris ſævitia, atque immanitate, integra navigia quaſi deglutiunt, aut ad ſcopulos allidunt: ita hæretici perverſis*

Digitized by Google

verſis ſuis dogmatibus plurimos mortalium ad interitum pertrahunt ſempiternum: hi autem per ſpumam ſuam declarant ignominiam: fluctus enim maris, dum ad ſcopulos alliduntur, ſpumam amittunt: ita hæretici, inquit OEcumenius, ſua ipſorum dedecora deſpumant, in ſpumam poſt jactabundum tumorem maledicentiæ, ex vitæ ſuæ inſtabili, & diſſolubili turpitudine, deſinentes: talis enim, cui comparantur, ſpumæ undarum natura exiſtit: tum, quia inſtar tumentium undarum, quantò altiùs ſuperbientes ſe attollunt, tantò ampliùs confuſi, quaſi in ſpumas ſordidas, & leviſſimas diſſolvuntur, & pereunt. Hæc La Haye. Gloſſa Interlinealis: *Ad ſimilitudinem tumentium undarum ſuperbientes, altiùs ſe attollunt: ſed tantò ampliùs confuſi, quaſi in ſpumas leviſſimas diſſolvuntur, & pereunt.* Hugo Cardinalis: *Fluctus feri maris, id eſt, maris turbidi: quaſi diceret: Sicut mare turbidos fluctus habet, & commotiones, quæ naves concutiunt: ſic & iſti multas habent conſcientiæ punctiones, & amaritudines, quæ ſuam animam circumferunt. Vel fluctus, &c. Vocat impugnationes, violentias, & cædes, quibus illi impugnant Eccleſiam, Fideles corrumpendo. Et hoc eſt, quod ſequitur: Deſpumantes ſuas confuſiones, id eſt, diverſimodè contra Eccleſiam garrientes, indebitè, & inhoneſtè Scripturas exponentes. Sicut enim ex concurſu undarum ſpuma generatur: ſic iſti ex conjunctione auctoritatum malè expoſitarum, & intellectarum, ſuperbiam generant, & vanam gloriam; quæ eſt illorum confuſio. Et benè, quia duo contraria habent in ſe ipſis. Natura enim eos deprimit, ſed ſuperbia erigit, & ita in confuſione ſunt. Et adhuc magis confundentur, quia bonos modò nituntur confundere. Unde Iſai. 19. 6. Confundentur qui operabantur linum, pectentes, & texentes ſubtilia: & erunt irrigua ejus flaccentia: omnes, qui faciebant lacunas ad capiendos piſces: tangitur aliud peccatum, ſcilicèt, impugnatio Eccleſiæ.* Nicolaus de Lyra: *Deſpumantes, &c. Id eſt, cum magno faſtu, & ſuperbia ſuas hæreſes pronuntiantes, ex quibus deveniunt ad confuſionem æternam.* Eſtius: *Videtur Apoſtolus hac ſimilitudine tria notare in falſis illis magiſtris, inconſtantiam, turbas, & turpitudinem. Namque inſtar aquarum maris, perpetuò fluctuant in ſuis doctrinis: item turbis ac diſſidiis omnia replent: ac tertiò ſuas produnt, ac deſpumant ſordes, id eſt, turpitudines. Hanc comparationem à mari, & fluctibus ſumptam impiis in genere, quorum tamen præcipui ſunt errorum magiſtri, applicat Iſaias cap. 57. ita ſcribens: Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum. Non eſt pax impiis, ait Dominus Deus.* Menochius: *Fluctus feri maris. Feri eſt epithethon fluctus, non autem maris; quaſi dicat: Undæ efferæ. Syrus: Fluctus vehementes maris. Benè conferuntur cum fluctibus hæretici, nam ſunt turbulenti, & ſeditioſi. Deſpumantes ſuas confuſiones, id eſt, ſua dedecora: quaſi dicat: Omnia turbant, & miſcent, ſuperbiunt, & attolluntur, inſtar fluctuum; ſed hæc ſuperbia detumeſcit, abitque in ſpumam pudendæ libidinis.* Cornelius hæc habet: *Comparavit Sanctus Judas Gnoſticos primo nubibus ſine aqua, ſecundò arboribus autumnalibus, tertiò hìc fluctibus marinis feris, & ſævis: idque primò, quia inſtar fluctuum inquieti, tenebroſi, amari, & tumidi ſunt, ac per ſuperbiam attolluntur, ut cælum ſua maledicentia, & blaſphemia attingant. Ita Beda, juxta illud Iſai. 57. 20. Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt. Secundò, quia uti fluctus feri navim, ita ipſi turbulenti, ſeditioſi, & tumultuoſi Eccleſiam concutiunt, & exagitant. Tertiò, quia ſicut fluctus, licèt tumentes, & altiſſimi, littus, & ſaxa verberantes, ab iis repulſi deſiliunt, abeuntque in ſpumas, & evaneſcunt, ſic & impetus, faſtus, ac furores hæreticorum verberantes Eccleſiam, in ſe ipſos diſſiliunt, & evaneſcunt. Ita Beda, juxta illud: Homo bulla, quæ non eſt aliud, quàm ſpuma inflata. Quartò, ſicut fluctus in fluctum, ita hæreſis una in aliam arietat, itaque ſeſe invicem conficiunt, & jugulant. Deſpumantes. Alii legunt: Diſpumantes: propriè enim deſpumare eſt ſpumam auferre; diſpumare verò eſt ſpumam, quaſi fæcem ejicere, & exſpumare. Jam per confuſiones, ſive, ut Vatablus legit, dedecora, intellige primò verba pudenda, hæretica, blaſphema, ſuperba, contumelioſa, impudica. Secundo,*

dò, pudenda opera, puta ſacrilegia, expilationes templorum, ſeditiones, bella, cædes, rapinas. Tertiò, & aptiſſimè tò: Confuſiones, notat pudendas Gnoſticorum crapulas, & libidines portentoſas, adeò, ut & ſuum ſemen Deo offerrent, & Euchariſtiæ miſcerent, ac comederent, uti ait Epiphan. hæreſ.26. hæ enim ſunt effectus, & pœnæ ſuperbiæ. Roman. 1. 24. *Quaſi diceret: Superbiunt, & attolluntur inſtar fluctuum: ſed hæc ſuperbia detumeſcit, abitque in ſpumam pudendæ libidinis. Ita Didymus, & Thomas Anglicus. Sanctus Hieronymus ad Oceanum dicit: Venter mero æſtuans, citò deſpumat in libidines.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

NE' deſpumemus noſtras confuſiones, non ſimus fluctus feri maris: nam, ſi fluctus feri maris eſſe non deſiſtimus, noſtras profectò confuſiones deſpumabimus. Confundimur, quia delinquimus: & per ea, per quæ quis peccat, per hęc, & torquetur. Quem fructum habuimus tunc in illis, in quibus nunc erubeſcimus? Nam finis illorum mors eſt. Verè ſtipendia peccati mors. Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Ideò confuſiones noſtras metimus, quia peccata ſeminavimus. Sed (O magna Dei miſericordia!) ſeminavimus multum, & intulimus parum; quia peccavimus ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata noſtra; ſed Deus non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Potuimus in æternum damnari, decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum; ſed miſericorditer Deus, ut tribulatio, & anguſtia inveniant nos, qui eramus perditi, permittit, quòd ob noſtram iniquitatem, aliquam patiamur temporalem confuſionem: implet facies noſtras ignominia, ut quæramus nomen ſuum, quia verum illud dictum eſt: *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*. Vult noſter Dominus, quòd operiat confuſio faciem noſtram, ut in multitudine miſericordiæ ſuæ exaudiat nos, in veritate ſalutis ſuæ; quia eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam. Deus demum repellit nos, & confundit nos: diſponit, quòd tota die verecundia noſtra contra nos ſit, & confuſio faciei noſtræ cooperiat nos; ut poſteà ipſe Dominus exurgat, & adjuvet nos, & redimat nos propter nomen ſuum. Utinam ſic utiliter peccatores confundantur, & non habeant illas confuſiones, de quibus loquitur Sanctus Judas Thaddæus, dum dicit de hæreticis illis, quòd erant fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones. Verè hæretici ſunt fluctus feri maris, quia ſicut è mari elevantur fluctus, ſic ex mari hujus mundi exit fera ſuperbia hæreticorum, qua contra Deum extolluntur. Sed mirabiles elationes hujus maris (cùm mirabilis ſit in altis Dominus, & teſtimonia ejus credibilia facta ſint nimis;) quia, ut dicit Sanctus Athanaſius, mirum eſt impios nefaria audere garrire, cùm & homines ſint, & quæ in terra ſunt, nequeant explicare. *Homines profectò*, ait idem Sanctus, *audaces, & ſuperbi, qui non tremant eam gloriam, in quam cupiunt Angeli proni, inclinatique aſpicere. Apageſis, valeat dementia execrabilium hominum*. Utinam ille Dominus, qui dominatur poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus ipſe mitigat: ille, qui humiliavit ſicut vulneratum ſuperbum, in brachio virtutis ſuæ diſperſit inimicos ſuos: ille, inquam, Chriſtus Deus noſter (qui, ut dicit Sanctus Petrus Chryſologus, *Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis greſſibus ſolidum præberet obſequium*) fluctus feros maris, deſpumantes ſuas confuſiones (hoc eſt, Calvinianos, Lutheranos, Zuinglianos, & alios hæreticos noſtri temporis) ſub pedibus Sancti Petri, & ſucceſſoris ſui Summi Pontificis Romani, inclinet; ut ſic humiliet calumniatores Sanctæ Apoſtolicæ Sedis; atque coram illo procidant Æthiopes, & inimici ejus terram ligant Sacrorum Vaticanæ Eccleſiæ Liminum. Faxit Deus, o Sancte Petre, ut veniant ad te, qui detrahebant tibi, & adorent veſtigia pedum tuorum. Intercede pro nobis, ut conſequamur illud, quod piè petimus à Deo noſtro in duabus ſequentibus orationibus.

Ora-

Oratio Officii Dominicæ quintæ poſt Paſcha, quæ eſt prima in Miſſa illius.

DEUS, *à quo bona cuncta procedunt: largire ſupplicibus tuis: ut cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

A Deo bona cuncta procedunt: quia Spiritu Sancto inſpiratus non potuit non dicere Sanctus Jacobus verum, quando ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Hic idem luminum Pater Deus noſter eſt, quoniam bonorum noſtrorum non eget: Deus noſter eſt ipſe, in manibus ejus ſortes noſtræ. Ergo levemus oculos noſtros in montes, unde veniet auxilium nobis: auxilium noſtrum à Domino, qui fecit cœlum, & terram: & ipſe Deus emittet manum ſuam de alto, eripiet nos, & liberabit nos de aquis multis: nam qui confidunt in Domino ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum qui habitat in Jeruſalem: ac benefaciet Dominus ipſe bonis, & rectis corde. Sic recipientes à Domino beneficia, debemus Deum benedicere, & cantare illi: ergo benedicamus Deum, & narremus omnia mirabilia ejus: tota die non taceamus laudare nomen Domini, à quo noſcimus optimè, nobis beneficia venire, & bona cuncta procedere. Hunc igitur Dominum, à quo bona cuncta procedunt, hodie invocamus, & ut ſupplicibus ſuis ipſe largiri dignetur optima bona, depoſcimus. Petimus, inquam, bona optima; quia exoramus ipſum Dominum, ut nobis largiatur cogitare, eodem inſpirante, quæ ſunt recta, & facere ipſo gubernante, eadem recta jam à nobis cogitata. Duplex bonum deſideramus; quia unum ſine altero non poterit nobis plenè proficere, ſed, ſi unum jungatur cum alio, nos valebit feliciſſimè juvare. Nam quid nobis proderit, Deo inſpirante, cogitare recta, ſi nobis non donatum fuerit opere implere recta cogitata, per gubernium proveniens à miſericordia Divina? *Major cognitio*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *fit majoris pœnæ materia*: & Chriſtus Dominus ait: *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Ut igitur vorticem majoris punitionis fugiamus, non ſolùm benè cogitare, ſed etiam benè operari curemus. Petamus quidem Dei inſpirationem ad cogitandum recta; ſed non obliviſcamur flagitare Dei gubernium ad opere implendum cogitata, quæ ſunt recta, & bona, atque conſequenter, ad Dei ipſius gloriam, proximorum ædificationem, ac noſtram utilitatem ſpiritualem, proficua. Speremus, quòd ita concedetur nobis per miſericordiam Domini noſtri, ut recta cogitemus, adjuvante nos inſpiratione Divina; & eadem recta faciamus, piiſſimè nobis ipſis opitulante benigniſſimo gubernio talis, atque tanti Domini. Niſi ille inſpiraverit, non poterimus ea, quæ ſunt recta, cogitare: &, illo nos non gubernante, non valebimus bona cogitata exequi. Multiplicemus ergo preces noſtras coram Deo, ut nobis inſpiret, ac etiam, ut nos gubernet. Petamus ab ipſo, ut largiatur nobis ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi: ut qui ſine Deo eſſe non poſſumus, ſecundùm Deum vivere valeamus.

ORATIO SECRETA.

SUſcipe, *Domine, Fidelium preces cum oblationibus hoſtiarum: ut per hæc piæ devotionis officia, ad cœleſtem gloriam tranſeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

UTinam Deus noſter velit benignè preces noſtras cum oblationibus hoſtiarum ſuſcipere, & acceptare! Si hæc obti-

obtinuerimus, lætabitur Mater Eccleſia Miſſæ ſuffragiis confiſa: quę optat, quod plebs Dei & devota permaneat, & ſecura conſiſtat. Ad hoc deſiderat quoque, & petit, ut per piæ devotionis officia, quæ in ſacra Miſſa aguntur, faciamus omnes filii ejuſdem Eccleſiæ ad gloriam cœleſtem tranſitum. Quando lætari deſiderat ipſa Eccleſia, Miſſæ Sanctæ confiſa ſuffragiis potentibus, & curamus cum Deo facere, Eccleſiam eamdem devotam permanere, atque ſecuram conſiſtere; diſponitur illa, ut virtute Miſſæ, devota permaneat in executione operis, & ſecura conſiſtat in perceptione mercedis: atque offertur ei æterna retributio pro temporali obſequio. Per piæ devotionis officia deſideramus hodie tranſire ad cœleſtem gloriam piè Domino Deo noſtro obſequentibus promiſſam. Piæ devotionis officia ſunt profectò illa, quæ fiunt in Miſſa Sacra; quia Eccleſia piè in illa utitur fide, piè & ſpe, piè etiam charitate, quando piè credens, ſperans, & amans, actum majorem Religionis, & cultus Dei efficit, & officium majus, quod in hac vita perfici poteſt, peragit. Fidem exercens, credit Dei myſteria; ſpe utens, ſperat Dei promiſſa; & charitati incumbens, diligit Dei attributa, dum ſimul per Religionis virtutem tribuit Deo honorem, adorationem, & cultum, juxta ejuſdem Dei inſtitutionem, & Divinum præceptum, ac beneplacitum. O piæ devotionis officia, quæ per Sacerdotem Deo in Miſſa ſacrificantem, agit Eccleſia Catholica! quanta fruimini ad omne bonum obtinendum efficacia! Valent profectò in Miſſa officia piæ devotionis ad cœli viam ſternendam, & parandam: valent, ut tranſeant Fideles ad cœleſtem gloriam, & felicitatem æternum, ea opera, & officia piæ devotionis, quæ conjunguntur actibus fidei, ſpei, & charitatis, atque etiam religionis. Per hæc officia, Deo largiente, poterimus ad cœleſtem gloriam tranſire. Ibi, ut Sanctus Auguſtinus ait, *præmium virtutis erit ipſe Deus, qui virtutem dedit*; ac ſic, qui dedit nobis virtutes prædictas, dabit nobis ſe ipſum ad nos præmiandum: dabit pro fide viſionem cœleſtem, & beatificam; pro ſpe illam ſummi boni poſſeſſionem jucundam; pro charitate temporaria illam charitatem æternam, & perfectiſſimam; atque etiam pro religione, qua in mund Deum tranſitoriè honoraverimus, gloriam æternam, in qua ſine ceſſatione illum benedicamus, colamus, & adoremus.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Q*Uia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Juſjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

SYriacus legit: *Fecit mihi magna ille, qui potens eſt*. Syriacus alter: *Quia egit apud me magnifica*. Perſica Verſio: *Magnates apud me fecit is, cui Potens, & Sanctus, nomen eſt*. Perſica altera: *Fecit magnalia in me ille, qui præpotens eſt*. Arabica: *Quia potens eſt*. Æthiopica: *Fecit mihi fortis magna, &c.* Cajetanus legit, ſeu vertit: *Fecit mihi magnalia*. Salvianus: *Fecit mihi excelſa*. Exemplaria Græca apud Janſenium vertunt: *Quia fecit apud me magnalia ille, qui potens eſt, cujus nomen ſanctum eſt*. Textus Hebraicus legit: *Quia fecit apud me mirabilia, ſeu miracula qui potens eſt, &c.* Vatablus: *Quia præſtitit mihi magnifica, qui potens eſt, & cujus nomen ſanctum eſt*. Sanctus Paulinus Epiſt. 3. ad Delphinum: *Fecit nobis magna qui potens eſt*. Aliqui ex Græco: *Et immaculatum nomen ejus*. Gloſſa Interlinealis ait: *Quia & fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus, quia ſingularis potentia culmine omnia, quæ fecit tranſcendit longè: & invocatio hujus nominis ſanctitatis facit participes*. Gloſſa Ordinaria: *Quia fecit mihi magna. Quia in me carnem ſumpſit, & me à peccatis mundavit, & dona Spiritus Sancti mihi contulit. Et ſanctum nomen ejus*. Beda: *In Græco Agyon, quod ſonat extra*

tra terram, quia nomini ejus conſecrati, non in terra converſationem, ſed in cœlis debent habere. Gloſſa Moralis: Quia fecit mihi magna. Chryſoſt. Dicit autem: Qui potens eſt, ut ſi quis diffidat in Conceptionis negotio, dum Virgo manens concepit, retorqueat miraculum ad potentiam operantis. Joannes de La Haye in concordia, & expoſitione litterali dicit: Alii legunt: Quia potens eſt: ſi enim potentiam in omnium creatione oſtendit, majorem ſanè in Incarnatione Verbi præſtitit; ea enim majus eſt opus, quam totius mundi creatio. Nicolaus de Lyra: Quia fecit mihi magna. In ſanctificatione, ſed maxima in Filii Dei Conceptione. Qui potens eſt. Virtute enim potentiæ Dei infinitæ facta ſunt hæc. Et ſanctum nomen ejus. Quia quidquid ſanctitatis poteſt cogitari, totum eminentius eſt in eo. Menochius: Magnum verò miraculum fuit, ut ſine viro, Deum, hominemque Virgo conciperet. Et Sanctum nomen ejus. Ille, cujus nomen ſanctum eſt. Nomen Dei ſanctum eſt, ac venerabile, adorandum, celebrandum. Tirinus: Et ſanctum nomen ejus. Nomen Chriſti, & Dei, eritque perpetuò ſanctum toto orbe: & conſequenter omni honore, omni affectu venerandum, colendum, celebrandum. Videtur applaudere ei, quod Angelus dixerat: Ex te naſcetur Sanctum. Maldonatus inquit: Magnum verò miraculum erat, ut ſine viro Deum, hominemque Virgo conciperet. Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici. Potens, quod unum eſt ex decem nominibus Dei, quæ Hieronymus numerat. Aptè verò hoc loco Maria Deum potentem appellavit, quia de miraculis agebat, in quibus efficiendis maximè oſtenditur Divina potentia, ut Theophylactus indicavit. Et Divus Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici, Magnum, inquit, fuit, ut Virgo ſine virili ſemine filium conciperet. Magnum fuit, ut Dei Patris Verbum carne ſua indutum utero geſtaret. Magnum fuit, dum ſe ancillam confeſſa eſſet, ut Mater fieret ſui Plaſmatoris. Qui potens eſt: quia credi poteſt ejus potentia, potentem confeſſa eſt, ſed quanta, aut qualis, comprehendi non poteſt. Cornelius ſic loquitur: Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Syrius: Quia egit apud me magnifica qui potens eſt. Incarnatio enim Verbi Dei majus eſt opus, quàm creatio totius mundi. Quocircà Beata Virgo, utpote Mater Dei, major eſt omnibus Angelis, omnibus hominibus, omnibuſque creaturis ſimul ſumptis. Admirabilia, ait Titus, per me operatus eſt potens ille: nam, cùm Virgo ſim, præpotenti illius voluntate, naturæ fines ſupergreſſa, concepi, nulliuſque viri commercio uſa, digna effecta ſum, quæ non cujuſvis promiſcuè, ſed Unigeniti Filii Dei Mater fierem.

Pro: *Benedictus*.

SYlveira dicit: Juſjurandum, quod juravit, &c. Magna varietas eſt, unde ille accuſativus: Juſjurandum, regatur. Et ideò aliqui appoſuerunt illam particulam: Secundum: ad quod non apparet fundamentum in textu Græco. Breviter tamen dico, dupliciter aptandum. Primò cum Euthymio, Beda, Theophylacto, Cajetano, in genitivo, connectendo cum ſuperiori verbo: Memorari teſtamenti ſui ſancti juſjurandi, quod juravit: præcipuè, cùm ita habeat lectio Syriaca. Et facit hunc ſenſum: Memorari teſtamenti ſui, & explicat, quale ſit hoc teſtamentum: Juſjurandi. Euthymius legit etiam: Juſjurandum, in accuſativo: quia dicit, valdè frequens eſſe apud Græcos variare caſum: Secundò, referendum eſſe, ut ait Hugo, ad illam ſuperiorem ſententiam: Erexit, ſeu excitavit cornu ſalutis; id eſt, Salvatorem noſtrum juſjurandum, quòd juravit. Acſi dicat: Qui Salvator pollicitus eſt cum juramento Abrahamo Geneſ. 22. num. 16. Daturum ſe nobis; ſcilicèt, ut explicant Hugo, & Dionyſius Carthuſianus, daturum ſe per fidem, per carnem, dum factus eſt homo; per cibum: Caro mea verè eſt cibus: per medicinam ægrotis: per redemptionem captivis: per præmium juſtis. Nota, quòd, quamvìs textus Græcus, juxta Vatablum, & Arias, non habeat particulam: Se, ſed tantùm dare nobis: tamen ſemper eſt ſubintelligenda. Hæc Sylveira. Barradas ait: Juſjurandum, quod juravit. Nomen juſjurandum, cum verbo memorari conjungendum eſt, quod & accuſativum regit, & genitivum. Fortè accuſativum juſjurandum cum verbo erexit conjunxit Lucas, & Interpres, quemadmodùm conjunximus accuſativum ſalutem, in hunc

ſen-

Digitized by Google

ſententiam : Erexit nobis Dominus cornu ſalutis , Erexit , ſive excitavit ſalutem , id eſt , Salvatorem , qui ipſa ſalus eſt , & erexit, ſive extulit jusjurandum , quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum. Videbatur enim jacere Dei illud jusjurandum , antequàm impleretur : cùm implevit , videtur illud erexiſſe Deus , atque extuliſſe. Hoc autem jusjurandum Geneſ.22. extat: Per memetipſum juravi , quia feciſti rem hanc , &c. Vincentius Regius inquit: *Explicat Zacharias , quodnam ſit teſtamentum , de quo dixerat : Memorari teſtamenti , jusjurandum , inquam . Quaſi dicat: Quod teſtamentum eſt jusjurandum . Videtur alludere ad illud Geneſ. 22. 16. 17. & 18. Per memetipſum juravi , &c. Sic namque intellexit Zacharias locum hunc Geneſis , Spiritu Dei illuſtratus , nempe , contineri his verbis Geneſis promiſſionem Meſſiæ : & prima quidem promiſſio (loquor de iis , quæ facta ſunt Abrahæ) habetur cap. 12. In hac autem ſecunda additur juramentum . Jusjurandum : non mirum , quòd teſtamenti dicitur in genitivo , & jusjurandum in accuſativo , quia eſt methathesis caſus, & idem verbum , ſcilicèt , memorari , quod paulò ante genitivum habuit, habet nunc accuſativum . Alii ſubaudiunt: Secundùm jusjurandum . Daturum ſe . Explicat , quid in illo jurejurando contineretur .*

Pro : *Nunc dimittis* .

TOletus ait : *Duo autem ſunt de Simeone notanda: unum eſt, quod refert Nicephorus lib. hiſt. cap.11. nempe , vitam illi ad multum ſenium fuiſſe propagatam , ut Chriſtum videre poſſet : quod probabile eſt , & Auguſtini ſententia comprobatur , qui ſerm.9. de Nativ. Domini , de Simeone loquens , inquit : Differebatur exire de ſæculo , ut videret natum , per quem conditum eſt ſæculum . Et in eodem ſerm. appellatur ſenex , & annoſus . Omnes autem Patres illum ætate provectum fuiſſe affirmant , idque Euangeliſta indicat , ut paulò inferius dicemus . Alterum eſt, quod ſcriptum eſt in præfatione quadam Celſi ad Vigilium in altercatione Jaſonis , & Papiſci , quæ ponitur inter opera Cypriani , ubi Simeon cæcus antè fuiſſe dicitur , & tunc viſum recepiſſe, quando Chriſtum in ulnis recepit . Verba ſunt hæc : Simeon quoque juſtus , qui in cæcitate conſtitutus Divino monitu audierat , ſe non antè moriturum , quàm vidiſſet Chriſtum , cùm in Templo , omni populo præſente , Infantem ſecum inferret. Mater , & in ſpiritu natum eſſe Chriſtum ſenſiſſet , acceptum in manibus puerum vidit , & benedicens Deum in conſpectu , & auditu omnium dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace . Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum . Simeon , quod cæcus audierat , evidenti veritate perfectum eſt , & veritatem , quam accepto lumine viderat, benedicendo palàm Deum , populo prædicabat; ad hoc enim viderat , ut referret ; & revelatione ſua , quòd Chriſtus natus fuiſſet , oſtenderet: & perfidi populi initia prima incredulitatis inſtrueret . Hæc ibi ; quæ apud nullum alium Auctorem legi , retuliſſe ſatis ſit .* Hucuſque Toletus . Sylveira dicit : *Cùm Euangeliſta narrare decreviſſet , quantis Simeon cæleſtibus donis eſſet cumulatus , quòd Chriſtum viderit, in ſuiſque ſuſceperit ulnis; quòd admirabili , & prophetico cantico ejus cecinerit mirabilia , priùs magnis ornatum virtutibus Simeonem deſcribit , ut manifeſtè appareat, quòd non favore tantùm , ac indulgentia , ſed meritis , ac virtutibus propriis ad magnalia tanta fuerit evectus.* Galfridus in Allegoriis Tilmani ad illa verba: *Nunc dimittis* , ſic ait: *Venerant priùs paſtores ad Dominum , venerant & ſiderum contemplatores : Simeon forſitan venire non poterat ; ipſe ad eum venire dignatus eſt , & prævenire eum in benedictionibus dulcedinis.* Hæc Galfridus .

Reflexiò moralis , ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita , & ab Auctoribus explicata .

QUia Deus, qui potens eſt, & ſanctum eſt nomen ejus , magna fecit Beatæ Virgini Dei Genitrici Mariæ , optat ipſa, illum à ſe, & ab omnibus creaturis magnificari. Benedictum Dominum appellat (illum laudans) Zacharias Deum noſtrum

ſtrum, quia implevit ſuum ad Abraham factum juramentum. Benedixit Simeon Deum, quia oculi Senis Sancti viderunt ſalutare Dei noſtri. Meretur profectò noſter Dominus laudem ob bona, quæ nobis facit; ob verba ſua, quæ implet; & ob lætitiam, qua replet. Ergo accipientes in Sacra Euchariſtia Chriſtum verum Deum, & Dominum noſtrum, accipimus magnum Dominum, & laudabilem nimis, quia nobis facit benigniſſimè bona; quia complet fideliſſimè promiſſa; & quia etiam tribuit largiſſimè præmia. Quis igitur Deum poſt Communionem glorificans, non beneficia petet? non promiſſa ſperabit? & non lætitiam habebit? Curemus igitur ſurgere à ſacra menſa meliores; poſcentes, ſperantes, & lætantes. Poſcentes, ſatagamus non eſſe indigni petitis; ſperantes, nos reddamus Dei promiſſionibus aptiores; & lætantes, non obliviſcamur evadere ad ſervitium Domini noſtri proclives. Adoremus Dominum in atrio ſancto ejus, ut audiat, & lætetur Sion, nempe, Eccleſia triumphans; & noſtræ devotionis fluminis impetus lætificet Civitatem Dei cœleſtem, quando ſcierint cœlicolæ, nos exercere virtutes Theologicas, ut devotio noſtra creſcat poſt Communionem: quod quidem (ſi credentes poſtulaverimus; ſi ſperantes, cucurrerimus; & ſi dilectione pleni jucundabimur) nobis feliciter accidet, & in bonum noſtrum cedet. Ad hoc magna fecit Dominus Beatæ Mariæ, ut per ſcalam ejus virtutum, & privilegiorum in cœlum alacres aſcendamus: ad hoc implevit juramentum ad Abraham factum, ut nos filii Abrahæ fide, & operatione ſimus: & ad hoc Chriſtus Deus homo ſe Simeoni patefecit, ut nos à terrenis abigeret. In conſpectu igitur Deiparæ, non pigri ſimus ad cœlum conquirendum: cum memoria Abrahæ, ejus imitationem jungamus: ac æmuli Sancti Simeonis, amplectamur toto corde Chriſtum Deum, ac Dominum noſtrum. His vacantes, Deum laudemus, & ſequentem orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Tribue nobis Domine, cœleſtis menſæ virtute ſatiatis, & deſiderare quæ recta ſunt, & deſiderata percipere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

O Bone Jeſu! Quàm benè locutus eſt ille Sanctus dilectus tuus Doctor Mellifluus Bernardus, dum tibi dixit: *Qui te guſtant, eſuriunt: qui bibunt, adhuc ſitiunt: deſiderare neſciunt, niſi Jeſum, quem diligunt!* Utinam hæc veniant nobis cœleſtis menſæ virtute ſatiatis in Sacro Altari. Habet quidem cœleſtis menſa virtutem Fideles ſatiandi; ſed magno myſterio, quando ſatiat, majorem erga Deum famem excitat, ac magis animæ appetitionem, ut Deum ambiat, multiplicat. Facit famelicos erga Deum, ut pluries ad eum accedere myſteriis ſatiati obtineant: & erga myſteria ipſius menſæ, ut valeant illa in dies majori adire frequentia, & quotidie ad ipſa accedere cum majori deſiderio, ipſaque recipere majori cum appetitu. Quid mirum, quando in Altaris menſa habemus homines illum Dominum, qui eſurientes replet bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes: ac ſua dulcedine etiam efficientem eſurientes, nè multi ſint, qui talibus bonis priventur, ſed ſint plurimi, qui frequenter Sacra Menſa potiantur? Satiatos nos eſſe, ac ſimul exiſtere præ dulcedine Divini cibi famelicos, deſideramus; &, dum famem juſtitiæ habere jure cupimus, ſic Patrem Æternum alloquimur: *Tribue nobis, Domine, cœleſtis menſæ virtute ſatiatis, & deſiderare quæ recta ſunt, & deſiderata percipere.* Faxit Deus ipſe, ut poſtquàm benè ſatiati fuerimus, recta deſideremus, & eadem deſiderata percipere valeamus. Medullatum convivium Sacræ Euchariſtiæ, dum ad ſe accedentes ſatures facit, etiam in illis deſiderium menſam Regiam iſtam frequentandi, ſua virtute accendit: datque ipſis ſimul facultatem ea, quæ recta ſunt, deſiderandi, ac eadem percipiendi

Digitized by Google

piendi deſiderata; ut communicantes petant, & conſequantur multa bona à Majeſtate Divina. Quid rectum non deſiderabit, appetet, imò & petet ille, cui feliciter obvenit de pane cœleſti dignè edere,& ſatiari menſæ cœleſtis virtute? Qui omnia recta, dum Euchariſtia eſt ſatiatus, deſideraverit; quomodo recta deſiderata à Domino Rege illum invitante, & ſatiante non percipiet? Ad hoc nos ſatiat panis pinguis Chriſti Regis, præbens delicias regibus, id eſt, juſtis Euchariſtiam guſtantibus; ut ſatiati iſti deſiderent ea, quæ ſunt recta, & percipiant ea omnia, quæ fuerint ab ipſis deſiderata. Horum profectò ſatiatorum regum ſe timentium voluntatem faciet noſter Deus, & Dominus, & quia etiam iſti ſatiati reges, ſunt famelici in deſideriis(quaſi eſſent inſatiati, & pauperes) deprecationem pauperum eorum idem Rex Divinus exaudiet, & ſalvos faciet eos; ac horum deſiderium pauperum exaudiet Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris ejus. Eo quidem magis ſpiritum recta deſiderandi hauriemus, & tantò plùs felicitate percipiendi deſiderata abundabimus, quò plùs (ut virtute cœleſtis menſæ ſatiemur) ora animarum avidè aperuerimus, cùm Sancto Altari appropiamus.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM

Pro Dominica infraoctavam Aſcenſionis.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ infraoctavam Aſcenſionis. Qui quidem Textus eſt hic:

Sidera errantia.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

VErſio Syriaca apud Cornelium legit: *Stellæ ſeductrices*. Arabica: *Stellæ caliginoſæ, vel maleficæ*. Ipſe Cornelius ex Græco: *Stellæ erraticæ*. Verſio Æthiopica: *Qui incedunt per ſtellam erraticam*, Altera verſio Syriaca apud Bibliam Maximam: *Stellæ ſeducentes*. Joannes de La Have in Concordia, & Expoſitione litterali ait: *Sidera errantia: Alii: Stellæ ſeducentes, qui incedunt per ſtellam erraticam. Græcè: Erratici planetæ: ſeptem autem ſunt illi, qui novum occaſum, ortumve facient, nunquam eodem loco manentes, interdum enim verſus Capricornium, ſeu brumam declinant, aſcendunt aliquando ad laucrum, ſeu Æſtivale ſoliſtitium, modò repetunt mediam Zonæ æquinoctialis lineam: ita & hujuſmodi hæretici adeò tenebris obvolvuntur, ut in devia ſemper abeuntes, numquàm rectam, & eamdem docendi viam obſervent; imò alios rectè incedentes, à recto tramite deflectere moliuntur. Unde rectè ab aliis ſtellæ ſeducentes dicuntur*. Gloſſa Ordinaria: *Lucem veritatis promittunt in hoc mari vitiorum. Sed nunquam in eodem ſtatu docendi, & vitæ perdurant, & aliis cauſa naufragii ſunt*. Hugo Cardinalis: *Sidera errantia. Unde non debetis eos ſequi, ſicut nautæ non ſequuntur ſtellas erraticas, ſed fixas. Ecce aliud peccatum, error, ſcilicèt, in doctrina, quæ debet illuminare intellectum, & inducit errorem. Et ſicut planetæ ſunt cauſa efficiens procellæ in inferioribus, quia ibi habent dominium, & aſpectum, licèt in inferioribus ſit cauſa materialis ſic iſti in Eccleſia ſunt cauſa diſcordiæ, & tribulationis*. Nicolaus de Lyra: *Sidera errantia. Per varios errores*. Eſtius: *Sidera errantia. Sidera ea intelligit, quos planetas, id eſt, errones vocamus. Neque tamen naturas*

ſed

Digitized by Google

ſed vulgi opinione tales ſunt. Non enim reverà vagantur: ſed certos, & ordinatos habent motus ſinguli proprios: qui, quoniam imperitis ignoti ſunt, errare, & vagari, incertis motibus eos, putant. At reverà tales ſunt hæretici. Quippe ſtellæ videri volunt, id eſt, lumina Eccleſiæ; ſed ſtellæ ſunt erraticæ; qui in doctrina, per quam alios illuminare debebant, nuſquam ſibi conſtant, ſemper errorem ex errore ferentes. Menochius: Sidera errantia. Vel intelligit exhalationes igneas, quas Ariſtoteles lib. 1. Meteor. appellat ſtellas diſcurrentes in aere: tales enim ſunt hæretici, qui aliquem videntur habere ſplendorem doctrinæ, vel eloquentiæ, ſed non ſtabilem, ſed ſtatim evaneſcentem. Vel intelligit planetas, qualis eſt Mars, Venus, Luna, &c. qui in cœlo curſu vario, & vago oberrant: ſic hæretici à vera Fide in errores alios, & alios aberrant, & in errores etiam alios inducunt. Tirinus: Sidera errantia, & in erroribus prorsùs inconſtantia. Græcum verbum hîc non tantùm ſignificat planetas ſeptem inferiores, ſed etiam meteora, & exhalationes igneas in aere diſcurrentes, quas Ariſtoteles ſtellas erraticas vocat. Et hoc ſenſu Plato mercatores planetas urbium, & Heraclius Imperator milites deſultorios, planetas caſtrorum appellabat. Longam de hæreticis, ſtellis verè erraticis, diſputationem vide apud Iſidorum Peluſiotam, & Jodocum Coccium. Syriacus vertit ſtellas ſeductrices, Arabicus ſtellas caliginoſas, quales ſunt exhalationes accenſæ, quæ inſtar ſtellarum in aere oberrant, & ſubinde in terram cadunt: item ignes vulgò dicti fatui, qui viatores in præcipitia deducunt, & hæreticos ad vivum repræſentant. Cornelius hæc habet: Sidera errantia, puta Planetæ. Planetæ enim, ut Mars, Venus, Luna, Mercurius, in cœlo curſu vario, vagoque oberrant. Sic & hæretici à vera Fide in errores alios, & alios aberrant, alioſque in errorem ducunt. Tò: Errantia, notat eorum non tantùm errores, ſed & errorum inconſtantiam, & mutabilitatem. Ita Œcumenius, Beda, & alii. Oberrant ergo, ſicut planetæ, qui ſemper tramitem mutant, ut nunquam eodem loco oriantur, & occidant, ſed alio ſemper, & alio, atque nunc tardiùs, nunc celeriùs rotentur: modò enim ad infima Zonæ brumalis deſcendunt; modò ad alta Zonæ ſolſtitialis aſcendunt, modò mediam Zonæ æquinoctialis lineam repetunt, ait Beda; ſed hoc diſcrimine, quòd planetæ in errore, motuque ſuo ſint regulares, & conſtantes, unde Plin. lib. 2. cap. 6. Septem ſidera, ait, ab inceſſu vocamus errantia, cùm errent nulla minùs illis. At hæretici in errando ſunt irregulares prorſus, & vagi, novos enim quotannis errores confingunt: quare in novandi conſtantia ſunt inconſtantiſſimi. Secundò, ſidera errantia. Cajetanus non malè interpretatur, non planetas cœleſtes (hi enim conſtantes habent motus) ſed meteora, & exhalationes igneas, quas Ariſtoteles 1. Meteorol. vocat ſtellas diſcurrentes in aere. Tales prorsùs ſunt hæretici. Vide Bellarm. in Oratione tomo ultimo præfixa, ubi appoſitè Lutherum comparat ſtellæ cadenti è cœlo in terram, imò in tartara. Apocalipſ. 8. v. 10. Lapſus eſt enim è ſtatu Religioſo, qui eſt imitatio, & inchoatio vitæ cœleſtis, in terreſtres cupiditates, & ſordes, ac infernales errores, & blaſphemias. Quocircà Syrus vertit: Stellæ ſeductrices, Arabicus: Stellæ caliginoſæ, vel maleficæ, quales ſunt exhalationes, quæ accenſæ inſtar ſtellarum e cœlo cadere videntur. Item ignes fatui, vel errantes, qui viatores in avia, flumina, vel præcipitia deducunt. Simillimi ſunt hæretici. Longam de his errantibus ſtellis diſputationem habet Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſt. 58. Perſtringit rurſum Sanctus Judas Simonem Magum, qui volando per aera, quaſi ſidus errans, in cœlo oberravit. Videtur quoque prævidiſſe pſeudoprophetam, qui paulò poſt ſub Adriano Imperatore Judæos ſeduxit, & ad rebellandum Romanis concitavit, ideòque ſe Barchochebos, id eſt, filium ſtellæ nuncupavit, de quo Euſeb. lib. 4. hiſt. cap. 6. Rurſum perſtringit triginta Æones, quos Valentinus confinxit, quaſi triginta ſidera in cœlo oberrantia; unde eoſdem per ternos cœlos inſtar ſiderum diſtribuebat, uti videre eſt in eorum ſchemate, quod exhibet Pamellius in Tertullian. initio libr. contra Valent. Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

STellæ manentes in ordine, & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt; ſed è contrario ſidera errantia, de quibus hìc loquitur Sanctus Judas Thaddæus, diaboli egerunt negotium. Illæ ſtellæ pugnaverunt, contra Dei inimicum, manentes in ordine, & curſu ſuo, quaſi non oblitæ ſuæ obligationis: ſed iſta ſidera errantia erraverunt à via veritatis. Bonæ ſtellæ, ſecundùm Philoſophos, & Aſtrologos, habent duos motus, alium regularem, & alium trepidationis: ideò manſerunt illæ in ordine, & curſu ſuo: ideò adverſus Siſaram pugnaverunt; quia qui non diſcedunt à regulari motu legis Divinæ, & trepidant ad minimam Dei offenſionem, vel adhuc pavent in conſpectu levis culpæ, nè eam admittant; iſti verè contra diabolum pugnant: & ita pugnant, ut neque ab ordinata vita Chriſtiana, neque à curſu ad Deum vel deficiant, vel diſcedant. Qui manent in ordine, ad Deum currunt:& qui ad Deum currunt, manent in ordine ſuo, & nunquã ab iſto ſeparantur;quaſi ſit idem manere, ac currere: & currere, ac manere; ſiquidem tum in ordine manentes, tum veloci curſu Deo noſtro appropinquantes, pugnant: & debellant dœmones, & vincunt facillimè varias eorumdem tentationes. Utinam iſtis ſtellis illa ſidera errantia eſſe molirentur ſimilia: ſic profectò non errarent, neque viatores, & navigantes ſeducerent. Solemniter errant hæretici cum ab ipſis ſeductis, quia, cùm in Baptiſmo renuntiaverint diabolo, & pompis ejus, & etiam vitam æternam petierint, poſt inceptum ad Deum, & ad terram promiſſionis iter (quia portio Chriſtianorum eſt in terra viventium, ut ad promiſſiones Dei ſine offenſione curramus) dum cœpit tædere illos itineris, ac laboris, non ſolùm nauſeat anima illorum ſuper manna gratiæ, quod dat illis Deus, qui portas cœli aperuit, & pluit filiis Iſrael illud manna, ut ederent; ſed contra Deum, & ſuos miniſtros rebellant, Deum derelinquentes fontem aquæ vivæ, & fodientes ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, ut ſatient in delectationibus carnis, in divitiis ſæculi, & vanitatibus mundi ſitim ſuorum peſſimorum apetituum: ac ſic ſe tradunt cum ſociis, peccato, & perditæ vitæ involucro. Quò magis iſta ſidera errant, eò plus interitui, & æternæ morti appropiant. Si non errarent, non perirent. Æternaliter in inferno non manerent, ſi à via recta Fidei Catholicæ, & à Chriſtianæ vitæ itinere non errarent. Errant iſta ſidera à vocatione Chriſtiana; errant multi eorum ab Ordine, quo ſunt inſigniti, & à vita Religioſa, quam fuerunt aliquando profeſſi; errant quoque à curſu ſuo, declinantes à Dei via, per quam cucurrerunt aliquando; & velut infelices apoſtatæ, ab incepto itinere declinantes, errorum aſſeclæ ſiunt, & mancipia diaboli evadunt. Agejam ſinamus illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Nos verò, ſicut ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, adverſus Siſaram diabolum pugnemus. Sic curramus non quaſi in incertum: ſic pugnemus, non quaſi aerem verberantes, ſed caſtigemus corpora noſtra, nè diabolus nos vincat, & nè vadamus ad gehennam, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Petamus Divinum auxilium per contenta in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ infra octavam Aſcenſionis, quæ eſt prima in Miſſa illius.

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & Majeſtati tuæ ſincero corde ſervire. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

VOluntariè ſacrificemus Domino, & confiteamur nomini ſuo, quoniam bonum eſt; ut ſic voluntaria oris noſtri beneplacita faciat Dominus, & judicia ſua doceat nos: & qui hæreditate acquiſivimus

mus teſtimonia Dei in æternum, quia exultatio cordis noſtri ſunt; inclinemus cor noſtrum ad faciendas juſtificationes Dei in æternum, propter retributionem. Veniat nobis à Domino, ut hac bona exequamur, nempe,quòd nos ei ſemper & devotam geramus voluntatem, & Majeſtati ſuæ ſincero corde ſerviamus: illi, inquam, Dei Majeſtati, quæ voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Per Chriſtum nobis datum, nobis natum ex intacta Virgine (quæ habet gloriam Dei Genitricis) gloria eſt in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Scuto bonæ voluntatis ſuæ coronabit nos Dominus, ſi nos non extra, ſed intra voluntatem Dei manere fideliter, & jugiter voluerimus. Ergo Deo noſtro ſemper devotam voluntatem geramus, ut verè homines bonæ voluntatis ſimus; & Majeſtati talis Domini ſincero corde ſerviamus, volentes, & quærentes ex toto corde, quòd gloria ſit in Altiſſimis Deo; nam ſi converſi fuerimus, ignoſcet nobis Deus, reſultante ei gloria accidentali ex converſione noſtra, & benignitate ſua, qua nobis remiſerit peccata: & ſic gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei: qui velut cœli myſtici enarrant gloriam illius, qui eſt illorum, & noſter magnus Creator, & Dominus. Devotam Deo nos gerentes voluntatem,& Majeſtati ejus ſincero corde ſervientes, probabimus, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Sed quomodò devotam gerere Deo voluntatem poſcimus, ſic ſincero corde ſervire ſuæ Majeſtati, poſtulamus. Utroque profectò egemus, devota erga Dominum Deum noſtrum voluntate, & ſervitio facto ſincero corde ſuæ præexcelſæ Majeſtati. Qui voluntatem habuerit devotam coram Deo, ſincero etiam corde polleat, ut Dei attendat ſervitio. Præeat faciendum Deo ſincero corde ſervitium, voluntas ſemper devota ad ipſius Domini noſtri obſequium: & qui ambobus his egemus, neutro iſtorum carere pro viribus, Dei freti adjutorio, ſatagamus. Heu! Quot non ſerviunt Deo ſincero corde, quia obligati ad gerendam ſemper Deo devotam voluntatem, hoc onus non portant, iſtud officium non implent! Quò pacto Divinæ Majeſtati ſincero corde ſerviemus, ſi Deo ipſi devotam voluntatem gerere non priùs curaverimus? Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Inducet ſuper hunc diem afflictionis, & duplici contritione conteret eum Dominus. Similiter accidet illis, qui claudicant in duas partes, (cùm nemo poſſit duobus dominis ſervire:)& ſiunt duplices animo, carentes ſincero corde ad Dei obſequium, quia devotam Deo voluntatem gerere obliviſcuntur. Igitur (verbis Sancti Jacobi Apoſtoli loquor) *emundate manus peccatores: & purificate corda veſtra duplices animo. Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mærorem. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* Ergo bene pro nobis petit Eccleſia, quando ab Omnipotenti Deo ſempiterno poſtulat, ut dignetur facere, nos ipſi ſemper & devotam voluntatem gerere, & Majeſtati ſuæ ſincero corde ſervire.

ORATIO SECRETA.

Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent: & mentibus noſtris ſupernæ gratiæ dent vigorem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Purificant quidem nos Sacrificia, ſed purificant, quoniam ſunt immaculata. Lex Domini immaculata convertit animas: & præceptum Domini lucidum illuminat oculos. Niſi immaculata lex Domini foret, numquam animas converteret: & niſi eſſet præceptum Domini lucidum, oculos illuminare non poſſet. Ergo nec nos purificare umquàm poſſent ſacrificia polluta. Ergo benè poſſunt mundare nos,& purificare Sacrificia Altaris Divina, quia nitida,quia perfecta,quia juſta,& quia ſunt immaculata.Quando à Deo hodie petimus,ut nos Sacrificia immaculata purificent, rogamus, ut ipſa præſtent id, ad quod (quia ſunt immaculata, & à Deo inſtituta) habent optimam virtutem. Sordibus ſcatemus, ideò purificationi inhiamus

mus; maculis tegimur, ideò ablutioni inſiſtimus; lepra peccatorum nos fœdè contegit, ac propterea debemus vacare proficuæ emundationi. Si caro Naaman reſtituta eſt ſicut caro pueri parvuli (& ille mundatus eſt, quia deſcendit, & lavit in Jordane ſepties, juxta ſermonem viri Dei Eliſei, qui miſit ad eum nuntium dicens: *Lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis*) cur nos fidem præbentes Chriſto, Sacrificia immaculata inſtituta ab ipſo ad noſtram emundationem, non frequentabimus, ut ab ipſis Sacrificiis immaculatis mundemur, abluamur, & planè purificemur? Oramus hodie inſuper, ut Sacrificia immaculata, quæ nos purificaverint, etiam dent mentibus noſtris ſupernæ gratiæ vigorem. Balnea corporalis medicinæ ſemper extenuant, & debilitant, etiam cùm aliquando reddunt ſalutem deſideratam, & viſibilem quoque emundationem communicant; ſed Sacrificia Divina, quando ſanant, & purificant, ſemper Divinæ gratiæ maximum vigorem præſtant. Quaſi eis non ſit ſatis nobis præbere ſalutem, munditiam, & puritatem; ulteriùs progredientia, nobis etiam, ſeu impertiunt, ſive communicant fortitudinem, & ſalutem. Dant gratiæ augmentum, & ideò fortes nos conſtituunt: ſed hæc omnia cum accedentibus ad ipſa in gratiæ ſtatu operantur. Fortitudo, & decor indumentum ſunt animæ benè utentis Sacrificiis inſtitutis à Chriſto Domino: ideò talis anima, ut mulier fortis, ridebit in die noviſſimo; nam qui de ſua ſpe, & operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit, quia lætus Judicem ſuſtinet: & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilareſcit; habens decorem, & munditiam, quia benè frequentavit Sacrificia immaculata nos purificantia: & habens fortitudinem, quam accepit per Sacrificia ipſa, mentibus noſtris ſupernæ gratiæ vigorem diſtribuentia.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QVia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Juſjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Quia fecit mihi magna, &c. Summè potens eſt, qui poteſt omne, quod poſſibile eſt: nec ideò minùs poteſt, quia impoſſibilia non poteſt, quia impoſſibilia poſſe non eſſet poſſe; ſed non poſſe. Propterea inquit Maria: Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Non ait: Per me, aut in me fecit magna: ſed: Mihi (inquit) fecit. Quod enim in ea ad omnium ſalutem factum eſt, hoc privilegio electionis ad ejus gloriam ſingulariter eſt ordinatum. Et ideò dicit: Magna, nec addidit, qualia: quia, cùm omnia Dei opera humani ſenſus capacitatem exſuperent, præcipuè ſacramentum Redemptionis, Verbi Myſterium, ſuper omnia ineffabile eſſe conſtat. Nihil namque unquàm magìs mirum factum eſt, quàm, ut Deus homo fieret, & natura incomprehenſibilis, corporis ſubſtantiam ita ſibi uniret, ut nec minùs in ea eſſet, quia in ſe erat immenſa, nec minor in ſe exiſteret, quia in illa fuerat tota. Hæc ergo ſunt magna, & ineffabiliter magna, quæ in Maria facta ſunt ad omnium ſalutem, & Mariæ facta ſunt ad gloriam ſingularem. Propterea ait: Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Sanctum eſt in ſe: & in nobis ſanctificatur nomen ejus, dum nos ſanctificamur in nomine ejus. Quid eſt nomen ejus? Fama ejus. Nomen ejus, cognitio ejus. Fides ejus, Nomen ejus. Hoc nomen cum ſanctis ſanctum eſt, quia glorificatur à ſanctis, & benedicitur; à perverſis blaſphematur. Ad Rom. 2. Et nomen Dei per vos blaſphematur in gentibus. Ergo, quia magna fecit, ſanctificatum eſt nomen ejus: quia, dum Verbum in carne mirabiliter naſcitur, gloria Dei per Verbum in hominibus declaratur. Joan. 17. Pater (inquit) manifeſtavi nomen tuum hominibus: Et ego te clarificavi ſuper terram. Et ideò fecit magna qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus.* Hucuſque Hugo de Sancto Victo-

Victore. Simon de Caſſia dicit: *Quia fecit mihi magna, &c. Multa magna prætacta ſunt, quæ in Maria Virgine Dominus operatus eſt, quorum non exquirenda eſt à mortalibus ratio, cùm in his magnis, quæ ſupra ſenſum, & apprehenſionem hominum operatur, quia potuit, & voluit, illa ratio ſit palmaris. Hinc Virgo decantat: Qui potens eſt. Ideò mihi magna fecit, quia Omnipotens eſt, & quia ſanctum nomen ejus. Quid hìc ad factionem magnalium ſanctitas? Quid ſanctitas in nomine, cùm in perſona taceatur? Quis ordo loquendi? Nulla eſt vera potentia, ſi ſanctitate caret, nec præter illam magna poteſt efficere. Veritas potentiæ id exquirit, ut ſibi ſanctitas ſit germana. Et factorum magnalium eſt, ut ſanctitate reſplendeant. Reprehenſibilis eſt omninò potentia, nec laudabilis actus, ſi ſanctitas non aſſiſtit. Eſt igitur ſanctitas illa infallibilis veritatis, atque juſtitiæ regula, quæ affectum, & intentionem etiam in modico exorbitare, atque pigreſcere omninò non ſinit; quæ vires interiores, & exteriores exercet, ut omne progrediatur in fas; quæ ſic cuncta diſponit, ut nulla poſſint improbitate cauſari. Sanctitas autem in Deo, Deus eſt; eſt enim Deus omne, quod habet. Sed, cum Deus ad creaturas ſuo ineffabili modo aliquid operando contrahitur, ſanctitas de ipſo eo ſenſu dicitur, quòd ſtabiliter, utiliter, irreprehenſibiliter, laudabiliter, atque mirabiliter operatur. Competit igitur ſanctitas ad factionem magnorum. Et, cùm nomen dicitur ſanctum, ad notitiam refertur, & ad effectum noſtræ ſalutis: quoniam Jeſus appellabitur nomen ejus. Nomina etiam, quæ ſecundùm linguam Hebræam, & Græcam habet, omnia ſanctitatem inſinuant. Nec hìc ſumpſimus diſſerenda, niſi hoc paululum, nè Canticum Virginis indiſcuſſum præteriiſſe videamur.* Hæc Simon de Caſſia. Sylveira ſic loquitur: *Beatiſſima Virgo explicat cauſam, ob quam illam Beatam dicent omnes generationes: hoc enim indicat illa particula: Quia: ubi ex magna humilitate ſua, ut ait Theophylactus in Catena aurea Divi Thomæ, demonſtrat Virgo, non per ſuam virtutem ſe Beatam prædicandam: ſed cauſam aſſignans dicit: Quia fecit mihi magna. Per magna autem hìc Patres cum Divo Auguſtino in expoſitione iſtius Cantici, intelligunt celebratum Incarnationis Myſterium, quòd ipſa, illibata Virginitate, ex Spiritu Sancto Deum conciperet, & ideò magnum appellat: quia Myſterium hoc ſuper omnia ineffabile eſt. Vel per magna, ſeu magnalia, ſeu mirabilia, intelligit omnia dona gratiæ in ſe collata. Et hæc, ut ait Cajetanus, tamquàm inexplicabilia ſingillatim hoc unico nomine cuncta comprehendit: Qui potens eſt. Totum revocat in Dei potentiam, ui ait Titus Boſtrenſis, ut magnalia tanta in ſe facta Fide credantur; nam qui hæc operatus eſt, Omnipotens eſt. Et non expendit, ut ait Divus Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici, quanta, aut qualis ſit hæc potentia. Confeſſa eſt potentiam, diſcutere non præſumpſit, quia ſciri non convenit, quanta eſt, quia infinita eſt. Et, dum Virgo de ſuis agit magnalibus, ſtatim recurrit ad potentiam Dei, quia hæc maximè in illis reſplendet, ut teſtatur Divus Bernardus ſerm. ſuper Salve Regina. Unde elegantiſſimè, & piè ait Petrus Damianus ſerm. 1. de Nativitate Mariæ. Fecit, inquit, tibi magna, qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: & nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis relevare; dum pro ſe Beatiſſima Virgo laudat Deum, ac ei gratias agit, ad Divinam potentiam confugit, cui maximè erat obligata, dum ejus precibus aliquali modo, ut ita dicam, communicabatur, ut pro quibus ipſa intercederet, ad portum ſalutis perduceret.* Hucuſque Sylveira. Vincentius Regius inquit: *Addamus nunc, quòd Maria etiam magna ſit: fecit enim illi magna Deus, qui potens eſt. Quòd verò potentiæ Dei ſiat hìc mentio ſpeciatim, magna in primis uſum eſſe Deum potentia, ut magnam efficeret Mariam. Jure ergo, rectèque magnam eam nominare poſſumus. Porro ipſa eſt illud ſignum magnum Apocalypſis, quod apparuit in cœlo; nec mirum, quia Chriſto ſole juſtitiæ amicta eſt, quippe Dei Mater: cujus etiam luna, id eſt, omne peccati genus, caduca etiam, & fluxa omnia, pedibus proteruntur. In cujus capite corona ſtellarum duodecim, quæ ſunt duodecim ejus prærogativę: prima ſingularis, ſcilicèt, prædeſtinatio; ſecunda ſingularis item ſanctificatio; tertia uſus quoque rationis acce-*

celeratio; quarta peculiaris deſponſatio cum voto virginitatis; quinta ſingularis conceptio, & partus cum virginitate; ſexta Dei etiam Maternitas ei ſoli competens, propter quam debetur ei propria item quædam adoratio; ſeptima ad hæc Spiritus Sancti obumbratio, qualis nulli unquam obtigit, Spiritus enim Sanctus, vel Dei Patris virtus ejus mentem, ventremque obumbravit. His accedit octava, quòd ſingularis fuerit Chriſti Miniſtra, & Secretaria; nona, quòd ſingularem meruerit Martyrij aureolam, ſaltem eminenter. Accedit decima, ſingularis præſervatio à corruptione in morte, cum qua connumeranda eſt a mortuis excitatio; undecima præterea, & ſingularis ſupra choros Beatorum omnium exaltatio. Duodecima denique, quòd ſingularis Mediatrix inter nos, & Deum effecta eſt. Et vide, quàm magnum ſit hoc ſignum, ut, cùm in cælo ſit, imò ſupra cælos, nobis tamen in terra poſitis magnum eſſe apparet. Hæc Vincentius Regius. Cornelius à Lapide hæc habet: Audi Sanctum Auguſtinum ſerm. 35. de Sanctis, qui eſt ſecundus de Aſſumptione Mariæ: Quæ (ait) tibi magna fecit, Domina? Quæ, glorioſa Virgo, ut dici Beata merearis? Puto, imò veraciter credo, ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares. Audi & Hugonem Cardinalem duodecim magnalia Virginis enarrantem. Primum (inquit) fuit in utero matris ſanctificatio; Secundum Angeli ſalutatio; Tertium gratiæ plenitudo; Quartum Filii conceptio; Quintum, fæcunda virginitas; Sextum, virginalis fæcunditas; Septimum, honorata humilitas; Octavum obedientiæ promptitudo; Nonum, fidei devotio; Decimum eſt prudens verecundia; Undecimum, verecunda prudentia; Duodecimum, dominium cæli.

Pro: Benedictus.

MAldonatus ait: Juſjurandum, quod juravit, &c. Ego ſic intelligo, ut ſit appoſitio, non ullius quidem verbi, ſed totius præcedentis ſententiæ. Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, juſjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, id eſt, quod eſt juſjurandum illud, quod juravit ad Abraham. Atque ad hunc, niſi fallor, modum intellexit Beda. Ad quod autem juſjurandum Abrahamo præſtitum alludat, alia eſt quæſtio, ad quam rectè Theophylactus reſpondet, ad illud Geneſ. 22. 16. 17. & 18. alluſionem fieri: Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Cornelius dicit: Juſjurandum, quod juravit, &c. Juſjurandum hoc primo referri poteſt ad tò: Memorari, quaſi diceret: Ut memoraretur juſjurandum, ejuſque ſe memorem indicaret. Ita Euthymius. Secundò, juſjurandum referri poteſt ad tò: Miſericordiam; quaſi diceret: Miſericordia hæc eſt juramento à Deo promiſſa, ideòque ipſa eſt juſjurandum illud magnum à Deo editum, & Patribus juratum. Tertiò, aptiùs referri poteſt ad tò: Pacti; quaſi diceret: Deus miſit Chriſtum, ut memor eſſet ſui pacti, quo illum Patribus promiſit, quod pactum eſt juſjurandum illud ingens, quod juravit ad Abraham, &c. Ita Maldonatus, & Franciſcus Lucas. Unde Origenes legit: Juramenti, in genitivo. Et clarius Syrus: Ut memor eſſet teſtamenti ſui ſancti, & juſjurandi. Quartò, planiſſimè, & facillimè juſjurandum referas ad tò: Faciendam verſ. 72. ut hìc ſignificentur tres cauſæ, ob quas Deus hoc cornu ſalutis erexerit, id eſt, Chriſtum incarnarit: ſcilicèt, primò ad faciendam miſericordiam: ſecundò, ut memoraretur, & recordaretur ſui pacti: tertiò, ut faceret, & impleret ſuum juſjurandum, quod juravit Abrahæ, ſe ſemen ejus (ſpirituale potiùs, quàm carnale) multiplicandum ſicut ſtellas cæli, ac in ſemine ejus (Chriſto) benedicturum omnes gentes. Geneſ. 22. 16. Per memetipſum juravi, &c. Et Apoſtolus Hebr. 6. 17. Abundantiùs enim volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juſjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad propoſitam ſpem. Ita Theophylactus. Hebræi enim ſæpè ſubticent verba, eaque ex præcedentibus, vel ſequentibus intelligenda relin-

Digitized by Google

relinquunt. Toletus ſic loquitur: *Juſjurandum, quod juravit, &c. Diſtinguit Zacharias juramentum à teſtamento, ſeu promiſſione, non ſolùm, quia diſtincta hæc ſunt; ſed etiam, quia hoc juramentum peculiare eſt, quod Deus præſtitit Abrahæ Geneſ. 22. Abraham patrem appellat noſtrum, quia eſt Judæorum primus parens, cujus fidem, & circumciſionem amplectebantur, & in quo acceperant promiſſiones. Joan. 8. Scio, quia Abrahæ filii eſtis, & Pater noſter Abraham eſt. Refert autem Abraham, nam etiamſi ad David etiam juravit Deus Pſal. 131. Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam; non fuit tamen juramentum tale, quale hoc, quod fecit ad Abraham, quodque ſequenti ſententia explicatur*. Sylveira inquit: *Deus eamdem promiſſionem ſub juramento præſtitit Davidi Pſal. 131. num. 11. Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam, &c. Quomodò ergo ſolum de Abrahamo fit mentio? Reſpondeo primò, quòd Abrahamus fuit caput, & parens totius populi, & ideò beneficium ei datum videbatur magìs commune omnibus populis, & tribubus. Secundò. Promiſſio Abrahamo facta eſt ob inſigne illud factum, quo voluit filium ſuum in ſacrificium Deo offerre; & in domo Dei, quo majus eſt meritum, eò glorioſius, & vulgarius in ore omnium præmium verſatur. Nota contra aliquos Recentiores, quòd promiſſio de Incarnatione cum juramento facta eſt tantùm Abrahamo, & David; nam illa, quæ facta eſt cum juramento Iſaac, & Jacob Pſalm. 104. num. 9. Exod. 32. n. 13. Deuteronom. 9. num. 5. eſt tantùm de ingreſſu in terram promiſſionis, ac multiplicationis naturalis, ut legenti erit manifeſtum*. Barradas hæc habet: *Obſerva, Zachariam Incarnationis, & Redemptionis beneficium maximum miſericordiæ Divinæ tribuere, & pacto, ſive promiſſioni Patribus exhibitæ. Eodem modo Virgo Deipara in Cantico ſuo: Suſcepit (inquit) Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus. Et David Pſalm. 79. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael. Veritatis, inquam, ſuæ, id eſt, veracitatis: quia quem pollicitus fuerat Redemptorem, in domo David excitavit. Et Pſalm. 84. Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, id eſt, quo tempore Verbum Divinum incarnatum eſt, miſericordia Dei, & veracitas in præſtandis promiſſis, ad opus illud admirandum concurrerunt. Sequitur in eumdem ſenſum: Juſtitia, & pax oſculatæ ſunt, id eſt, juſtitia Dei, quam in ſuis promiſſis ſervat; vel juſtitia, qua nos juſtos efficit, & pax, ac tranquillitas hominum, veluti mutuo ſe oſculo exceperunt. Veritas de terra orta eſt, id eſt, Dei veracitas, Dei illud pactum initum cum Patribus, illud juſjurandum, de terra, & in terra germinavit, ipſumque Meſſiam protulit. Et juſtitia Dei ad juſtificandos homines, de cœlo proſpexit: vel juſtitia Dei, quæ in pollicitationibus implendis cernitur, è cœlo, terras benignis intuita eſt oculis. Paulus item ad Roman. 15. Dico, Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum: id eſt, dico, Chriſtum ad Judæos fuiſſe miſſum, ut Dei promiſſa præſtaret, Gentes verò aio laudare Deum, quod eis Filium ſuum miſericordia impulſus dederit. Quid Deus Abrahamo juraverit, hæc verba indicant: Recordatus eſt Deus juſjurandum, quod juravit ad Abraham: jurat autem daturum ſe nobis, ut ſine timore illi ſerviamus, de poteſtate hoſtium liberati: ſerviamus, inquam, in ſanctitate, & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ*. Hæc Barradas.

Pro: *Nunc dimittis*.

CORnelius ait: *Idem Spiritus Sanctus, qui Simeonem incitavit, eidem ſignum dedit, quo Chriſtum inter tot pueros, qui offerebantur in templo, agnoſceret; aut potiùs illum eidem oſtendit, interiùs illi ſuggerens, dicenſque: Ecce hìc eſt Chriſtus, quem tibi ante mortem videndum promiſi*. Toletus dicit: *Magnum hoc privilegium Simeonis eſt; erat enim ei Divino oraculo revelatum, ſeu promiſſum, illum non antè moriturum, quàm oculis corporeis Meſſiam præſentem videret. Quo dono Simeon omnes Patriarchas, & Prophetas excelluit. Nam bis per Spiritum Sanctum revelatus, & promiſſus fuit Chriſti adventus: nulli tamen eorum eſt promiſſum,*

miſſum, quòd oculis corporalibus in hoc ſæculo Chriſtum viſurus eſſet: quamquàm id quiſque ſummis votis exoptaſſet; Simeoni autem utrumque conceſſum eſt: nam & promiſſum eſt ei, & vidit. Lucæ 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Perpende autem, quàm recto ordine Euangeliſta procedat. Simeon enim priùs dicitur juſtus, poſteà timoratus, & expectans conſolationem Iſrael, & Propheta; his enim gradibus proceſſit, ut ſanctum donum aſſequeretur, quòd promiſſionem videndi Chriſtum, & ipſum videre obtinuit.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

LAudem Domini loquitur os Beatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, & benedicunt Sancti Zacharias, & Simeon nomen ſanctum ejus. Extollit quidem Deum Deipara, quia ſibi fecit magna: extollit Zacharias ob promiſſa ad Abraham jurejurando, adimpleta: & extollit Simeon ob magnalia comparata. Favit Deus Beatæ Virgini, cui fecit magna, illam glorificans: favit Abrahæ, cui implevit jusjurandum, eum honorans: favit etiam Simeoni, cui magnalia conceſſit, ipſum magnopere exaltans. Nobis Sacra Communione refectis ſubvenit Deus, nos quodammodò glorificans, nos honorans, nos exaltans. Glorificat profectò nos Deus alimento Regio cibans, atque nobis Euchariſtiam, quæ eſt futuræ gloriæ pignus, miſericorditer donans: honorat nos, promiſſa in Divino Sacramento, quo nos alit, implens, per illud vitam animæ, & gratiæ ornamentum nobis præbens: exaltat nos quoque, quibus magnalia confert, quando nobis vilibus homuncionibus panem Angelorum concedit. Quid retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Quid? Vota noſtra reddamus in conſpectu omnis populi ejus. Utinam ad hoc vota noſtra, quę præveniendo aſpira. Deus, etiam adjuvando proſequatur! Habemus igitur, Dei gratia aſpirante, in votis noſtris, Dei promptè, & fideliter ſemper obedire mandatis? Obediamus in conſpectu omnis populi ejus: & ſic luceat lux noſtra coram hominibus, ut videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Habemus votum, & intentionem fugiendi peccata, & occaſiones peccandi? Hoc etiam votum reddamus Domino in conſpectu omnis populi ejus. Ideò videamus, quomodò cautè ambulemus, nè noſtros ſcandalizemus proximos. Habemus vota frequenter accipiendi ſancta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta? Hæc vota reddamus in conſpectu populi Dei: ut quemadmodùm accepimus à Miniſtris Dei frequentiam Sacramentorum ſuadentibus, quomodò nos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambulemus, ut abundemus magis, creſcentes in gratia cum frequentia ipſa, ut populus Dei hoc noſtro bono exemplo excitetur, & æmuletur chariſmata meliora. Sic vota noſtra reddentes Domino in conſpectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio Jeruſalem, nempe, Eccleſiæ Catholicæ; faciemus, quòd benedicant Dominum omnes ſervi Domini, qui ſtant in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. In noctibus extollent manus ſuas in Sancta, & benedicent Dominum: ac benedicet nos Deus ex Sion, qui fecit cœlum, & terram. Dicamus jam orationem poſt Communionem ab Eccleſia deſtinatam.

Oratio poſt Communionem.

R*Epleti, Domine, muneribus ſacris: da quæſumus, ut in gratiarum ſemper actione maneamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

QUid retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Quid? Ipſi ſacrificemus hoſtiam laudis. Sacrificium laudis honorabit eum. Ideò immolemus Deo ſacrificium laudis: laudem Domini loquatur os noſtrum & benedi-

nedicat omnis caro nomen ſanctum ejus. Hoc intendit Eccleſia, quando hodie dicit: *Repleti, Domine, muneribus ſacris: da, quæſumus, ut in gratiarum ſemper actione maneamus.* Muneribus ſacris repletos quid decet, niſi jugiter manere in gratiarum actione? Ergo curemus gratiarum actioni, & Dei laudationi perſeveranter vacare. Sed poteſt aliquis dicere: *Quid eſt jugiter manere in actione gratiarum? Numquid ita in ea occupari tenemur, ut ad neceſſaria officii, & vitæ attendere non poſſimus?* Reſpondet Sanctus Paulus, qui (poſtquàm Colloſſenſibus dixerat: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam. Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.*) dixit: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.* Ergo (etiam neceſſariis attendentes, & in eis occupati) ſi ſemper poſt Communionem, agentes quod docet Sanctus Paulus ad vitia fugienda, & bona opera executioni mandanda, benè, & accuratè vivimus; in gratiarum ſemper actione manemus: quamvis verum ſit, quòd debemus aliquod tempus deſti[illegible]ra, [illegible]arum [illegible] tanto beneficio repletionis munerum ſacrorum in Sacrificio, & Communione, poſſimus, his ſolùm intenti, Domino Deo noſtro gratias agere. Commoneamus igitur noſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus noſtris Deo: & ſic in gratiarum ſemper actione maneamus, qui ſacris muneribus (Euchariſtiam Sanctam in Altari, & ex Altari Chriſti accipientes) à Deo repleti ſumus. Maneamus, inquam, ſemper in gratiarum actione: numquàm ab ea exeamus; ſiquidem ſemper ſe nobis offert in Sacrificio Chriſtus, & in Altari, & numquàm exìmus, ſi volumus non exire, à munerum ſacrorum jucunda, & proficua repletione. Munera iſta nos implent, atque feliciter obruunt, & nos ornantia cooperiunt: ergo non operiamur ſicut diploide confuſione noſtra: ſed confiteamur Domino nimis in ore noſtro: & in medio multorum laudemus eum. In gratiarum ſemper actione maneamus, ut maneamus in Chriſto: quia qui manet in illo, cùm Chriſtus maneat in eo, hic fert fructum multum. Gratias agamus illi propter magnam gloriam ſuam, & quia exaltavit ſuper terram habitationem noſtram, quando in Altari portas cœli aperit, & pluit nobis manna ad manducandum, panem cœli dat nobis, panem Angelorum manducat homo: ideò laudemus nomen ipſius Chriſti aſſiduè, & collaudemus illud in confeſſione.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM

Pro Dominica Pentecoſtes.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ Pentecoſtes. Qui quidem Textus eſt hic:

Quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Quibus caligo obſcuritatis æternæ ſervata eſt.* Arabicus: *Quibus recondita eſt caligo denſiſſima.* Æthiopicus: *Et confidunt in tenebris, quæ recipient eos.* Græcus: *Quibus caligo tenebrarum ſervata eſt in æternum.* Alter Arabicus: *Quibus perfectio tenebrarum ſervata eſt in æternum.* Gloſſa Interlinealis ait:

Quibus procella tenebr[illegible] ſervata eſt in æternum, non ad tempus, ut hæretici dicunt. Gloſſa Ordinaria: *Ipſis pro tenebris, quas in Eccleſia Dei inducebant, tenebræ inferni parantur, & qui pacem Fidei mundana tempeſtate turbabant, procella tormentorum percellentur.* Hugo Cardinalis: *Quibus procella, &c. Non ad tempus, ut aliqui dixerunt, æſtimantes abyſſum ſeneſcentem, id eſt, inferni pœnam putantes aliquando deficere, ſicut dicitur de Behemot Job 40. 6. Propter hoc dicit Pſalm.* 148. *Ignis, & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Et non dicit tantùm: Procella, ſed addit: Tenebrarum, nè, ſi viderent venientem procellam, fugere eam poſſent. In quo notatur, quòd illam procellam nunquàm evadent. Et hoc eſt, quia excæcati alios per errores excæcaverunt.* Nicolaus de Lyra: *Quibus procella tenebrarum, id eſt, tempeſtas pœnarum, ſervata eſt in æternum, ſcilicet, in inferno, ubi nulla eſt redemptio.* Eſtius: *Quibus procella tenebrarum, &c. Procella, Græcè caligo. Senſus enim eſt: Quoniam pro lumine veritatis fundunt tenebras errorum; ideò manet eos pro condigno, & nunquam finiendo ſupplicio, caligo tenebrarum, id eſt, tenebræ denſiſſimæ, ac profundiſſimæ. Nominat tenebras potiùs, quàm ignem æternum propter alluſionem ad tenebras errorum, quibus nunc infelices ſuos auditores immergunt.* Menochius: *Quibus procella, &c. Rectè caligo, & tenebræ inferni debentur, & reſervantur ſtellis iſtis errantibus. Rectè, ait Beda, in tenebras tormentorum mittentur æternas, qui in Eccleſia Dei ſub nomine lucis tenebras inducebant errorum.* Tirinus: *Quibus procella, &c. Hæretici ſunt fluctus feri, & latrantis maris, tumidi, inquieti, turbulenti, ſeditioſi, tumultuoſi: ſed tandem in pudendam libidinis, & crapulæ ſpumam, ac fæcem deſinentes: quibus pro errorum caligine, quam in Eccleſiam invehunt, & pro ſchiſmatum, ac ſeditionum procella, quam excitant, viciſſim ſervata eſt, ac repoſita manet procella tenebrarum ſimul & ignium infernalium, non in uno, alterove ſeculo, ſed in æternum.* Cornelius ſic loquitur: *Quibus procella, &c. Caligo enim appoſitè quaſi pœna adaptatur ſtellis errantibus; rectè tamen quoque iis adaptatur procella: nubes enim, quæ quaſi caligo velant ſtellas, ſunt procelloſæ. Jam in inferno propriè eſt caligo, & procella tenebrarum: ſignificat ergo Sanctus Judas, utramque paratam eſſe hæreticis, idque congruè, ut per quæ peccaverunt, per ea puniantur, Sapient. 11. verſ. 17. ſcilicèt, per tenebras, quia tenebras errorum in Eccleſia induxerunt: per procellam, quia Eccleſiam ſchiſmate, & ſeditione exagitarunt. Rectè, ait Beda, in tenebras tormentorum mittentur æternas, qui in Eccleſia Dei ſub nomine lucis tenebras inducebant errorum. Meritò procella percellentur ſuppliciorum, qui in ſimilitudinem tempeſtatum marinarum, pacem Eccleſiæ turbabant. Tenebræ repræſentant pœnam damni, puta carentiam viſionis Dei: procella pœnam ſenſus; tò: In æternum, pœnæ utriuſque æternitatem. Tropologicè hæc omnia, quæ Sanctus Judas intorquet in hæreticos, intorqueas in quoslibet, ſeditioſos, ſuperbos, avaros, guloſos, luxurioſos &c. Tum, quia tales reverà erant, & etiamnum ſunt hæretici; tum quia ſuperbus, avarus, luxurioſus, &c. ſuam habet hæreſim, id eſt, pravam electionem Deo repugnantem, ac practicè eſt hæreticus. Nam verbi gratia luxurioſus practicè dicit: Bonum eſt mihi fornicari: mihi eſt fornicandum. Quod, ſi ipſum ſpeculativè diceret, reverà propriè haberet errorem in fide, eſſetque propriè hæreticus: hæreticus enim eſt, qui dicit, fornicationem eſſe licitam, eſſe bonam, & amplectendam. Superbus ergo, avarus, luxurioſus, & quilibet peccator, primò eſt quaſi nubes ſine aqua, quia externam habet ſapientiæ, & honeſtatis ſpeciem, quaſi nubem, ſed interiùs virtute vacuam, inanem, & ſterilem. Secundò, idem eſt arbor autumnalis, id eſt, infrugifera, mortua, & mox eradicanda, ac mittenda in gehennam, juxta illud Chriſti: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 7. 19. Tertiò, idem ſimilis eſt fluctui maris, quia mille cupiditatum æſtibus agitatur, quibus in ſuas confuſiones, & pudenda verba, & ſcelera deſpumat, juxta illud Iſai. 57. 20. Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum. Quartò, idem eſt ſtella errans, quia à cœlo, Deo,*

recto,

recto, virtute, felicitate aberrat, tenditque in tartara. Ex adverſo de juſto ait Sapiens Eccleſiaſt.27. 12. Sanctus in ſapientia ſua manet ſicut ſol, nam ſtultus ſicut luna mutatur. Quocircà eidem procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

DEus pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Spiritus procellarum faciunt verbum Domini, qui jubet, Impios in inferno procella tenebrarum torqueri. Hæreticis, ut ait Sanctus Judas, & aliis peccatoribus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. O miſeri, quorum calicis terribiliſſimæ paſſionis tantùm ſunt pars ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum! Quid erit? vel potius quid non erit ad tormentum damnatorum calix ille, cujus pars, adhuc nominata, & intellectui repræſentata, replet homines timore? Metum incutit quidem hæc pars, nempe, ignis, qui urit; ſulphur, quod comburens fætet; & ſpiritus procellarum, qui terribili tempeſtate pœnarum miſeros damnatos afficiunt, torquent ſimul, & concutiunt. Infelices profectò ſunt illi, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. Miſſi in tenebras exteriores, patientur in æternum ob ſuas iniquitates. Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem: quia excæcavit eos malitia illorum, dum, cadente ſuper eos igne (luxuriæ præcipuè; quia vitium hoc eſt ignis uſque ad perditionem devorans: devorat ſiquidem corpus, & animam, ſubſtantiam, & honorem; quibus omnibus luxuria nocet:) dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: & ideò tenebris peccatorum, in quibus vixerunt (ſolem gratiæ contemnentes) reſpondebit procella tenebrarum ſervata in æternum, ut ipſis infligatur hoc inter alia ſupplicium. Secundùm duritiam eorum, & impænitens cor theſaurizaverunt ſibi iram in die iræ, quia cor durum habebit malè in noviſſimo, & qui amat periculum in illo peribit: invenient igitur à Divina ira, & juſtitia ſibi reſervatam illam tenebrarum (quam peccantes theſaurizarunt) procellam: metentque tormenta, quia ſeminaverunt peccata: metent caliginem ob eam, quam in ſuis deliciis ſeminarunt cæcitatem. Iiſdem eſt ſervata procella tenebrarum, quia ipſis placuit obſcuritas peccatorum. Fient viæ eorum tenebræ, & lubricum, nam ipſi voluerunt vivere in criminum cæcitate. Ponet Dominus tenebras, & facta erit nox, non ut in ipſa pertranſeant omnes beſtiæ ſilvæ, ſed ut cùm inferni beſtiis permaneant in illa nocte æterna hi, qui, cùm eſſent rationales, vixerunt inter ſuas laſcivias tamquam bruta animalia. Etiam avaris procella tenebrarum ſervata eſt in æternum, juxta Ezechielem, & argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini; imò auri pondere in infernum deſcendentes (velut dives ille, qui ſepultus eſt in inferno) præ tenebris non videbunt unquàm exitum ab eo loco tormentorum, in quem ſemel ceciderunt. Superbis, & ambitioſis ſervatur quoque in æternum hæc procella tenebrarum; & fumus eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, quia in vita fuerunt excæcati fumo ambitionis, & ſuperbiæ; cùmque nigræ eſſent facies eorum à fumo iſtorum vitiorum, his meruerunt, quòd etiam illis procella tenebrarum ſervata ſit in æternum. Dominum Deum noſtrum, ut à talibus nos eripiat, oremus in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ Penteceſtes, quæ eſt prima in Miſſa illius.

DEus, qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Ee 2 EX-

EXPLICATIO.

SIcut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocùmque voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus. Itaque ejuſdem Dei, & Domini noſtri, cujus eſt ſcrutari renes, & corda, eſt etiam corda Fidelium per Sancti Spiritus illuſtrationem ſacra imbuere doctrina. *Diviſiones verò gratiarum ſunt* (cùm nemo poſſit dicere, *Dominus Jeſus*, niſi in Spiritu Sancto) *idem autem ſpiritus*: *Et diviſiones miniſtrationis ſunt, idem autem Dominus*: *Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult. Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno Spiritu potati ſumus.* Hæc verba Sancti Pauli (verè Spiritu Sancto pleni) declarant, quomodò Deus hodierna die corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuit, quando apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Ipſe quidem Spiritus Dei, qui ferebatur ſuper aquas, priùſquam fieret firmamentum in medio aquarum, & divideret aquas ab aquis; voluit, quòd, ſicut diviſiones aquarum (quia aquæ populi ſunt, & gentes) ita cor regis, vel corda eorum ſpiritualium regum (qui regunt ſe, à Domino recti, ut nihil eis deſit, & ut ſub illis ſit appetitus peccati, & ipſi dominentur illius, nè regnet peccatum in ſuo mortali corpore) corda, inquam, regum eorumdem ſpiritualium eſſent in manu Domini; qui quocùmque voluerit inclinabit illa, docens hos Fideles vias ſuas, & ambulabunt in ſemitis ejus: quia de Sion (id eſt, de Cœnaculo, quod erat in monte Sion, ubi deſcendit hodierna die Spiritus Sanctus) jam exivit lex, & verbum Domini de Jeruſalem. Apud illum montem Sion Deus locutus eſt in Sancto ſuo, legem Gratiæ imprimens meliùs, quàm in monte Sinai, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus: ut videamus ingreſſus Dei, ingreſſus Dei noſtri, Regis noſtri, qui eſt in Sancto, quando jam prævenerunt Principes (id eſt, Apoſtoli, & Diſcipuli Domini) conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum, (hoc eſt, conjuncti cum animabus Fidelium Eccleſiæ Primitivæ, Spiritum Sanctum etiam accipientibus, & Deum noſtrum laudantibus, quia omnes auditi ſunt loquentes magnalia Dei.) Verè Deus hodierna die corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuit. Tunc profectò non eſt excitatus in furore, ſed in amore Dominus, qui emiſit Spiritum ſuum, & renovavit faciem terræ. Verumtamen, quia egreſſus eſt in ſalutem populi ſui, in ſalutem cum Chriſto ſuo; ſplendor ejus, ut lux fuit: aſpexit, & diſſolvit Gentes, & contriti ſunt montes ſæculi: ut, cùm viderimus deſtructum corpus peccati, diſruptam idololatriam, & ſuperatum à Deo diabolum, terræ, & orbis tyrannum (qui quidem princeps hujus mundi ejectus eſt foràs, & tamquàm victus egreſſus eſt diabolus ante pedes Chriſti, quandoquidem exaltatus in triumphali Crucis curru hìc Dominus, omnia traxit ad ſe ipſum per Spiritus Sancti adventum) cognoſcamus hæc omnia accidiſſe Fidelibus ob illuſtrantem doctrinam, quam in corda eorum miſit Spiritus Sanctus; & eamus in ſplendore fulgurantis haſtæ ejus, à quo illuſtrati, in eodem ſpiritu conſequemur recta ſapere, & ejus ſemper conſolatione gaudere.

ORA-

ORATIO SECRETA.

M*Unera quæſumus, Domine, oblata ſanctifica: & corda noſtra Sancti Spiritus illuſtratione emunda. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

QUid nobis proficeret, oblata à nobis munera à Deo ſanctificari, niſi concederet nobis ipſis idem Deus Pater Æternus, quòd corda noſtra ſua illuſtratione emundet Spiritus Sanctus, emundetque etiam ea Pater, qui cum Filio, & Spiritu Sancto omnia bona in nobis poteſt operari benignus, ut noſter Deus, & Dominus? Petimus proinde ſimul ſanctificationem noſtrorum donorum, vel munerum, & emundationem noſtrorum cordium, nos, qui de tanta ſanctificatione deſideramus gaudere, ac etiam de tali emundatione lætari. Qui per Filium à Patre poſcimus, quòd Sancti Spiritus illuſtratione dignetur corda noſtra emundare; ut emundet nos tota Sanctiſſima Trinitas, poſtulamus: quia hæc emundatio (ſicut illa munerum oblatorum petita ſimul ſanctificatio) computatur inter opera Dei ad extra, quæ ſunt toti eidem Trinitati Beatiſſimæ communia. Utinam emundentur corda noſtra à Patre, qui ſua Omnipotentia nos creavit; à Filio, qui nos ſua miſericordia redemit; & à Spiritu Sancto, qui nos ſuo amore in Sacro Baptiſmo unxit. Sed, quia Spiritus Sanctus vocatur ab Eccleſia remiſſio peccatorum omnium, & ipſe eſt quoque ille, à quo petimus lavari, quod eſt ſordidum; rigari, quod eſt aridum; ſanari, quod eſt ſaucium; flecti, quod eſt rigidum; atque regi, quod eſt devium: ideò petimus ab Æterno Patre ſpecialiter, quòd Sancti Spiritus illuſtratione, quos devios rexerit; quos frigidos foverit; quos rigidos flexerit; quos ſaucios ſanaverit; & quos aridos rigaverit; etiam inventos circa corda ſordidos lavet, & emundet: ut ita cordium noſtrorum per peccata fædatorum conſequamur emundationem petitam, qui jam pridem obtinuerimus ad ſuam accidentalem gloriam, oblatorum munerum ſanctificationem intentam, quæſitam, & poſtulatam. Si gratiæ Dei cooperaverimus, perveniemus Sancti Spiritus illuſtratione ad illam pœnitentiam veram corda lavantem, & ad illum emundatorem cordium Divinum amorem, præcedente ſanctificatione oblatorum munerum facta à majeſtate Dei noſtri, qui per donorum oblationem in Altaris Sacrificio nos diſponit, & aptat, ut Dominum noſtrum vero amore diligamus, & ut poſſimus de peccatis noſtris benè conteri, ac illa ritè ſciamus, & valeamus confiteri; utque bonam re ipſa facientes confeſſionem Sacramentalem, noſtrorum conſequamur remiſſionem criminum, & flagitiorum veniam: ac per hæc prædicta emundationem noſtrorum cordium à nobis deſideratam.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Q*Uia fecit mihi magna qui potens eſt; & ſanctum nomen ejus. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

MAldonatus ait: *Reddit Maria cauſam, cur omnes generationes Beatam ſe prædicaturæ eſſent, dicit Theophylactus. Alii cauſam reddere exiſtimant, cur ejus anima, ut antè dixit, magnificaret Dominum, quaſi dicat: Ideò magnificat anima mea Dominum, id eſt, magnum prædicat, quia fecit mihi magna, ut Bernardus docet in ſermone quodam de Beata Virgine. Quam interpretationem nominum alluſio probabilem facere videtur, ſed illa tamen Theophylacti probabilior, quia, violentum videtur, ut hæc particula cauſalis: Quia, tam longè referatur.* Vincentius Regius ſic explicat: *Quia fecit mihi magna, &c. Interlinealis habet,*

ſubin-

ſubintelligi particulam: & , hoc modo: Et quia fecit magnalia, magnifica, hoc eſt, magna. Mihi videtur Beata Virgo ſignificaſſe tacitè, duplicis generis beneficia ſe accepiſſe, & quæ Dei oſtentent potentiam, & quæ bonitatem: ob id enim duorum attributorum meminit, dum ſubdit: Qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Jam verò primi generis beneficium eſt Virginem concipere, & quidem Deum; ſecundi, quòd plena ſit gratia, nam immunis omnis labis: & ſupremo ſuper omnes creaturas conſtituta loco. Quarè etiam hic verſus poteſt reddere cauſam, cur ab omnibus nationibus ſit prædicanda; & ita non oportet ſubintelligere cum Gloſſa: Et, ante quia. Vide Theophylactum. Et ſanctum nomen ejus. Hæbraiſmus pro: Cujus nomen ſanctum eſt, ut Pſalm. 10. Dominus in cœlo ſedes ejus, id eſt, cujus ſedes in cœlo eſt. Videtur verò nomen pro re poni, id eſt, pro ipſo Deo. Sanctum hic purum, colendum, venerandum ſignificat. Toletus dicit: Quia fecit mihi magna, &c. Particula (Quia) cauſam indicat, cur ſit Beata prædicanda ab omnibus generationibus: quia (inquit) magna in me operatus eſt ille, qui potens eſt, & cujus nomen ſanctum eſt. Græcè eſt: Magna fecit mihi ille potens. Illud autem (nomen ſanctum ejus) Hæbraiſmus eſt. Pſalm. 10. Dominus in cœlo ſedes ejus, id eſt, cujus ſedes eſt in cœlo. Ita nunc dicitur: Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen, id eſt, cujus nomen ſanctum eſt. Quibus verbis Beata Virgo ſignificat, duplicia beneficia magna ſe accepiſſe à Deo ſuper omnes homines, propter quæ beata omnibus erat prædicanda. Priora quidem fuerunt beneficia potentiæ, & virtutis Dei; concepit enim non hominem merum, ſed Filium Dei, effectaque eſt fœmina Mater Filii Dei, ſine opera viri, Virginitate permanente, in eam elata dignitatem, ut omnium cœleſtium, & terreſtrium ſit facta Regina, & Domina. Hæc opera ſunt Divinæ potentiæ, & propterea dicit: Fecit mihi magna ille potens, ſive qui potens eſt. Poſteriora ſunt beneficia ſanctitatis, & bonitatis; repleta enim eſt Spiritus Sancti gratiis, & omni benedictione ſpirituali benedicta, & ſanctificata, ut nullius peccati macula unquàm infecta fuerit, & in eum ſanctitatis gradum ſit promota, & evecta, quò nullus unquàm homo perveniet; imò omnes etiam Angelici ſpiritus longè ſint inferiores. Hæc beneficia ſunt ſanctitatis, & bonitatis, de quibus dicit: Fecit mihi magna, is, cujus nomen ſanctum eſt. Propter hæc igitur (inquit) verè omnes generationes me beatam confitebuntur, & prædicabunt, non enim fecit taliter omni nationi: meritò ergo magnificat anima mea Dominum, & ſpiritus meus exultavit in Deo ſalutari meo. Advertendum autem eſt, non dixiſſe: Qui potens eſt, & qui ſanctus eſt, ſed cujus nomen ſanctum eſt, ut ſignificaret perſonam Spiritus Sancti, cui tribuitur effectus ſanctitatis, & Sanctus per quamdam appropiationem appellatur. Nam Beata Virgo his duobus verbis alluſit ad duo verba illa Angeli: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, &: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. Propter illud dixit (Fecit mihi magna qui potens eſt) propter hoc verò (& ſanctum nomen ejus.) Quaſi apertioribus verbis diceremus: Quia obumbravit me virtus Altiſſimi, & Spiritus Sanctus ſupervenit in me, beatam me dicent omnes; illa enim duo me talem fecerunt. Hucuſque Toletus. Cornelius inquit: Vide Divum Thomam 1. p. q. 25. art. 6. ubi docet, Deum meliora opera poſſe facere, quàm fecerit, exceptis tribus, ſcilicèt, Incarnatione Verbi, Maternitate Dei, & Beatitudine hominis, quæ in Dei viſione conſiſtit: His enim nil melius, nec majus Deus facere poteſt, quia Deo ipſo nihil poteſt eſſe majus, vel melius. Denique vide ſeptem privilegia magna, imò maxima, à Deo data Beatæ Virgini, quæ recenſet Sanctus Bonaventura in Speculo c. 6. & ſequen. Hac de cauſa Beata Virgo à Sancto Cyrillo homil. contra Neſtor. vocatur forma Dei (utique formoſiſſima) Margarita orbis terrarum. A Damaſceno Orat. 1. de Nativit. Virginis, Animatum Dei ſimulachrum. A Sancto Bernardo ſerm. 2. de Pentecoſt. Negotium ſæculorum, ad quod reſpiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. A Sancto Ignatio Epiſt. 1. ad Joannem Apoſtolum, Cœleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum. A Sancto Petro Chryſolog. ſerm. 146. Collegium ſanctitatis, in quo Deus omnes gratias in alios Sanctos diſpertitas, quaſi

corri-

corrivatas colligit. Ab Hiſichio Epiſc. Jeroſolymitano Homil. 2. de Sancta Maria, Univerſum Trinitatis complementum: quia & Spiritus Sanctus advenìebat, atque hoſpitabatur, & Pater adumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat. Hucuſque Cornelius.

Pro: *Benedictus*.

TOletus ait: *Jusjurandum, &c. Potius arbitror, Euangeliſtam caſum mutaſſe, nè ad verbum præcedens (memorari) referri exiſtimaremus. Separandum ergo eſt jusjurandum à præcedenti ſententia, & referendum ad illam primam (erexit cornu ſalutis) quaſi ſit nova quædam cauſa illius, ſicut ceteræ præcedentes, utì in Commentario explicatum eſt. Daturum ſe nobis. Explicat, quid hoc jusjurandum contineret, quidque juraverit Deus Patri noſtro Abraham, hoc nempè, ſe, id eſt, Deum daturum nobis ea, quæ ſequenti ſententia enarrantur. Illud (ſe) refert Deum: Juravit, inquit, Deus ſe daturum nobis. Nec eſt loco appoſiti, quaſi diceret: Juravit Deus, quòd daturus eſſet ſeipſum nobis, ſed eſt loco ſuppoſiti: Juravit, ſe daturum, ſeu, quòd ipſe daturus eſſet nobis, quæ ſequuntur. Non deſunt autem graves Auctores, qui illud (ſe) appoſitum exiſtimant, nempe, Deus juravit, quòd daret ſe ipſum nobis. Deus enim ſemetipſum nobis dedit, quando carnem pro noſtra ſalute accepit. Ita interpretati ſunt Sanctus Bonaventura, & Albertus Magnus, imò ante eos Auguſtinus, ſive is, cui tribuitur liber de diligendo Deo, cap. 17. Cum autem in nullo Codice Græco habeatur illud (ſe) credendum eſt ab Interprete poſitum elucidandi cauſa, debetque non ut appoſitum, ſed ut ſuppoſitum intelligi, ſicut antiqui legunt.* Hæc Toletus. Cornelius inquit: *Daturum ſe nobis, ut daret nobis, liberatis ab hoſtibus, ſervire illi ſine timore, ut ſequitur: ita enim hæc jungenda eſſe patet ex Græco, & Arabico, qui ſic vertit: Jusjurandum, quod promiſit ad Abraham Patrem noſtrum, ſe daturum nobis ſalutem ſine timore de manibus inimicorum, ut ſerviamus illi, &c. Explicat enim jusjurandum Dei, id eſt, benedictionem, quam Deus Abrahæ promiſit, & juramento confirmavit, docetque eam ſitam eſſe in ſalute, quam attulit Chriſtus, ut per ejus gratiam liberati ab inimicis noſtris, ſcilicèt, à peccato, dæmone, & inferno, quibus priùs quaſi mancipia ſervieramus, nunc Deo in ſanctitate ſerviamus. Unde ſequitur: Ut ſine timore, &c.* Hæc Cornelius à Lapide.

Pro: *Nunc dimittis*.

SYlveira inquit: *Cùm Simeon inſignis eſſet Propheta, optimè cognovit ad quem finem Spiritus Sanctus eum movebat advenire in templum, nempè, ad videndum Chriſtum Dominum, cui Simeon gaudio, & lætitia occurrit ingenti. Dum Chriſtum puerum videt, non majora ſigna requirit, ſed ibi latentem Divinitatem agnoſcit: ipſa infantis humilitas Deitatis celſitudinem oſtendebat. Paſtores, & Reges ad præſepe, ut Chriſtum invenirent, acceſſerunt; ut autem à Simeone adoretur, ac recognoſcatur, ipſemet Dominus venit in templum, in quo adeſt Sacerdos: tum, ut in templo, in quo Deo miniſtrando in officio ſuo ſervierat, ibi præmium, ac remunerationem juſtus obtineat: tum, quia Deus honorem hunc Sacerdoti voluit habere.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

POtentia uſus eſt Deus noſter, cùm fecit magna Beatiſſimæ Virgini Dei Genitrici Mariæ: bonitatem exercuit, quando implevit quod Abraham jusejurando promiſit: & cuſtodivit æquitatem, quando oculi Simeonis, juxta Dei ipſius verbum, viderunt ſalutare ſuum. Quis igitur ſimilis Domino Deo virtutum? quia potenter magna facit; quia largiter bonitatem exercet; & quia clementer æquitatem ipſe Dominus cuſtodit. Potens eſt Dominus, & veritas ſua in circuitu ejus. Miſericordia, & veritas præcedunt faciem ſuam erga Beatam Virginem, erga Abraham, & etiam erga Simeonem. Præcedentibus faciem Dei miſericordia, &

veri-

veritate, ipſe Deus videt, & ut ita dicam, præ oculis habet miſericordiam, & veritatem, quas vult ille ſemetipſum præcedere, & Divinam ejus faciem anteire. Ratio videtur proponi, ut ad ſuam miſericordiam, & veritatem, (utpote ad illas, quæ præcedunt ipſius faciem) attendat, in eo ipſo, quod præcedunt faciem illius miſericordia, & etiam veritas ejus; quia non poteſt oblivifci, vel non attendere ad illa, quæ præcedendo faciem ejus, ſunt in conſpectu illius. Ideò potenter uſus eſt cum Beata Virgine, ſua Divina miſericordia: & ideò etiam Abraham, & Simeoni favit veritate ſua, qui potens eſt Dominus, & veritas ſua in circuitu ejus. Ergo, quia etiam miſericordia, & veritas præcedunt faciem illius; beatus populus, qui ſcit jubilationem: nam eſt felicitas magna ſcire jubilare illi magno, & potenti Domino, quem veritas circumdat, & quem præcedunt (euntes ante ejus faciem) miſericordia, & veritas, dum attendit potenter Dominus ad miſerandum, faciens Virgini magna, & dum benefacit Abrahæ, & Simeoni ſua miſericordia, & veritate. Nos igitur ſatagamus jubilationem ſcire, ut pro tanta potentia, miſericordia, & veritate jubilemus Deo ſalutari noſtro, introeamus in conſpectu ejus in exultatione, & in pſalmis jubilemus ei: & laudemus Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus, ut Deo noſtro ſit jucunda, decoraque laudatio, ob bona Virgini, Abrahæ, ac Simeoni præſtita, & etiam propter beneficia nobis hodie in Sacra Communione impertita, atque collata. Magna quidem, & verè magna fecit nobis in hoc Divino Sacramento Dominus, qui potens eſt, & veritas ſua in circuitu ejus: miſericordia, & veritate, quæ præcedunt faciem ſuam, etiam Deus nobiſcum eſt uſus: miſericordia profectò, quia quando eſcam dedit timentibus ſe, memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſereator Dominus: & uſus eſt veritate quoque, quia Chriſtus nos diligens in veritate, dedit nobis carnem ſuam, quæ verè eſt cibus, & aluit nos illo pane vivo, qui deſcendit de cœlo; immenſa beneficia exhibens Chriſtiano populo. Diſcamus jubilationem ſcire, ut ſimus beatus populus. Sciamus, inquam, jubilare, quando nobis eſt conceſſum Sacram Communionem accipere. Jubilemus ſcienter cordibus, jubilemus cogitationibus, jubilemus vocibus, & jubilemus affectibus: cordibus quidem, ut Dominum adoremus; cogitationibus, ut digna Deo ſentiamus; vocibus, ut illum inceſſanter laudemus; & affectibus, ut illum verè, & ardenter diligamus: ut beatus ſit populus, qui ſcit jubilationem talem, poſt acceptam Sanctiſſimam Communionem. Agejam hoc modo jubilet Deo omnis terra, ſerviat Domino in lætitia. Hac jubilatione duce, & iſta lætitia comitante, dicamus contenta in oratione ſequenti.

Oratio poſt Communionem.

Sancti Spiritus, Domine, corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

NOn ſolùm per aſperſionem, ſed per infuſionem Spiritus Sancti petimus hodie corda noſtra mundari; nam deſideramus etiam, ipſa corda noſtra intimè fæcunda fieri. Non loquimur de Baptiſmo, qui hunc jam per Dei miſericordiâ percepimus, & in quo cum debita forma, & intentione idem valet aquæ naturalis aſperſio, quam baptizans ſuper aptizandum agit, ac proficit naturalis ipſius aquæ infuſio, per quam Miniſter iſtud Sacramentum adeò neceſſarium porrigit. Poſtulamus verò illam infuſionem Spiritus Sancti, illam habitualem, ſeu actualem ſanctificantem gratiam, aut illud gratiæ ſanctificantis habitualis, vel actualis augmentum, quibus egemus, tum, ut opera noſtra ſint Deo noſtro placita, nobis ſalutaria, & ſimul æternæ vitæ meritoria; tum, ut in gratia creſcentes, majora merita ad vitam æternam habeamus, & plures gradus gloriæ correſpondentes gradibus gratiæ lucremur. Cùm hoc ita ſit, non vacat myſterio, quòd potiùs infundi, quàm à Sancti Spiritus gratia optemus hodie aſpergi. Quod extra Baptiſmum, foris ſolum aſper-

pergitur, & ſi tingatur, notum eſt, quòd non abluitur; ſed illud, quod aqua intimè aſpergitur, & infunditur, lavatur, & mundatur pœnè totum. Promittens per Ezechielem Pater Æternus nobis Spiritus Sancti gratiam, vel Spiritum Sanctum ipſum, uſus eſt verbis iſtis: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Hæc promiſio impleta eſt, cùm apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei: non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Ecce quomodò Spiritus Sanctus nos abluit. En qualiter Deus volens nos in Baptiſmo juſtificare gratia Sancti Spiritus, dignatus eſt effundere abundè Spiritum Sanctum ſuper nos: ut juſtificemur gratia Chriſti, qui per Chriſtum, ut hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ, accepimus effuſionem Spiritus Sancti. Poſt amiſſam forte gratiam in Baptiſmo receptam, oramus, ut Sancti Spiritus corda noſtra mundet infuſio; nempe oramus quærentes illam gratiam per veram Confeſſionem Sacramentalem, atque fructuum dignorum pœnitentiæ effectionem; petentes ampliùs lavari ab iniquitate noſtra, & à peccato noſtro mundari: etiam poſcimus, nè Deus projiciat nos á facie ſua, & Spiritum Sanctum ſuum nè auferat à nobis, & ſimul poſtulamus, ut reddat nobis lætitiam ſalutaris ſui, & Spiritu principali confirmet nos. Oramus igitur ita emundari, ut dignetur Spiritus Sanctus nos intimè Deificos, atque Deiformes reddere, qui depoſcimus corda noſtra (poſtquàm ſua gratia fuerint mundata) etiam reddi per eamdem gratiam, & Sancti Spiritus infuſionem, ac ſui roris intimam aſperſionem, fæcunda. Gratia, quam cordibus emundandis infundit Spiritus Sanctus, & infuſio Spiritus Sancti, quam in corda noſtra facit benignè Pater Æternus, eſt ros ejuſdem Spiritus Sancti, ſalutaris, & mirificus. Hoc rore optamus ablui, mundari, madefieri, & infundi, qui intima illius aſperſione exoptamus corda noſtra fæcundari. Si fuerint corda noſtra ita mundata, & fæcundata, germinabit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum: quia pro varietate noſtrorum ſtatuum, officiorum, & profeſſionum faciemus opera ſalutaria, vitæque æternæ meritoria: quæ quidem opera cum Dei gratia ſunt perennis gloria ſemina: & qui ſeminaverit in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam, cùm in domo Dei manſiones multæ ſint. Ad hoc petimus à Patre Æterno, ut Sancti Spiritus corda noſtra mundet infuſio, petentes abundantiam, & imbrem ſuæ gratiæ: & ut corda noſtra dignetur fæcundare intima roris gratiæ Spiritus Sancti ejuſdem aſperſione.

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUMNONUM

Pro Dominica prima poſt Pentecoſten, in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ primæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

GLoſſa Ordinaria ait: *Prophetavit, &c. Non ſolùm mea auctoritate probo, quòd puniendi ſunt, ſed etiam auctoritate Enoch, quòd jam olim præſcripti ſunt in tale judicium impii homines, qui noſtris temporibus ſubintroierunt ad ſubvertendam fidem piorum. Enoch. In ſtirpe Cain Enoch, qui dedicatio interpretatur, primus naſcitur. In electorum verò progenie Enoch ſeptimus memoratur, quia reprobi in hac vita, quæ antè eſt, ſe ipſos ædificando dedicant: electi verò ædificationis ſuæ dedicationem in fine temporis, id eſt, in ſeptimo expectant.* Hugo Cardinalis: *Prophetavit, &c. Probat hìc Sanctus Judas, quòd procella pœnarum ſervatur hæreticis, & aliis peccatoribus: quia ſcriptum eſt, quòd Dominus veniet ad judicium, & reddet eis mercedem ſecundùm opera ſuæ impietatis, dicens: Prophetavit autem & de his, id eſt, malis, & eorum pœnis. Septimus ab Adam Enoch, computato Geneſ. 5. a. & 1. Paralip. 1. Adam, Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Jared, Enoch.* Nicolaus de Lyra: *Hìc ad propoſitum inducit dictum Propheticum, dicens: Prophetavit autem de his, ſcilicèt, hæreticis futuris. Septimus ab Adam Enoch. Ambobus tamen computatis, ut habetur Geneſ. 5. & 1. Paralipomenon.* Eſtius: *Prophetavit autem, &c. Græcè ſine propoſitione: Et his, vel: Etiam his, ut ſit ſenſus, ipſum etiam Enoch antiquiſſimum, ut qui vixerit ante diluvium, & ſeptimus fuerit ab Adam primo parente, ſpiritu Prophetico prædixiſſe his ſeductoribus ſuum judicium, atque exitium, verbis proximè præcedentibus ſignificatum. Quòd ſeptimus ab Adam fuerit Enoch, liquet ex Scriptura Geneſ. 5. & 1. Paralipomenon, 1. videlicèt, utroque nomine in hunc numerum incluſò. Sed quæritur, unde Sanctus Judas hoc teſtimonium deprompſerit? Multorum ſententia eſt, ex apocrypho, qui liber Enoch vocatur, ſumptum eſſe. Sed non ipſum teſtimonium apocryphum eſt: nam in apocryphis non omnia ſunt apocrypha, potuitque Sanctus Apoſtolus Divino ſpiritu, quo præditus erat, diſcernere inter ejuſdem libri vera, & falſa, Divina, & humana. Dicendum igitur, hoc quod Apoſtolus affirmat, Enoch prophetaſſe, & prophetando dixiſſe ea verba, quæ hìc commemorat, abſque dubio verum eſſe, & proinde, teſtimonium ipſum, & verum eſſe, & Divinum: ac tale fuiſſe etiam ante hanc Apoſtoli citationem, licèt in canone Sacrorum librorum apud Hebræos non extaret: quomodò nec in illum canonem relati erant alii quidam libri veteris teſtamenti, quos in ſuum poſteà canonem recepit Eccleſia. Quæret aliquis, quomodò non interierit illa Prophetia Enoch per generale diluvium? Reſpondeo cum Tertull. lib. de habitu muliebri cap. 3. potuiſſe eam à Noe, qui fuit pronepos ipſius Enoch, conſervari in arca. Addo, potuiſſe etiam extare lapidi inſculptam, ut perenne monimentum. Hinc poſtremò diſce, litterarum inventum antiquius eſſe diluvio: contrà quàmmulti ſentiunt, qui vel Abraha, vel Moyſi, vel Phœnicibus popu-*

Digitized by Google

populis hujus inventi laudem tribuunt. Menochius: *Prophetavit autem, &c. Probat quòd impiis hæreticis procella tenebrarum reſervata ſit, teſtimonio Enoch: cujus Prophetiam vel ex traditione majorum accepit Judas, vel ex libro aliquo, qui tunc extaret, cùm hæc ſcribebat Apoſtolus. Septimus ab Adam. Adam genuit Seth, hic Enos, hic Cainan, hic Malaleel, hic Jared, hic Enoch: eſt ergo ſeptimus, ipſis Adam, & Enoch computatis*. Tirinus: *Prophetavit autem, &c. De his, ſupple: Hæreticorum judicio, & damnatione, prophetavit Enoch, prophetia utique vocali, ac verbali, quæ poſteà veriſimiliter, ſeu ab ipſomet, ſeu ab ipſius abnepote Noe in ſcripta fuit relata; ſed poſterioribus ſaeculis multæ illi fabulæ adjectæ, ut videre eſt ex iis, quas citat Tertullianus, Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, & alii. Et forſan ex libro ſic vitiato gemmam hanc, ut genuinam ſelegit Sanctus Judas*. Cornelius à Lapide hæc habet inter alia: *Prophetavit autem, &c. Prophetia hæc eſt antiquiſſima, utpote edita ante diluvium. Enoch enim fuit abavus Noe, genuit enim Mathuſalem, hic Lamech, hic Noe, Geneſ. 5. Porrò Enoch fuit Propheta, & ea, quæ citat hìc Judas, prophetavit viva voce, quæ vel traditione Majorum accepit Judas, vel ex libro ſive ab Enoch, ſive à quo alio, qui Prophetias Enoch, collegit, ſcripto. Unde Tertullianus de habitu mulier. cap. 3. cenſet, librum hunc à diluvio ſervatum in arca, aut à Noe afflatu Spiritus Sancti memoriter redintegratum. Conſentiunt Sanctus Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ. in Enoch, Didymus, & Beda hìc, Sanctus Athanaſius in Synopſi, & Clemens lib. 6. Stromat. Quarè veriſimile eſt, librum hunc olim extitiſſe purum, & ſincerum, ſed poſteà vel deperiiſſe, uti periit, liber Addo videntis, multique alii, qui citantur in libris Regum: vel ab hæreticis eſſe corruptum, & depravatum, uti & paſſim aliæ veterum prophetiæ. Nam liber Enoch, qui citatur à Tertulliano, ſcatet erroribus. Liber Enoch citatur crebrò in teſtamento duodecim Patriarcharum, quod citant, & laudant Origines, & Procopius: citatur, inquam, in teſtamento Simeon, Levi, Iſachar, & Dan, ubi recenſentur oracula Enoch, de his, quæ eventura erant filiis, & nepotibus duodecim Patriarcharum, de Hebræorum flagitiis, & ſuppliciis, de mundi Redemptore à Judæis occidendo, de Hebræorum clade, ſervitute, & reprobatione perenni. Certum eſt, ea, quæ hìc citat Judas, ab Enoch eſſe prædicta. Ergo, ſi librum Enoch citat jam vitiatum, ideòque apocryphum, non ideirco omnia, quæ in eo continentur, probat; ſed tantùm illum citat, probatque ea parte, qua is authenticus, & germanus erat Enoch, vel Noe, putà Prophetiam Enoch de ultimo judicio. Jam verò Sanctus Judas citat ejus Prophetiam, qua parte agit, & intentat impiis Dei judicium; quia illud negabant Gnoſtici impuri, & impii. Illud enim maximum eſt frænum ad cohibendos homines à peccatis, & libidinibus, quæ tempore Enoch abundabant. Unde mox propterea Deus orbi generale induxit diluvium. Quis enim peccare poterit, ſi ſemper ante oculos ſuos Dei judicium ponat? ait Sanctus Petrus apud Sanctum Clementem Epiſt. 1. Hinc judicium Dei jugiter ſibi, aliiſque ob oculos poſuere Sancti: ut Sanctus Hieronymus, Sanctus Ephrem, Sanctus Baſilius, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Chryſoſtomus, Sanctus Gregorius uterque, & alii. Hinc & ipſe Enoch cum Elia venturus eſt, quaſi Præcurſor Judicis Christi, tum, ut reſiſtat Antichriſto, tum ut inſtans judicium prędicet, adigatque homines ad pœnitentiam, ut ad illud ſe comparent, de quo plura Apocal. 11. verſ. 3. Simili modo Sanctus Athanaſius lib. de Incarnatione Verbi: Nolim, ait, te latere alterum ejus adventum illuſtrem, & divinum, non humilitate contemptibilem, ſed gloria magnificum in expectatione eſſe, atque imminere, cùm non, ut patiatur; rediturus ſit, ſed, ut fructus ſuæ Crucis omnibus retribuat, immortalitatem, videlicèt, & reſurrectionem, & incorruptibilitatem, neque, ut judicetur, ſed, ut judicet*.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

NOn vacat myſterio, quòd de hæreticis prophetaverit Enoch, qui fuit ſeptimus ab Adam. Iſte numerus ſeptenarius generationis Enoch prophetantis de

hæreticis contra hæreticos, nobis innuit modum rectæ operationis noſtræ, quam debemus habere, ut cœlum poſſimus ingredi, fide, gratia, & charitate ornati. Memorat ergo nobis ſeptenarius numerus ſeptem Spiritus Sancti dona, ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, ſeptem virtutes oppoſitas ſeptem capitalibus vitiis: ſeptem ſpiritualia miſericordiæ opera, & totidem corporalia: ut donis quidem Spiritus Sancti aptemur; ut Sacramenta debita præparatione recipiantur; ut virtutibus contra vitia dimicemus; & ut opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia exerceamus. Hæc prædicta hæreticos carpunt, quia ipſi eorum obliviſcuntur, & ob hanc oblivionem infeliciter damnantur. Obliviſcuntur dona, quæ non recipiunt, imò quibus contrariantur: obliviſcuntur Sacramenta, illis illudentes, & per ſuos errores contra ea blaſphemantes: obliviſcuntur virtutes, quas ob ſuam malitiam, traditi omni vitio, non ſectantur: & obliviſcuntur etiam opera miſericordiæ, quæ renuunt. Quomodò illi miſeri potientur luce ſine donis Spiritus Sancti? Quomodò ornabuntur gratia, qui negant, & violant Sacramenta? Quomodò ſine virtutibus dimicabunt contra vitia? Quomodò miſericordiam à Deo valebunt recipere, qui nolunt in operibus miſericordiæ erga proximos verſari? O infelices homines dati in reprobum ſenſum! Ideò infernus domus illorum eſt. Solùm ipſis ſupereſt ſepulchrum, gehenna, ſcilicet, cui tradentur, quando à Deo ſententia mortis ſecundæ, hoc eſt, æternæ damnationis inurantur. Longè ab iſtis peccatoribus ſalus, quia juſtificationes Domini non exquiſierunt. Sed nos, quos, favente Deo, vera Fides ornat, ſperemus, quòd, cùm miſericordiæ Domini ſint multæ, ſecundùm judicium ſuum vivificabit nos ipſe Deus: & quamvis ſint hæretici, & peccatores multi, qui perſequuntur nos, & tribulant nos, à teſtimoniis noſtri Creatoris, & Redemptoris non declinemus. Sic videbit, quoniam mandata ſua dileximus, Dominus, cùm viderit nos dona Sancti Spiritus venerantes, Sacramentis benè utentes, virtutes exercentes, & operibus miſericordiæ vacantes. Enoch cum Deo ambulavit, & tranſtulit illum Dominus: nos igitur cum Deo ambulemus, ut à Deo noſtro hinc feliciter transferamur: nam qui Chriſto miniſtrat, Chriſtum ſequatur, ut ubi ille eſt, illic ſit, & miniſter ſuus. Ut hæc conſequamur dona, clamemus in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ primæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Deus in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius invocationibus noſtris: & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ: ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi, & actione placeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt: ideò oramus, ut ſalvum faciat populum ſuum Dominus, & benedicat hæreditati ſuæ, & regat eos, & extollat illos uſque in æternum. Si Dominus eſt protector vitæ noſtræ, à quo trepidabimus? cùm certum ſit, quòd, ſi in ipſo ſperaverit cor noſtrum, adjuti erimus: & refloreblt caro noſtra, & ex voluntate noſtra confitebimur ei. Eſt Deus fortitudo in eo ſperantium, quem quidem hodie invocationibus noſtris adeſſe deſideramus propitium. Magno obice noſtræ ſalutis ex parte noſtra circumdamur ob noſtram voluntatem rebellem, Deo noſtro reluctantem: & inter hæc ob noſtram inertiam ea eſt noſtra parvitas, ac ob conditionem noſtram humanam adeò debilis noſtra fragilitas, & tenuis noſtra capacitas, ut ſine Deo nihil poſſit mortalis infirmitas. Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: & ſæpè ſæpiùs in mala ruimus, & à nobis ipſis impulſi ſumus, ut caderemus. O mali habitus noſtri! O conſuetudines peccandi, à noſtra voluntate provenientes, & admiſſæ! O pravi vivendi mores, quouſque irrui-

irruitis in hominem? interficitis univerſi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ? quando aliàs opera, & malitia diaboli (cujus invidia mors ingreſſa eſt in orbem terrarum) ſeminantur zizania, quæ miſerè occupant humana corda? Quamvis tamen ſine Deo nihil poſſit mortalis infirmitas, quia ſine illo nihil poſſumus facere; omnia poſſumus in eo, qui nos confortat, Domino Deo noſtro: cum ipſe ſit, de quo dicere poſſumus: *Dominus mihi adjutor: & ego deſpiciam inimicos meos*. Itaque, ſi diabolus, mundus, & caro, peſſimi animarum noſtrarum inimici, pretium noſtrum cogitaverint repellere: curramus in ſiti: ſitiant, inquam, animæ noſtræ ad Deum fortem vivum: ſperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor noſter in æternum. Utinam Pater Æternus (ſine quo, ſicut ſine Filio, & Spiritu Sancto nihil bonum vitæ æternæ meritorium poſſumus facere) præſtet auxilium gratiæ ſuæ. Et quia eſt gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, ac etiam, quoniam gratia, & amicitia liberant, in magno pretio habeamus (ſi illas nobis conceſſerit Deus ob ſuam miſericordiam) Divinam gratiam, & Divinam amicitiam: eas nobis ſervemus, nè exprobrabiles ſiamus; ſiquidem ad hoc nos hortatur Sacer Textus. Auxilio gratiæ Dei ſuffulti, in exequendis mandatis Dei ejuſdem, placebimus illi voluntate, placebimus & actione: voluntate, ut nil velimus contra ejus placitum, ac omnia optemus ad ejus plenum ſervitium: & actione, qua nihil operemur malum, & omne exequamur bonum. Benè profectò volemus, & benè agemus, ſi Deus ipſe pro ſua benignitate largitus nobis fuerit ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi, ut qui ſine eo eſſe non poſſumus, ſecundùm eum vivere valeamus.

ORATIO SECRETA.

HOſtias noſtras, quæſumus Domine, tibi dicatas placatus aſſume: & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

ALiud quidem eſt Deo noſtro nos hoſtias noſtras dicare, & aliud eſt Dominum eumdem noſtrum dicatas ipſi hoſtias aſſumere. Deus, & Dominus noſter eſt ille idem, qui aliquando in veteri teſtamento dixit: *Audi populus meus, & loquar: Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus, Deus tuus ego ſum. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus*. Ipſe quoque eſt, qui ait: *Odi, & projeci feſtivitates veſtras*. Ille demum, qui interrogantibus: *Quarè jejunavimus, & non aſpexiſti?* reſpondit: *Quia in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra*. Itaque poteſt Dominus Deus noſter iratus hoſtias noſtras ipſi dicatas non aſſumere, qui exoratur hodie à nobis, ut aſſumat propitius noſtras hoſtias ſibi in Sancto Altari dicatas. Petimus ab illo, ut cumulet, ac coronet miſericordia hoſtias noſtras aſſumendi, & acceptandi, aliam primam ſuam erga nos miſericordiam, qua nobis dedit ſpiritum hoſtias eaſdem tribuendi, offerendi, ipſique in Sacrificio dicandi. Immeriti quidem ſumus, ut hoſtias ſibi à nobis dicatas aſſumat noſter Dominus, & Deus; ſed, ſi hujus noſtræ indignitatis humiliter conſcii, acceſſerimus ad hoſtias ei dicandas ex toto corde contriti, cor contritum, & humiliatum ille non deſpiciet; ſed vincet miſericordia ſua iram juſtiſſimè contra nos anteà conceptam, & aſſumet hoſtias noſtras ipſi dicatas, propitius, quas profectò poterat non accipere, iratus. Hæc habemus hodie in voto, cùm dicimus: *Hoſtias noſtras, quæſumus Domine, tibi dicatas aſſume*. Si dignatus fuerit Deus eas acceptare, & aſſumere, Domini erit aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael Regis noſtri: qui aſſumens hoſtias noſtras, aſſumet nos, liberabit nos, & ponet nos juxta ſe: quia virtute ſacrificii elevabit nos ab imis mundi, & tollet nos ad altitudinem cœli. Si tale nobis conceſſerit bonum, poterimus fideliter petere, atque feliciter conſequi, ut hoſtiæ noſtræ ipſi dicatæ, ad per-

perpetuum nobis provenianт ſubſidium. Provenient nobis hoſtiæ ad ſubſidium perpetuum, ſi per eas nobis collata fuerint auxilia gratiæ, ut agamus opera meritoria vitæ æternæ. Erit nobis ad ſubſidium perpetuum ille ſuccurſus gratiæ, quo poſſimus hoſtes ſpirituales longè facere, & à nobis abactos, illos uſque ad plenam victoriam vincere; exeuntes à vitiorum obſidione animas noſtras periculosè cingente, ut poſt devictos inimicos, poſſimus quoque feliciſſimè triumphare. Et, ſi quò obſidio eſt tenacior, eò eſt ab ea liberatio & utilior, & glorioſior; tantò ditiores, & conſolatiores evademus à nos cingentibus, & vallo nos circumdantibus, liberi, quantò plùs ab adverſariis eramus conſtricti, arctati, & circumſepti. Ideòque Deo ſuccurrenti nobis per Altaris hoſtias a ſe aſſumptas ad noſtrum perpetuum ſubſidium, debebimus benedicere in æternum.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QVia fecit mihi magna qui potens eſt & ſanctum nomen ejus. *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

BArradas ait: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Etenim in Virgine potentiam ſuam maximè Deus exercuit, quam undique magnam fecit. Si magnam domum, magno ſumptu, ſi magnam civitatem magna celeritate exædificatam cernas, fecit hæc, dices, potens homo. Cùm Virginem videmus, quid aliud, quam magnam Dei domum, ingenti impenſa, magnam Dei civitatem ſumma celeritate extructam cernimus? Quid igitur dicemus? Fecit illam qui potens eſt. Qui antiquum illud templum auro undique radians contemplaretur, potentis Regis opus eſſe, affirmaret: qui novum templum, id eſt, Deiparam, ſpiritali auro, gemmiſque petioſiſſimis, omni ex parte fulgentiſſimum intuetur, potentiſſimi Dei admirabile opus eſſe, proclamat. Quis poterit prævalere, ut ædificet Deo dignam domum? ait Salomon. 2. Paralipom. 2. Etenim nemo Deo dignam domum, id eſt, matrem, in cujus utero novem menſium ſpatio habitaret, niſi Deus ipſe, potuit ædificare. Fecit illi magna qui potens eſt, ille domus humilitatis profundiſſima fundamenta jecit, ille altiſſimos parietes quatuor, id eſt, virtutes cardinales quatuor, prudentiam, juſtitiam, temperantiam, & fortitudinem excitavit: ille rutilam auro, id eſt, charitate, totam, conveſtivit: ille ceterarum omnium virtutum ſculpturis mirandum in modum condecoravit: ille Matrem ſe digniſſimam fecit, in cujus viſceribus ſanctiſſimis (o rem ſtupendam!) homo fieret. Parentibus, ait Ariſtoteles in fine lib. 8. Ethicorum, filios parem gratiam referre non poſſe. At filium Deum non novit; is enim parem potuit gratiam Matri reddere. Et reddidit quidem non parem ſolùm, verùm multò etiam ampliorem: quia fecit illi magna qui potens eſt, nempe, Deus. Accepit ab ea humanitatem, ſed hanc accepiſſe infinitum propemodùm fuit in Matrem collatum beneficium. Ceterorum filiorum procreatio, parentum eſt beneficium collatum in filios; hujus autem filii generatio, Genitrici fuit præſtitum donum, omne ſuperans munus. Magnam fecit Matrem magnus Filius, magnoque fœnore, quæ ab illa accepit, perſolvit.* Hæc Barradas. Sylveira dicit: *Fecit mihi magna, &c. Non in me, nec per me, ut ait Auguſtinus, ſed mihi: quod enim ad omnium ſalutem in ea factum eſt, hoc, privilegio dilectionis, ad ejus gloriam ſingulariter eſt ordinatum. Sicut enim omnia, quæ Deus dixit, & fecit, ad ejus gloriam referuntur; ſic omnia, quæ in noſtra reparatione lucent, in laudem Virginis cedunt. Fecit mihi, non, nobis; nam illa lectio Divi Paulini non habet fundamentum in aliquo textu, ſed fortaſsè dictum eſt per accommodationem, dum loqueretur ad fratres: mihi, ait, dum etiam de fructu Incarnationis, ac Redemptionis loquitur. Gratus animus communia beneficia peculiara reputat, ut ſe magis obligatum cognoſcat. Et ſanctum nomen ejus. Verbum Incarnatum, vel Spiritum Sanctum innuit.* Cornelius

in-

inquit: *Qui potens eſt. Eſt hoc unum è decem nominibus Dei: ſic enim ſeptuaginta vertere ſolent Hebræum Gbibbor, id eſt, potens, validus, gigas: unde Gabriel, id eſt, fortitudo Dei: ac Noſter Hæbraicum Saddai vertere ſolet: Omnipotens; de quo nomine multa dixi Geneſ.17. 1. ubi inter alia oſtendi, quòd Saddai idem ſit, quòd mammeus, vel ſufficiens, & abundans bonis omnibus, ut eo inſtar mammæ largiter in omnes effundat: hoc enim Deus nuſquàm magìs fecit, quàm in Incarnatione Verbi. Hoc addit Beata Virgo, ait Titus, primò, nè quis tanto huic Myſterio fidem detrahat: quæ enim dicit huc ſpectant: Nemo, ſi Virgo concepi, miretur; nam qui id operatus eſt, Omnipotens Deus eſt. In hoc ergo Myſterio tota ratio facti, ut ait Sanctus Auguſtinus Epiſt.3. eſt potentia facientis, qui facit mirabilia magna ſolus. Pſalm.135. 4. &, ut ait Job cap.5.9. Qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero. Secundò, ut oſtendat Virgo, in ſe completum eſſe, quòd promiſerat Angelus verſ.35. Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Alludit ad illud Iſai.7. verſ.14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, id eſt, nobiſcum fortis, ſcilicèt, Deus, & cap.9. 6. Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c. & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis. Hæbraicè: el gbibbor, id eſt, validus, fortis, ut gigas. Unde ejus ortum annuntiavit Gabriel, quod nomen potentiam, & fortitudinem Dei ſignificat.* Maldonatus ſic loquitur: *Et ſanctum nomen ejus. Quidam hoc ita exponunt, quaſi hæc, & cetera, quæ ſequuntur, ſecunda pars ſint hujus Cantici, & quaſi abſolutè Maria Dei nomen ſanctum eſſe dicat, ejuſque miſericordiam à progenie in progenies. Magis credo, hæc & quæ ſequuntur, omnia epitheta Dei eſſe, quibus periphraſim Deum deſcribat. Obſervatu enim dignum eſt, nunquàm Mariam à verſu 49. uſque ad finem Cantici Deum nominaſſe, ſed figura quadam oratoria, quæ majorem habet gratiam, eum deſcripſiſſe, & honorificis epithetis, quaſi titulis ornaſſe. Nec enim dixit: Quia fecit mihi magna Deus, quod, ut brevius dictu erat, ita & ad ſententiam minus efficax, & ad orationis ornatum minùs aptum; ſed dixit: Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Didacus Baeza hæc habet: *Quia fecit mihi magna, &c. Dei erga ſe potentiam exaltat Maria, dum ait: Fecit mihi magna qui potens eſt. Miranda maximè facinora fecit Deus in cælo, & in terra, quibus ſuam potentiam exaltaret; liberato Hebræo, Ægyptium ſubmerſit, manna pluit, ad unius militis vocem cæleſtem militiam ſtare juſſit, mediis flammis roſcidos adoleſcentes cuſtodiit: & his prætermiſſis, in hoc uno ſe jactat Divina potentia, quòd uni ſe credat fœminæ, quòd in uterum Virginis inviolabiliter deſcendat. Et quidem antiquum erat, & parvum illud Divinæ poteſtatis elogium, nimirum, Montes ſicut cera fluxerunt à facie Dei Jacob. Majus ſine dubio eſt Divinæ poteſtatis miraculum, quòd cera ſicut mons firmetur ad greſſum magni Dei Jacob. Sic ſtupet Divus Cyrillus Hieroſolymitan. Oratione de Occurſu Domini, ubi verba dat: Qui omnibus cæli portas patefecit, actuſque in Crucem ſepulchrorum oſtia aperuit, & æternas illas inferorum portas contrivit, Matris tandem Virginis clauſtra admiranda virtute concluſa ſervavit: Hæc ille; quibus pondero: poſt tot portas, vecteſque confractos, inde admirandam Dei virtutem commendat, quod Virginitatis Marianæ clauſtra, admiranda virtute concluſa ſervavit. Cujus facies montes contrivit, & velut ceram liquavit, liliatam pudicitiæ Vallem in Maria integram novit æternare. Proh Dei virtutem mirabilem! Nonnè magnum hoc in Mariam, Dei facinus?* Hucuſque Baeza.

Pro: *Benedictus*

VErſio Syriaca ait: *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus coram illo.* Perſica lectio: *Ut è manu inimicorum noſtrorum evadamus, & ſine metu omnibus diebus noſtris coram eo ſervitium faciamus, & præſtemus.* Perſica altera: *Miniſterium præſtemus ei.* Æthiopica: *In quo non timebimus à manibus inimicorum noſtrorum, & quòd liberare nos, & ſerviremus ei.* Pagninus legit: *Sine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſervire illi.* Arias: *Impavidè ex manu*

inimicorum. Divus Irenæus lib.3. cap.11. *Sine timore ex manu inimicorum ereptis ſervire ipſi*. Gloſſa Moralis: *Ut ſine timore, ſcilicet, ſervili*. Nicolaus de Lyra: *Ut ſine timore, &c. Quia per hoc evacuatur timor ſervilis, qui non eſt in charitate*. Eſtius: *Ut ſine timore, &c. Syntaxis hæc eſt: Quo jurejurando juravit, daturum ſe nobis, ut liberati de manu inimicorum noſtrorum, ſine timore ei ſerviamus in ſanctitate, & juſtitia omnibus diebus noſtris*. Tirinus: *Ut ſine timore, &c. Ut ſine timore ſervili, ex mero amore ſerviamus, non carni, vel peccato, ſed Deo*. Simon de Caſſia dicit: *Ut ſine timore, &c. Porrò, niſi à dæmonum dominatu liberemur, Deo in veritate ſervire non poſſumus. Prius enim à dæmonibus eſt habenda libertas: antè ſunt ſolvenda vincula peccatorum, quibus voluntariè noſmetipſos innexim. Prius à carceribus oportet dimitti, quàm juſtum Deo famulatum exhibere poſſimus*. Vincentius Regius inquit: *Ut ſine timore, &c. Explicat, quid in illo jurejurando contineretur, nempe, fore, ut hoc daret nobis loco beneficii, ut liberati de inimicorum noſtrorum poteſtate, ſine timore liberè illi ſerviremus. De inimicis ſpiritualibus intellige: jam namque ligatus eſt hoſtis, nec mordere poteſt, niſi volentes. Denique nemo læditur, niſi à ſe ipſo, inquit Chryſoſtomus*. Maldonatus ſic loquitur: *Ut ſine timore, &c. Qui timorem hoc loco ſervilem, quem vocant, interpretantur, verborum nexum non animadvertunt, qui ſatis apertè docet, non de timore Dei, aut ſervili, aut filiali, ſed de timore inimicorum agi, ſine quo eſſemus Deo liberè ſerrituri. Si quemadmodum verſu 71. docuimus, non de corporalibus, ſed de ſpiritualibus hoſtibus hoc intelligatur, quemadmodum omnes ferè Interpretes intelligunt, ſententia eſt facilis, & aliis Scripturæ locis explicata. Nolite, inquit, timere puſillus grex, (Infrà cap.12. 32.) quia complacuit Patri veſtro vobis regnum. Et: Confidite, ego vici mundum. Joan.16. 33. Et: Certus ſum (inquit Paulus Roman. 8. 38. & 39.) quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Quid ergo alibi jubet, nos cum timore, & tremore, noſtram ipſorum ſalutem operari? ad Philipp.2.12. & alibi: Fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. ad Roman.11.20.? Jubet, nos à nobis timere, non ab hoſtibus. Nam hoſtis quidem non ſolùm per Chriſtum debilitatus, ſed victus omninò, atque ligatus eſt. Apocalypſ.20.2. Non tam ille in nos invadit, quàm ipſi nos in illius manus damus. Circuit quidem, tamquam leo rugiens, quærens quem devoret. 1. Petri.5.8. ſed ligatus circuit, quales ſolent circumferri urſi, nec mordere nos poteſt, niſi volentes, & quodammodò provocantes. Quis, inquit, eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? 1. Petri, 3.13. Vera eſt Chryſoſtomi ſententia, neminem lædi niſi à ſe ipſo*. Hucuſque Maldonatus.

Pro: *Nunc dimittis*.

Sanctus Auguſtinus ſerm. 16. in Feſto Nativitatis Salvatoris noſtri JeſuChriſti ait: *Ut ergo noveritis, antiquos ſanctos, & juſtos optaſſe videre quod conceſſum eſt huic ſeni Simeoni: Dominus noſter ipſe Jeſus Chriſtus ad diſcipulos ſuos loquens ait: Multi juſti, & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Multum ſenex iſte fuit ad audiendum ſerus, ſed ad videndum maturus. Non expectavit, ut Chriſtum audiret loquentem, quoniam agnovit infantem. Et hoc illi conceſſum erat jam decrepito, quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti quotidie in orationibus ſuis: Quando veniet? Quando naſcetur? Quando videbo? Putas durabo? Putas hic me inveniet? Putas iſti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat iſta in orationibus ſuis, & pro deſiderio ſuo accepit reſponſum, quòd non guſtaret mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini. Geſtabat eum Maria Mater ejus infantem, vidit ille, & agnovit. Ubi noverat quod agnovit? An intùs eſt revelatus qui foris eſt natus? Vidit, & agnovit. Agnovit Simeon infantem tacentem, & occiderunt Judæi juvenem mirabilia facientem. Cùm ergo cognoviſſet, accepit in ulnas ſuas, hoc eſt, in brachia ſua*, ample-

amplexatus eſt eum. Portabat à quo portabatur. Ipſe enim eſt Chriſtus Sapientia Dei, attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter. Quantus ibi erat, & quàm magnus, quàm par vus factus erat! Parvus factus, parvos quærebat. Quid eſt parvos quærebat? Non ſuperbos, ſed humiles colligebat. In præſepi dignatus eſt poni, ut eſſet piorum cibaria jumentorum. Accepit eum Simeon in brachia ſua, & dixit: Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace. Dimittis in pace, quia video pacem. Quarè ergo dimittis in pace? Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Salutare Dei, Dominus Jeſus Chriſtus. Annuntiate diem, ex die Salutare ejus. Habetis ergo pueri puerum Jeſum, ſancti ſenes ſenem Simeonem. Si autem quæritis, ut & conjugatus aliquis vir teſtimonium Domino perhibeat, Zachariam conſiderate. Nemo ergo quærat aliud, fratres mei chariſſimi, fideles, aut virgo, aut vidua, aut conjugata, aut puer, aut continens, aut uxoratus, quidquid plùs eſſe quis voluerit, non invenit quemadmodùm ad Chriſtum pertineat. Non invenimus, teſtimonium perhibuiſſe Chriſto adulteros, fornicatores, immundos. Et ut à talibus ei teſtimonium perhiberetur, ipſe præſtitit, ipſe donavit. Non enim quiſquam ſanctus viribus ſuis. Exultemus ergo, chariſſimi, ab hodierno die die creſcunt dies. Crede in Chriſtum, & creſcat in te Deus. Credidiſti, incboatus eſt Deus. Credidiſti, natus eſt Chriſtus in corde tuo. Sed nunquid Chriſtus natus ſic remanſit? Crevit, ad juventutem pervenit, ſed in ſenectutem non declinavit. Creſcat ergo & fides tua, robur inveniat, vetuſtatem neſciat. Sic pertinebis ad Chriſtum Filium Dei, in principio Verbum apud Deum, Verbum Deum, ſed Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis. Majeſtas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. In manus ſuas Simeon infirmitatem accepit, ſed majeſtatem intùs agnovit. Nemo contemnat natum, ſi vult eſſe renatus. Ad illum pertinuit propter nos naſci, ad nos pertinet in illo renaſci, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, cui eſt honor, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen. Hucuſque Sanctus Doctor, & Magnus Eccleſiæ Pater Auguſtinus. Simon de Caſſia dicit: *In magnam contemplationem trajicitur animus. Si homo iſte, Spiritu Sancto monſtrante, in anima ſua Chriſti ſacramenta videbat: cur carneis oculis videre exivit? Cur ſic videre reſponſum accepit? cur ſic adimpletum quotidie lectitamus, & credimus? maximè, cùm oculis carneis, præterquàm Chriſti carnem, non potuiſſet aſpicere? Non enim erat oculis ſubjecta Incarnata Divinitas: nec vita, quæ Chriſtus eſt, poterat corruptibili viſu videri. Quid igitur eſt, quòd illa viſione intrinſeca non contentus, forinſecam expectabat? Plùs enim eſt mente, quàm corpore quidpiam conſpexiſſe. Mente, veritas, non oculis eſt facta viſibilis: nec beſtias excedimus, & volucres, & ſerpentes in viſione corporea, ſed quia mente decernimus aſpecta per corpus. Si jam Simeon totum mente videbat, quid aſpicere gliſcebat in corpore? Attamen & ſpiritu venit in templum, ſcilicèt, quo plenus erat. Et juſtus, & timoratus, hoc eſt, ſpiratus, ad Chriſti ſciendum adventum, in templo ſibi obviam factus. Ecce juſtus obviat Juſtificatori, & portitoribus ejus, & in templo conveniunt infans in carne Verbum, & geſtantes in carne Deum. Et juſtus huic obviat Trinitati. Quid Maria, niſi fides? Quid Joſeph, niſi ſpes? Quid Chriſtus delicatus, niſi charitas? Procedit à fide, & ſpe vera charitas, velut à Patre, & Filio Spiritus Sanctus. Quid ſenex iſte juſtus, niſi omnis chorus juſtorum, qui ad Eccleſiam Sanctam venit, has virtutes animo, & in actionibus ſuſcepturus? Ac per hoc datur intelligi, quòd ſenex iſte ſpiritu videns, corpore videre ſatagebat: conformitatem operum exteriorum, ad Divinas virtutes volebat offerre.* Hæc Simon de Caſſia.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

QUia ancillam Domini Beata Virgo Maria Deipara ſe nominavit, & Deo fideliſſimè ſervivit, ipſe Deus fecit illi magna, qui potens eſt. Decrevit Deus, ut ait Zacharias, nos ab inimicis

noſtris liberare, ut ſerviamus illi. Servivit Simeon ipſi Domino, & oculis ſuis vidit ſalutare Dei. Servire Deo regnare eſt. Utinam ſerviamus illi in hoc ſæculo, ut tranſlati ad vitam æternam ſimus in illo glorioſo regno, in quo gaudent omnes Sancti cum Chriſto noſtro Sanctiſſimo Redemptore. Potiùs nos reputat ſedens in Sacramento Chriſtus, ut amicos, quàm ut ſervos: ſed erimus amici illius, ſi fecerimus omnia, quæ ille præcepit nobis. Utinam ipſe excitet in nobis Spiritum, cui Sancti amici Dei ſervierunt, ut eodem nos repleti ſtudeamus amare quod amarunt, & opere exercere quod docuerunt. Multùm docuerunt, quia multùm Deum amarunt: Deum Dominum noſtrum amantes etiam dilexerunt proximos, ſicut ſe ipſos. Iſti ſunt amandi, Deus, ſcilicet, & proximi: ſtudeamus proinde amare amandum, quod amaverunt Sancti. Studeamus amare quod amaverunt docendo, & opere exercere quod docuerunt, quando docuerunt amando. Optimus amor ille, qui amat docens amandum amare: optima quoque eſt illa doctrina, quæ tractat de Dei, & proximi amore, dum agit de charitate: de charitate profectò fide in Deum illuminata, & ſpe in Domino fulta. Faxit Deus, ut in nobis ipſe excitet Spiritum, cui Sancti ſervierunt, quando amarunt docentes, & quando docuerunt amantes. Vacui coram Deo non apparebimus, ſi ſpiritu amoris talis doctrinæ, & doctrina talis amoris fuerimus benè repleti à Domino in nobis hunc ſpiritum excitante. Ergo à Deo moti, & excitati, poſt Communionem receptam, ſervire Deo diſcamus, & repleti à Deo ſpiritu ſui ſervitii, ſanctas animas imitemur, quæ docent, cùm amant, & amant, cùm docent iſtam amandi doctrinam. In Euchariſtia datur nobis Deus, qui charitas eſt: ergo dat ſe ipſum, quando nobis charitatem tribuit, & dat charitatem, quando nobis ſe ipſum in Sacramento ille porrigit. O Deus charitas, qui te præſtas nobis, quando charitatem concedis: & charitatem nobis donas, quando te nobis largiris! Ignem veniſti mittere in terram, & quid vis, niſi, ut accendatur? Ergo tui amoris in nobis ignem accende, nè tepeſcamus: excita ignem tui ſervitii, ut à te alimenta in menſa Altaris capientes, tibi ſerviamus, te amantes. Fac nobis hæc magna, qui potens es; faciens noſtras animas tuas felices ancillas, fac quoque, ut ſerviamus tibi, de manu inimicorum noſtrorum (& maximè de manu tepiditatis in tuo amore) utiliter liberati: fac inſuper, ut tibi ſervientes maximo amore, dignificemus noſtros oculos, quibus te in cœlo videamus. Non obliviſcamur horum, quæ Chriſto Domino dicimus, quando nunc Patrem ipſius in ſequenti oratione invocamus.

Oratio poſt Communionem.

T*Antis, Domine, repleti muneribus, præſta quæſumus: ut & ſalutaria dona capiamus, & à tua nunquam laude ceſſemus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

S*I totum me debeo Deo dare pro me facto, quid addam pro me refecto?* Sic dicens clamabat Sanctus Bernardus jure vocatus Doctor Mellifluus. Quid dignum eſſe poterit beneficiis Dei, quandoquidem bonis omnibus per eum repleti ſumus? Ille nobis favit, nos Creatione faciens; Redemptione reficiens; & etiam nos Sacra Communione replens. Sed utique retribuere Domino tali, & tanto benefactori noſtro aliquomodò poſſumus, ſi id ipſum agimus, quod in hac oratione ab ipſo noſtro Deo flagitamus, dum ei ſequentia dicimus: *Tantis, Domine, repleti muneribus, præſta, ut & ſalutaria dona capiamus, & à tua nunquam laude ceſſemus.* Hoc nos docuit Sanctus David, qui ſimili interrogationi, ac eſt illa Sancti Bernardi, reſpondens, dixit: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. O Domine, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Petimus hodie à Deo, tantis repleti muneribus, ut ſalutaria dona capiamus: hoc eſt calicem ſalutaris accipere. Etiam à Deo poſtulamus, ut ab ejus numquam laude ceſſemus;

Digitized by Google

mus: id ipſum eſt invocare nomen Domini, cùm hoſtiam laudis ſacrificamus Deo ipſi. Repleti quidem ſumus muneribus tantis; id eſt, tam magnis, & mirabilibus, nempe, Creationis, Redemptionis, & Sacræ Communionis Altaris. Omnia iſta cum vocatione ad Fidem, & Eccleſiam Catholicam, ut magna à Deo recepta beneficia ſuæ nobiſcum miſericordiæ, inveniuntur deſcripta in verbis ejus Davidici Pſalmi. Dicitur enim ibi: *O Domine, quia ego ſervus tuus*. Ergo confitemur nos ſervos ejus Domini Creatoris, qui nos ex nihilo condidit. Dicitur quoque: *Dirupiſti vincula mea*. Igitur cognoſcimus pietatem, qua Deus nos à peccato, & à diaboli ſervitute benigniſſimè redemit. Dicitur inſuper: *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Laudamus itaque hìc clementiam illius, qui nos, ut filii Eccleſiæ eſſemus, vocavit; quæ quidem Eccleſia ideò potiſſimè eſt Deo obſequens ancilla, quia libera eſt; & adeò exaltata, ut ſit Regina, & Dei Regis Sponſa. Dicitur quoque, quòd accipiendus eſt calix ſalutaris: ac proinde fatemur, æquiſſimum eſſe, ut Deum, qui nos pane cœleſti cibat, & ſacro calice potat, laudemus, & benedicamus, & ab ejus numquam laude ceſſemus. Itaque repleatur os noſtrum laude, ut cantemus gloriam Dei, tota die magnitudinem Domini. Illi ſacrificemus hoſtiam laudis, & nomen ejus invocemus. Benedicamus Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore noſtro. Rectos decet collaudatio; & recti diligunt Dominum. Curemus eſſe recti, ut Deum jugiter laudemus, & ut illum amantes, in rectitudine feliciter proficiamus. Benedicant animæ noſtræ Dominum, & nolint obliviſci omnes retributiones ejus. Laudemus Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit jucunda, decoraque laudatio. Illum decet hymnus in Sion, & ei reddetur votum in Jeruſalem: itaque ſacrificantes ipſi hoſtiam laudis, & nomen tanti Domini invocantes, vota noſtra Domino reddamus in conſpectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio Jeruſalem. Ut filii Eccleſiæ credidimus, propter quod locuti ſumus. Bonum eſt à Dei laude non ceſſare; quia bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini Altiſſimi; ad annuntiandum manè miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam per noctem. In decachordo pſalterio, cum cantico in cithara, ut docet David, debemus laudare; ſed, ut explicat Sanctus Auguſtinus, hoc debet eſſe, cum cantico, in verbo; in cithara, in opere. Sic benè credentes, & operantes, nos, qui noſmetipſos noſcimus tantis repletos muneribus, grati Deo, ab ejus laude numquam ceſſabimus, & adhuc militantes, dum canemus, jungemur Eccleſiæ triumphanti, almæ Sionis æmuli; quia ipſa Deum laudat, & illa ſedes Cœlitum ſemper reſultat laudibus, Deumque Trinum, & Unicum jugi canore prædicat.

CAPUT TRIGESIMUM

Pro Dominica ſecunda poſt Pentecoſten, infraoctavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſecundæ poſt Pentecoſten, infraoctavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti. Qui quidem Textus eſt hic:

Dicens; Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabicus legit: *Jam ecce Dominus jam venit.* Græcus: *Ecce venit Dominus in ſanctis myriadibus ſuis.* Sanctus Cyprianus ad Novatianum: *Ecce venit Dominus cum multis millibus nuntiorum ſuorum.* Arabicus: *Cum myriadibus ſanctorum.* Gloſſa Interlinealis explicat ſic: *Ecce veniet Dominus patenter, & terribiliter, exiſtens, in ſanctis millibus ſuis, Sanctorum, qui cum eo judicabunt.* Hugo Cardinalis: *Venit, patenter, & terribiliter quoad malos, Sanctos ſecum adducens, qui cum eo judicabunt. Sapient. 3. 6. Judicabunt Sancti nationes. Unde Matthæi 24. c. Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, id eſt, exercitibus Sanctorum, & Angelorum, & majeſtate. Sic ſumitur virtus in Pſal. 59. Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris, id eſt, exercitibus.* Nicolaus de Lyra: *Ecce venit in ſanctis millibus ſuis, ſcilicèt, Angelorum ſibi aſſiſtentium, & miniſtrantium, ſecundùm quod dicitur Danielis 7. cap. Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum, &c. & ſubditur: Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia, &c.* Eſtius: *Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis. Venit, præteriti temporis, ſed loco futuri poſitum more prophetico. Eſtque ſermo de ſecundo adventu Domini. Millibus, Græcè: Myriadibus. Eſt autem propriè myrias numerus decem millium, ſed paſſim uſurpatur pro innumerabili multitudine, finitum pro infinito. In ſanctis, id eſt, cum ſanctis millibus. Hæ ſanctæ myriades beatorum Angelorum ſunt: quibus & alibi Scriptura numerum aſcribit valdè magnum, ut Job. 25. Daniel. 7. Matth. 26. Hebræor. 12. Nam & apud Danielem, & in Epiſtola ad Hebræos, in Græco myriades leguntur: quemadmodum, & Deut. 33. ubi nos habemus: Dominus de Sinai venit, & cum eo Sanctorum millia. Quo etiam hoc loco Septuaginta pro Sanctis, Angelos interpretati ſunt: quamvìs illic non de adventu Domini ad judicium, ſed de deſcenſu ad legem ferendam ſermo ſit. Angelis quidam adjungunt in hoc numero homines ſanctos: verùm ad illud judicium, de quo loquitur Enoch, non homines ſancti cum Domino venturi ſunt; ſed ad ejus adventum de terra reſuſcitandi, & raptu quodam obviam Domino ituri. 1. Theſſal. 4. Illud ergo ſignificatur his Prophetæ verbis, quod in Euangelio legitur, Dominum venturum cum Angelis ſuis, cum virtute multa, & majeſtate. Matthæi 10. & 24. Marci 13. Lucæ 21. Unde & intelligitur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes: ubi ab illo judicandi ſint impii, cùm Dominum negaverant, nam Pater omne judicium dedit Filio. Joan. 5.* Tirinus: *Prophetia verò Henochi hæc eſt: Ecce de cœlo venit Dominus Jeſus tempore à Deo præfixo, nempe, in fine mundi, in, id eſt, cum, ſanctis millibus ſuis, ſtipatus innumeris legionibus Angelorum, & Sanctorum.* Cornelius à Lapide: *Ecce venit Dominus. Venit in præterito. Venit, id eſt, ita certò, brevìque veniet, ac ſi jam veniſſet. Prophe-*

ta

Digitized by Google

ta enim de futuris loquuntur, quaſi de præteritis, ob eorum certitudinem, & quia in Dei præſcientia, & prædeſtinatione ſunt jam præterita. Deus enim præſcivit, & prædeſtinavit ab æterno, ut fierent tempore congruo à ſe decreto. Rurſum æternitas Dei, qui hæc per Enoch prædixit, ambit, includit, & tranſcendit omnia tempora, juxta illud, quod dixit Sanctus Petrus Epiſt. 2. cap. 3. 8. Unus dies apud Dominum, ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus, non tardat Dominus promiſſionem ſuam. Hunc ſecundum Chriſti adventum paſſim Prophetæ, & Apoſtoli hominibus tubali voce inſonant, ut ad eum ſe comparent. Ita Iſaias cap. 3. 17. Stat, ait, ad judicandum Dominus, & ſtat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus ejus. Et cap. 66. Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus reddere in indignatione furorem ſuum. Joel cap. 2. verſ. 1. Venit dies Domini, quia prope eſt dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis, &c. Et Apocalipſ. 1. v. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. In (id eſt, cum) ſanctis millibus ſuis. Stipatus, ſcilicet, innumeris legionibus Angelorum, & Sanctorum, juxta illud Daniel. 7. 10. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Chriſtum enim deſcendentem è cœlo ad judicium comitabuntur omnes omninò Angeli, quaſi ejus miniſtri, ut tam ſolemnem, & univerſalem Chriſti, mundique actum condecorent, juxta illud Chriſti: Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Matthæi 25. 31. Ad Enoch alludit Moſes moriens, & benedicens populo, Deut. 33. v. 1. dicens: Dominus de Sinai venit, &c. & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes ſancti in manu illius ſunt. Et Zacharias cap. 14. 6. Veniet Dominus Deus meus, omneſque ſancti cum eo. In judicio ergo infinitæ Angelorum legiones Chriſtum Regem undique circumſtabunt, ait Niſſenus in illud: Quod uni ex minimis meis feciſtis. Item plurimæ legiones hominum ſanctorum, qui cum Chriſto judicabunt impios. Quod expaveſcens Sanctus Auguſtinus in Meditat. cap. 4. Tot, ait, judicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè vivendi exempla: tot convincar teſtibus, quot me monuerunt proficuis ſermonibus, ſeque imitandos dederunt juſtis actionibus. Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

QUis non trepidabit ad adventum Regis non ſolùm potentiſſimi, & invicti, ſed innumeris quoque legionibus cincti, millibuſque militum fortium ſtipati? Veniet quidem in ſuo ſecundo adventu Chriſtus fulgens, metuque mundum cingens. *Qui placidus aſcendit, terribilis redibit*, ait nobis omnibus Sanctus Gregorius Magnus. Media nocte clamor factus eſt: *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei*: & tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas, tam prudentes, quam fatuæ. Quare? Quia ſonuit adventus Chriſti ad judicandum: & adventus ejus ad judicium facit, non ſolùm peccatores, deſignatos per virgines fatuas, præ horrore vigilare, ſed etiam juſtos, per virgines prudentes ſignificatos, non dormire. Tunc ſurrexerunt, moras non interponentes, ut ornarent ſuas lampades. Audientes clamorem timent, timentes ſurgunt, ſurgentes ornant lampades ſuas: ornantes nos admonent, & exemplum nobis timendi Divinum judicium præbent. Venit ſponſus, quò juſtis animabus placidior, eò injuſtis ſeverior: & talis eſt ſeveritas ejus juſtitiæ, ut etiam faciat juſtas animas timere. Quis erit impiorum pavor, quando talis noſcitur juſtorum timor? Cùm vix juſtus ſit ſecurus, & ſi juſtus vix ſalvabitur, impius, & peccator ubi parebunt? Societas Sanctorum, quam Chriſtus ad judicium afferet, judicii horrorem non minuet, ſed augebit. In Daniele non remanſit fortitudo, ſed & ſpecies ejus immutata eſt in eo: & emarcuit, nec habuit quidquam virium. Quid mirum, ſi aſpiciebat donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit? Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena,

millia

millia aſſiſtebant ei. Judicium ſedit, & libri aperti ſunt. Ideo taliter Daniel timuit, quin ejus timor eſſet minor ob præviſum numerum ſanctorum millium, qui Chriſtum venturum ad judicium aſſociabunt. Ter Danielis nobis indicitur timor, quia ex adventu Chriſti in Sanctis ſuis millibus cauſa timoris augetur, & ratio timendi multiplicatur. Dicitur de præſenti, quòd venit, nè pavorem retardet dilatio, ne horrorem minuat longitudinitas temporis uſque ad Chriſti judicium decurſuri, & ut omnes præſens judicium cogitantes, tamquàm ſi nunc eſſet; ex nunc ad illud paremur,& (ad hoc,ut minùs inveniat Judex quod condemnet) præoccupantes faciem ejus in confeſſione, tempore benè utamur ad emendationem vitæ. Venit in ſanctis millibus ſuis, ut nos aſpiciamus ad venturum, & dum tempus habemus, operemur bonum: & ſic ſancta millia, quæ teſtificari poterant contra rebelles, & imparatos damnationem, teſtes erunt converſionis noſtræ, & bonæ noſtræ fortis in illa judicii die. Juvabit profectò, ut nos ad judicium paremus, implorare Divinum auxilium in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ ſecundę poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

S*ancti nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

CErtum eſt, quòd vera charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. *Sed eſt etiam timor Sanctorum,* ait Sanctus Ambroſius, ille, nempe, timor filialis, non ſervilis: ille timor, quem habet beatus vir, qui timet Dominum,quia in mandatis ejus volet nimis:&, cùm dilectioDei cuſtodia legum ſit,recti diliguntDeum,quem timent,& timent eum, erga quem maximam habent, atque exercent dilectionem; dum timentes illum offendere, curant eum amore proſequi, & leges, ac mandata ipſius cuſtodire, fideliterque obſervare. De hoc timore loquimur, quando hodie Deo dicimus: *Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum.* Faxit Deus ipſe, ut habeamus, ſicut dicit Sanctus Leo Magnus, illum timorem, quo fides vera juſtificatur, & non eum, quo conſcientia iniqua torquetur: nam & dœmones credunt, & contremiſcunt: & reprobi homines turbabuntur timore horribili: venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi: & Dominum formidabunt adverſarii ejus. Perpetuus igitur, ſuperna Dei gratia nos adjuvante, ſit in nobis filialis timor, perpetuus quoque ejus amor. Quis poterit habere erga Deum, perpetuum timorem filialem, perpetuumve amorem, niſi ille, cui datum fuerit à Domino, ut eum filialiter perpetuò metuat, aut eum perpetim diligat? Si fecerit Deus noſter, nos habere ſui ſancti nominis timorem, & amorem perpetuum, nos in ſoliditate ſuæ dilectionis inſtituet, & quos inſtituerit in ſui amoris ſoliditate, non deſtituet ſua gubernatione: quia numquàm deſtituit ſua gubernatione, quos inſtituit in dilectionis ſuæ proficua ſoliditate. Qui ſunt illi miſeri, qui deſtituuntur à Dei gubernatione, niſi qui dantur in reprobum ſenſum propter cæcitatem cordis ipſorum, juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: *Ubi eſt promiſſio?* ut ait Sanctus Petrus: & ambulantes in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita æterna propter ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam, ſicut de illis narrat Sanctus Paulus? Similes his in mala operatione deſtituti quoque à Dei gubernatione ſunt illi, de quibus loquitur Deus ipſe dicens: *Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Filii alieni mentiti*

ſunt

ſunt mihi : filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis. Ergo rogemus Dominum, ſi perire nolumus, ut ſuſcipiat ſervos ſuos in bonum; &, ſi ſub ſua gubernatione ſuſceperit nos, vivemus, & non confundet nos ab expectatione noſtra: adjuvabit nos, & ſalvi erimus. Ille ſprevit omnes diſcedentes à judiciis ſuis, quia injuſta cogitatio eorum. Ergo nos prævaricantes reputemus omnes peccatores terræ, & ideò diligamus teſtimonia Dei, & ipſum humiliter oremus, ut configat timore ſuo carnes noſtras, à judiciis enim ejus timuimus. Utinam idem Dominus nos in ſoliditate ſuæ dilectionis inſtituens, ſua gubernatione nos non deſtituat; ſed nos gubernet, faciens, nos ad gloriam ſuam, & ad noſtrum æternum bonum, habere ſancti nominis ſui timorem pariter, atque amorem perpetuum.

ORATIO SECRETA.

OBlatio nos, Domine, tuo nomini dicanda purificet: & de die in diem ad cœleſtis vitæ transferat actionem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

NOmini Domini dicanda eſt hodie noſtra oblatio: ideò manibus Sacerdotis Miniſtri Dei elevatur, utpote magno, & Altiſſimo Deo, ac Domino noſtro ſacranda: & ideò nobis fit proficua, tamquàm coram Majeſtate Divina pro noſtro profectu ſpirituali, & utilitate temporali, ſtatuenda. Oramus, ut veniat nobis purificatio ab oblatione dicanda magno Deo noſtro, & Domino. Veniet utique purificatio per oblationem ab illo, qui voluit inſtituere eamdem, ut ipſi inſtituenti gloriam, & honorem, nobis verò offerentibus, illa germinet munditiam. Erit profectò Deo gloria accidentalis eò uberior, quò per hanc oblationem purificantem, homo evaſerit purior. Curemus ergo mundi, ac purificati certatim eſſe, ut Deum noſtrum proſequamur hoc accidentali honore. In Adventu Summi Regis mundentur corda hominum, ut dignè ambulemus in occurſum illius, quia veniet, & non tardabit Redemptor noſter Jeſus Chriſtus, qui poſt conſecrationem realiter præſens aderit ſub ſpeciebus panis, quem offerimus, & vini, quod in Altari libamus. Tunc verè noſtra oblatio nomini Dei Patris ſacrabitur (cùm, ſecundùm Sanctum Ambroſium, unum nomen ſit Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii) quando pane, & vino transſubſtantiatis, accidentia panis ejuſdem, ac vini noſtræ oblationis, quaſi domus Dei hominis Chriſti facta fuerint, & ipſi ſint dicata, & ſacrata, ut illi ſerviant, & eum contineant; quando Deitatem, ac Sacram Humanitatem Chriſti Domini occuluerint, & abſconderint, & ſic qui in Incarnatione vocatur *Abbreviatus*, in Euchariſtia jure dicatur *Deus abſconditus*. Dicabitur quidem ita oblatio noſtra Dei nomini, vel Deo eidem, qui in Sacramento Altaris, miraculorum ab ipſo factorum maximo, monſtratur magnus Dominus, & laudabilis nimis, ut ſuſcipiamus miſericordiam ſuam in medio templi ſui, & ſecundùm nomen ſuum, ſic & ſit, vel reſonet laus ſua in fines terræ. Ponamus corda noſtra in virtute ejus, & ennarremus in progenie altera fideliter, illa magna, quæ fecit, & facit quotidie in Divino Sacramento Communionis, Deus noſter, & Dominus mirabilia: quoniam hic eſt Deus, Deus noſter: ipſe reget nos in ſæcula. Si à nobis agenda, prædicta egerimus, experiemur oblationis Deo hodie dicandæ purificantem virtutem, quæ per pietatem Dei nos transferet in cœleſtis vitæ actionem. Erit ſiquidem per Sacramentum, & Sacrificium Miſſæ nobis conceſſum, ut converſatio noſtra in cœlis ſit: ac per communicatam, diſtributam, donatam, præbitam, ſeu impertitam nobis purificantem munditiam, quæ ſurſum ſunt quæramus, quæ ſurſum ſunt ſapiemus, non quæ ſuper terram. Actio cœleſtis vitæ eſt perpetim Deum laudare: nam ſcriptum eſt: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Actio cœleſtis vitæ eſt Deum cognoſcere, & cognitum, perfectiſſimè amare. In cœleſtis vitæ actionem optamus transferri,

ferri, ut in hoc ſæculo, Deo adjuvante, ſemper gaudeamus, ſine intermiſſione oremus, ut nos hortatur Sanctus Apoſtolus, cupientes ejus imitatione diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: & quia hic Dominus eſt noſter theſaurus, quo frui ſperamus in æternum; in cœlo, ubi eſt theſaurus noſter, ibi ſit & cor noſtrum.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

QUia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

MAldonatus ait: *Quod ergo ſequitur: Et ſanctum nomen ejus, perinde eſt, ac ſi dicat: Et cujus nomen ſanctum eſt. Quo ſenſu nomen Dei ſanctum appelletur, etſi res eſt admodum facilis, non conſentiunt tamen Interpretes. Nam Euthymius ſanctum, quaſi magnum, atque eximium vocari putat. Theophylactus, quaſi mundum, impollutum, incontaminatum, quòd Verbum Dei in utero Virginis contaminatum non fuerit. Beda, quaſi potens, ſegregatum à rebus omnibus, omneſque ſuperans, & excellens. Mihi ſanctum dixiſſe videtur, quaſi venerandum, adorandum, & laudibus propter magna illa, quæ ſibi feciſſe dixerat, celebrandum. In hanc ſententiam Auguſtinus exponit: Hoc, inquit, nomen ſanctum eſt, cum ſanctis eſt, cum ſanctis gloriatur, à ſanctis benedicitur, à perverſis blaſphematur.* Cornelius dicit: *Et ſanctum nomen ejus. Senſus ergo eſt: Et ſanctum nomen ejus, quaſi diceret: Nomen Dei eſt: Sanctus, & hoc eſt: Deus ipſe ſuo nomine ſignificatus, eſt Sanctus, id eſt, omnem habens puritatem, ſanctimoniam, virtutem, perfectionem, ideòque ipſe omnibus modis eſt venerandus, adorandus, & celebrandus. Sanctus ergo eſt Deus, tum in omnibus operibus ſuis, tum maximè in ſanctiſſimo hoc Incarnationis Verbi myſteriò, quo Chriſtum, Beatam Virginem, & Fideles omnes ſanctificavit. Nota: copula & hîc notat tum cauſam, tum effectum. Cauſam, quaſi diceret: Et, id eſt, quia Deus eſt ſanctus, imò ipſa increata, & immenſa ſanctitas, idcircò fecit in me hæc magnalia ſanctiſſima Incarnationis Verbi, ut ex me Virgine, inoperante Spiritu Sancto, naſceretur Sanctum, id eſt, Sanctus Sanctorum, utì prædixit, & promiſit Angelus: ad eum enim alludit Virgo, illique applaudit: idque fecit ob finem ſanctiſſimum, ut, ſcilicèt, per Chriſtum Sanctum peccata aboleret, & peccatores ſanctificaret, itaque eos ad ſalutem æternam deduceret. Alludit ad illud Daniel. 9. 24. Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, &c. Et ungatur Sanctus Sanctorum. Effectum, quaſi diceret: Ex hoc magno Dei opere, ſcilicèt, miro Incarnationis Verbi in me, myſterio, hîc ſequetur effectus, ut Fideles omnes ſummè ſanctificent, & glorificent Deum tanti Sacramenti Opificem. Ita Sanctus Auguſtinus, Janſenius, & alii. Magis tamen propriè, & primariò tò: Et, videtur notare cauſam, ſecundariò verò, & conſecutivè effectum. Symbolicè, Deus ſuum nomen ſaddai, id eſt, mammeus, liberalis, revelavit Abrahæ Geneſ. 17. 1. Moyſi verò nomen ſuum proprium Jehova, id eſt, ens, ſive qui eſt, & omnibus dat eſſe, Exod. 6. 3. Beatæ Virgini verò hoc loco revelat nomen ſuum Sanctus: quia ſanctitatem ſuam in eam effudit per Sanctum Sanctorum, id eſt, Chriſtum, qui in omnes Fideles ſuam ſanctitatem velut ſol diffuſurus erat. Hinc nonnulli per ſanctum Dei nomen accipiunt nomen Jeſu: hoc enim ſanctius, & venerabilius eſt nomine Jehova, utì oſtendi Numeror. 13. 17. Chriſtiani ergo à Chriſto vocati ad plenam ſanctitatem, ſancti eſſe debent; unde à Paulo paſſim vocantur ſancti, imò ſanctiores omnibus fidelibus, qui fuerunt ſub Moſe, Abraham, Noe, Adam, &c. Chriſtianiſmus enim nihil aliud eſt, niſi vita Chriſti; ſive profeſſio ſanctitatis Chriſti. Chriſtianus ergo ita vivat, utì decet diſcipulum Chriſti, ut vita ejus viva ſanctitatis Chriſti ſit imago, ut quiſquis eum videt, & audit, in eo Chriſtum ſibi videre, & audire videatur.* Barradas ſic

loqui-

loquitur : Divinam ſanctitatem celebrat Virgo Sanctiſſima, à qua veluti fonte eximiam ſanctimoniam hauſit. Sanctum, inquit, eſt nomen ejus. Nomen rem indicat : cùm ergo admirabile dicitur Dei nomen, glorioſum, vel ſanctum; ipſe Deus admirabilis, & glorioſus, & ſanctus eſſe intelligitur. Magna Dei laus Sanctitas : quamobrem Seraphini illi, quos clamantes vidit Iſaias cap.6. ter Sanctum Deum inclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Quatuor quoque animalia, quæ vidis Joannes Apocal. 4. requiem non habebant die, ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens. O egregiam laudem! O ſuaviſſimum Divinis auribus concentum! Non poteſt non eſſe jucundiſſimus ille cantus, quem & Cantores die, ac nocte edunt, & Rex die, ac nocte audit. Similem hymnum, qui Græcè Triſagios, id eſt, ter Sanctus, appellatur, ab Angelis puero in ſublime elato traditum, ſcribit Divus Joannes Damaſcenus lib.3. Fidei, cap.10. his verbis : Narrant, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcripſerunt, cùm plebs Conſtantinopolitana ob minas quaſdam, Proclo Archiepiſcopatum obtinente, divinitùs intentatas, ſupplex Deo preces adhiberet : puerum quemdam è plebe in ſublime raptum fuiſſe, atque Angelis quibuſdam Magiſtris, ter ſanctum hunc Hymnum didiciſſe : Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere noſtri : cùmque ad ſe rediiſſet, atque id, quod didicerat, retuliſſet, multitudinem univerſam hunc Hymnum ceciniſſe, atque hoc pacto impendens periculum conquieviſſe. Hæc Damaſcenus. In lamina illa aurea, quæ Pontificis frontem exornabat, hæc verba inciſa erant : Sanctum Domino. Exodi 28. Septuaginta vertunt : Sanctificatio Domini. Poteſt etiam verti : Sanctitas Domini, vel Domino, hoc eſt, Sanctitas Domini, & quem ſenſum noſtra verſio habet : Sanctum Domino, hoc eſt, quod ſanctum eſt, Domino tribuendum eſt, ut ſanctitatis fonti, ac pelago. Itaque à Sanctitate Deus in ea corona, ſive lamina laudatur, quæ omnibus Pontificis ornamentis ſupra caput eminebat. Nos quoque, cùm Deum nominamus, duo illi epitheta addere ſolemus. Deum dicimus Optimum, Maximum, priùs verò Optimum, quàm Maximum, quia, quamvìs æqualis omninò ſit Bonitas Dei Magnitudini, tamen ubi bonitas ſeparari à magnitudine poteſt, ſatius eſt eſſe optimum, quàm eſſe maximum. Eamdem ob cauſam inter Auguſtiſſimas Trinitatis Perſonas, tertia ab ipſa Sanctitate, non item à potentia, vel magnitudine, vel à ſapientia, nomen accepit. Nec enim dicitur quaſi proprio nomine, Spiritus potens, vel Spiritus magnus, vel ſapiens ; ſed Spiritus Sanctus. Cur ita? Nimirùm, quia Sanctitas omnia ſuperat, non quidem in Deo, in quo attributa omnia ſunt æqualia, ſed in nobis, noſtræque modo cognitionis. Eidem Spiritui Sancto maximum Incarnationis opus tribuitur : dicitur enim Chriſtus conceptus ex Spiritu Sancto, propterea, quòd eo in opere ſumma ſanctitas, tum in Filio fulſit, tum in Matre. Solent omnes homines in peccato concipi: Chriſtus peccati expers conceptus eſt : ſolet in conceptu carnis concupiſcentia regnare; in conceptu illo virginitas ſceptrum tenuit: ſolent infantes abſque gratia, & ſanctitate gigni ; Chriſtus exuberanti gratia, & ſanctitate plenus genitus eſt. Itaque meritò Virgo ſanctum Dei nomen celebrat. Fortaſſè verò Spiritum Sanctum, hoc nomine, intellexit, cujus opera ſe admirabili cum ſanctitate concepiſſe, noverat. Dixerat Gabriel : Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus, id eſt, potentia Altiſſimi obumbrabit tibi. Sanctitatis, & potentiæ fecerat mentionem Angelus : ſanctitatem, potentiamque prædicat Virgo. Fecit mihi magna qui potens eſt, quaſi diceret : Virtus, id eſt, potentia Altiſſimi obumbravit mihi : Et ſanctum nomen ejus, quaſi diceret : Spiritus Sanctus in me ſupervenit. Sylveira hæc habet : Mihi probabilior videtur expoſitio, quam tradunt Divus Bonaventura, noſtri Verratus lib. de Incarnat. tom.2. cap. 4. & Beaulxames hîc : quòd per nomen ſanctum intelligitur Verbum Incarnatum. Expreſſè enim vocatur nomen ab Iſaia 30. n 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo. Aceſi dicat Virgo : Pater mihi fecit mihi magna per Filium, per quem fecit omnia. Et meritò hoc Verbum Incarnatum, ſeu Nomen appellat Sanctum; nam, ut ait Beda, Sanctus idem eſt, ac ſeparatus, ſeu ſegregatus ab omni immunditia ; Chriſtus autem Dominus dicitur

à Divo Paulo ſegregatus à peccatoribus. Euthymius: Sanctum, id eſt, magnum: Theophylactus, id eſt, impollutum, & incontaminatum: Auguſtinus, id eſt, venerabile, dici putant: quia in Incarnatione maximè reſplenduit Verbi magnitudo, puritas, & veneratio exhibita ab Angelis. Et ideò Beatiſſima Virgo prius poſuit potentem, & poſterius ſanctum; quia Pater eſt prior origine Filio. Et obiter nota, quòd meritò conjunxit potentiam cum ſanctitate; poteſtas enim ſine ſanctitate inutilis eſt, & utraque difficiliter in hominibus reperitur, ut probat Divus Ambroſius in Apologia David cap. 3. Lubricus locus eſt regnum, adeò, ut in eo collocatus Sanctus David in adulterium lapſus ſit. Ita ille.

Pro: *Benedictus*

CORnelius ait: *Daturum ſe nobis. Ut daret nobis liberatis ab hoſtibus, ſervire illi ſine timore, ut ſequitur: ita enim hæc jungenda eſſe, patet ex Græco, & Arabico, qui ſic vertit: Jusjurandum, quod promiſit ad Abraham Patrem noſtrum ſe daturum nobis ſalutem ſine timore de manibus inimicorum, ut ſerviamus illi, &c. Explicat enim jusjurandum Dei, id eſt, benedictionem, quam Deus Abrahæ promiſit, & juramento confirmavit, docetque eam ſitam eſſe in ſalute, quam attulit Chriſtus, ut per ejus gratiam, liberati ab inimicis noſtris, ſcilicet, à peccato dæmone, & inferno, quibus priùs quaſi mancipia ſervieramus, nunc Deo in ſanctitate ſerviamus. Unde ſequitur: Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum (dæmonum, & hominum impiorum, item peccatorum, mortis, & inferni) liberati, ſerviamus illi latria, qui eſt cultus ſoli Deo debitus.* Barradas dicit: *Continentur hoc loco bona, quæ in orbem Chriſtus attulit. Primum eſt libertas. Depulit enim ex cervicibus noſtris dirum peccati, mortis, dæmoniſque jugum, ut ſine timore de manu inimicorum horum liberati, ſerviamus illi. Secundum eſt ſervitus Divina. Jugo nos liberavit graviſſimo, impoſuitque jugum ſuave; quid enim ſuavius, quàm Deo ſervire? Tertium ſanctitas, & juſtitia. In ſanctitate, inquit, & juſtitia coram ipſo. Coram ipſo, ait: quia ſervorum eſt coram Domino verſari, & præſtò eſſe. Quartum perſeverantia. Omnibus, ait, diebus noſtris. Hæc omnia Chriſti ſervis neceſſaria ſunt; Primò, ut hoſtium, id eſt, dæmonum, ac peccatorum fœdam ſervitutem effugiant. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire, ut habetur. Deinde, ut Chriſti ſervituti ſe mancipent. Præterea, ut in ſanctitate, & juſtitia, coram illo verſentur. Denique, ut omnibus vitæ diebus, ad mortem uſque, in regia hac ſervitute perſeverent.* Sylveira inquit: *Ut ſine timore. Per ſanguinem Chriſti ita ſumus in tuto poſiti, ut, interveniente Dei gratia, ſit in noſtra poteſtate contemnere inimicum. De manu inimicorum noſtrorum; ubi eſt ſermo tam de hoſtibus inviſibilibus, quàm viſibilibus. Serviamus. Sed quomodò jubet, nos deponere timorem, cùm alibi præcipiatur nobis ſervire in timore, & tremore? Facilis eſt ſolutio. Ut ſine timore ſervili ſerviamus cum timore caſto, & filiali.* Toletus ſic loquitur: *Ut ſine timore, &c. Hoc eſt, quod juravit Deus Abrahamo, ſe nobis daturum, nempe, ut liberati de manu, & poteſtate inimicorum, ſine timore ſerviamus illi. Connectitur autem illud (ſine timore) verbo illi (ſerviamus.) Eſt enim quædam hyperbaton. Sunt autem in his verbis tria, quæ juravit dare nobis Deus, quæque per Chriſtum veræ ſalutis cornu accepimus. Primum eſt, quòd de manu, id eſt, de poteſtate peccatorum, diaboli, carnis, & mundi liberati ſumus, quòd ſuprà declaravimus. Alterum eſt, ſervire Deo facilè poſſumus, quod maximè ſtatui Evangelico peculiare eſt: qui enim erant in legis ſtatu, non ita purè Deo ſerviebant: de quibus Galat. 4. dicitur: Quomodò convertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis? Porrò illi Moyſi diſcipuli erant, Joan. 10. & quodammodò ei ſerviebant, legem Moyſis obſervantes; at nos Deo ipſi abſque umbris, & figuris ſervimus, ipſius ſumus diſcipuli, Joan. 6. Erunt omnes docibiles Dei. Legem, & præcepta Chriſti, qui verus eſt Deus, obſervamus. Dicimur etiam ſervire Deo ipſi per Evangelium: per ipſum enim efficitur, ut non jam peccato, nec affectibus ſerviamus, de quibus dictum eſt Roman. 6. Ut ultrà non ſerviamus peccato. Et iterum: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ. Lucæ 16.*

Non

*Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. Tertium eſt, quòd timor excluditur, non tamen omnis, ſed ſervilis, & quo præcipuè pœna timetur. Quo verbo Zacharias ſignificat, Chriſtum ſuo adventu ſpiritum illum legalem timoris, & ſervitutis abjecturum, & ſpiritum dilectionis, & filiorum inducturum. Hæc tria egregiè Paulus nos docuit; duo quidem priora ad Roman.*6. *Gratias (inquit) Deo, quòd fuiſtis ſervi peccati; obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis; liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ. Liberati, inquit, à peccato. Ecce quod nunc dicitur (de manu inimicorum liberati;) nam per peccatum regnat diabolus in nobis. Servi, inquit, facti eſtis juſtitiæ. Ecce quod nunc dicit (ſerviamus illi.) Sequenti autem verſiculo hujus ſervitutis, quæ vera libertas eſt, qualitas explicatur. Iterùm adjungit ibidem Paulus: Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Eadem duo repetit cap.* 7. *ejuſdem Epiſtolæ: Cùm, inquit, eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, à qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus. De tertio autem idem Paulus ejuſdem Epiſtolæ cap.*8. *inquit: Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Hoc eſt, quod nunc dicitur (ſine timore) nempe, ſervorum; quia Euangelium à ſervitutis ſtatu in ſtatum filiorum Dei nos tranſtulit.*

Pro: *Nunc dimittis*.

Toletus ait: *Qualis Simeon fuerit, deſcribit Euangeliſta: juſtus, inquit, erat, & timoratus: juſtus quidem quoad homines: quia erga proximos mandata ſervaverat; timoratus autem quoad Deum, quia ſtudio religionis incubuerat, & deditus erat; timor enim in Scriptura pro Religione aliquando accipitur, timoratuſque dicitur, id eſt, religioſus, & pius erga Deum. Benedixit autem Simeon Deum, tum propter inſigne opus Incarnationis, quia miſit Filium ſuum, ut homo fieret; tum propter eximium, & ſingulare beneficium ſibi conceſſum, ut Dei Filium Incarnatum, & videret, & in ulnis geſtaret.* Maldonatus inquit: *Quatuor de cauſis Simeon inter omnes Judæos electus eſt, ut Chriſto teſtificaretur: & quia ſanctiſſimus, & quia Propheta, & quia maximè ſenex erat; & quia ſumma aviditate ejus deſiderabat adventum. Hæc omnia tacitè indicavit Euangeliſta: primum, cùm virum juſtum, & timoratum fuiſſe, dixit; ſecundum, cùm dixit, Spiritum Sanctum in eo fuiſſe; tertium, cùm ait, non viſurum mortem, niſi videret Chriſtum Domini; quartum, cùm ſingulariter ſcribit, eum expectaſſe conſolationem Iſraelis.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

Potenter profectò fecit Beatæ Mariæ Virgini magna Deus, qui potens eſt; quia in ea magna collocavit chariſmata, & eidem contulit innumera privilegia. Niſi eſſet Deus ſummè potens, non valuiſſet talibus Beatam Virginem honorare, & gratiis ornatam Angelis ſimul, & hominibus præferre. Canat Deipara Domini noſtri potentiam; quæ ejuſdem Dei potenti brachio ſic ſe noſcit exaltatam, & ad non plùs ultrà inter puras creaturas feliciſſimè evectam. Plaudat Zacharias noſtram factam redemptionem, quæ nobis ex inimicis dedit exoptatam libertatem ad ſerviendum majeſtati illi, cui cognoſcimus magnum adeò beneficium debere. Intonet laudans Deum morti jam vicinus Sanctus Senex Simeon, cujus oculi viderunt Chriſtum Redemptorem omnium, genus humanum conſolantem, & ipſius Simeonis deſiderium adimplentem. Nos quoque, poſtquàm Sacrum Chriſti Corpus, pretioſumque ejus Sanguinem in Euchariſtia ſumpſimus, canamus, plaudamus, & laudes Dei intonemus: ſit cantus pro nobis conceſſo beneficio; ſit plauſus pro obtento à nobis remedio; & ſit laudum Dei intonatio noſtra pro à nobis reperto gaudio:

beneficio quidem, quo in Sacra Synaxi honoramur; remedio, quo operante, eripimur; & gaudio, quo in Sancto Altari perfundimur: honoramur beneficio, ut nuſquam vileſcamus in peccatis: obtinemus remedium, nè ſubdamur animarum inimicis: & perfundimur gaudio, ut lætantes Dei obediamus præceptis. Quidni fugiamus poſt Communionem à peccatis, quæ maculant? Cur ſubijciemur iterùm inimicis, qui peſſundant? Et quarè non obtemperabimus mandatis, quæ nos glorificant? Maculam peccata nobis inferunt, quæ omnem gratiæ ſpecioſitatem tollunt, & peccantes in fœditate ſimiles dœmoni reddunt. Peſſundant nos animæ hoſtes, dum ad peccandum alliciunt, quia in ſtatum ſummæ miſeriæ conducunt. Sed Dei juſſa nos glorificant, quia benè cuſtodita nobis portant felicitatem æternam. Ergo abhorreamus, maximè poſt Communionem, à flagitiis nos taliter reddentibus fœdos; & ab adverſariis nos adeò efficientibus miſeros; ſed amplectamur paſti menſa cœleſti, illa Dei placita, quæ obſervata nos conſtituunt æternaliter glorioſos. His affectibus gratitudinis (quæ debent nos movere, ut quieſcamus agere perverſè, & diſcamus benè facere;) nos Domino præſentemus, & ſequentem orationem poſt Communionem dicentes, auxilium gratiæ petamus.

Oratio poſt Communionem.

Sumptis muneribus ſacris, quæſumus Domine, ut cum frequentatione myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

SAcra quidem hodie munera ſumpſimus; ſed non, ut pigri, & inertes ſimus: imò, ut ad virtutes procedamus, ſicut decet Sanctos; & ut in via Dei, Deo ſervientes, velociter ambulemus. Annona nobis eſt diſtributa cœleſtis, ut legitimè certantes, ſervitio Domini noſtri incumbamus. Pudeat militem Chriſti ab eo ſtipendium accepiſſe, & Chriſto non militare. Nemo Deo militans implicat ſe negotiis ſæcularibus. Qui non eſt cum Chriſto, contra Chriſtum eſt, & qui non colligit cum ipſo, diſpergit. Gentes ignorant Deum: nè ergo commiſceamur inter gentes, nec diſcamus opera eorum, nec ſerviamus ſculptilibus eorum, ſi nolumus, quòd multiplicetur in nobis ruina, quando neceſſe eſt, ut veniant ſcandala. Qui hodie ſacra munera ſumpſimus, nolimus ſoliciti eſſe dicentes: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* hæc enim omnia Gentes inquirunt. Dimittamus mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quæramus primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & omnia prædicta circa victum noſtrum, & veſtimentum (ut habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus) adjicientur nobis à Deo, à quo hodie ſacra munera ſumpſimus. Jam hodie ſatiavit Deus nos familiam ſuam muneribus ſacris: nè ergo agamus opera, quæ indigna ſint Dei familia, quæ quidem accipit ab eo munera ſacra: quibus illam ſatiat abundè & largiter Dominus (ut illi ſerviamus) pro ſua Divina miſericordia. Quæ igitur erit nobis excuſatio, ſi talibus paſti, talia, qualia peccamus, peccemus? ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Petimus hodie, ut nobis concedat noſter Dominus, quòd cum frequentatione myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus. Lucretur aliquando Deus noſtræ effectum ſalutis, ſiquidem ad hoc noſtrum negotium, nos cibat muneribus ſacris. *Quò indulgentior liberalitas, eò inexcuſabilior pervicacia*, ait Sanctus Ambroſius. Utamur Dei liberalitate per gratitudinem, & ejus ſervitium, ad noſtrum præmium: non abutamur ea ad noſtrum æternum, vel temporale ſupplicium. Per Deum poſſumus facere, ut creſcat noſtræ ſalutis effectus cum myſterii frequentatione; ſed, ſi incraſſatus dilectus recalcitraverit, durum erit illi contra ſtimulum calcitrare. Cum frequentatione profectò myſterii creſcet noſtræ ſalutis effectus, ſi poſt ſumpta ſacra munera, in gratiarum ſemper actione manſerimus; odientes malum, adhærentes bono; quieſcentes agere perverſè, & diſcentes benè facere; ſi ſubditi fuerimus Deo, & oraverimus

mus eum. Edimus pauperes, & ſaturamur? Ergo laudemus Dominum requirentes eum: ut vivant corda noſtra in ſæculum ſæculi. Reminiſcamur, & convertamur ad Dominum univerſi fines terræ: & adoremus in conſpectu ejus. Narremus nomen ſuum fratribus noſtris: in medio Eccleſiæ laudemus eum. In omnibus gratias agamus: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu, in omnibus nobis. Spiritum nolimus extinguere. Omnia probemus: quod bonum eſt teneamus. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet nos per omnia: ut integer ſpiritus noſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. Hæc nobis præcipit, & hæc nobis deſiderat Sanctus Paulus.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM

Pro Dominica tertia poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ tertiæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Facere judicium contra omnes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabicus legit: *Ut judicetur omnis caro.* Sanctus Cyprianus ad Novat. vertit: *Facere judicium de omnibus.* Gloſſa Interlinealis ait: *Facere judicium pœnas inferendo contra omnes malos.* Hugo Cardinalis: *Facere judicium contra omnes. Venit, inquam, Dominus facere judicium contra omnes. Ergo contra bonos. Sic intellige: contra omnes malos. Sed unde habetur hæc coarctatio diſtributionis? Solutio. Ex littera: quia in Sanctis venit exiſtens in illis, & facit judicium malis, cum quibus non exiſtit: qui erunt judicandi, non judicaturi. Zachariæ 14. a: Et venit Dominus meus, omneſque Sancti ejus cum illo. Gloſſa: Judicaturi. Unde vis eſt facienda in littera, quæ dicit, quòd venit in ſanctis, & non, cum ſanctis.* Hucuſque Hugo. Nicolaus de Lyra ſic explicat: *Facere judicium condemnationis contra omnes, ſcilicèt, reprobos. Judicium enim electorum non erit contra eos, ſed pro eis.* Eſtius: *Facere judicium contra omnes. Id eſt, ut exerceat judicium adversùs omnes peccatores, ſeu reprobos. Tale quid enim ſubaudiendum propter præpoſitionem adversùs. Nam judicium illud, in quo reddetur unicuique ſecundùm opera ſua, non erit adversùs juſtos, & electos; ſed pro eis.* Menochius: *Facere judicium contra omnes. Ad judicandum univerſum genus humanum.* Tirinus. *Facere judicium contra omnes; Arabicus: Ut judicetur omnis caro. Inculcat ex Henocho nominatim judicium extremum Sanctus Apoſtolus Judas, quia Gnoſtici illud negabant.* Cornelius: *Facere judicium contra omnes. Sanctus Cyprianus ad Novat. legit: Facere judicium de omnibus. Arabicus: Ut judicetur omnis caro. Verè Sanctus Auguſtinus ſerm. 64. de verbis Domini: Sedebit Judex, ait, qui ſtetit ſub judice: damnabit veros reos, qui factus eſt falſus reus, &c. Sanctus Paulus 2. ad Corinth. 5. 30. Omnes, ait, nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Tunc enim, ut idem ait cap. 4. 5. Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Et Sanctus Joannes Apocal. 20. 12. Vidi, ait, mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, &c. & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera eorum.*

Ro-

Reflexiò moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

QUis eſt, qui non formidet, quando audit, quòd Chriſtus ſupremus Judex veniet facere judicium contra omnes? Verè, ut ait Apoſtolus, horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Statuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, ille, ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Tuba illa horriſona coget omnes ante thronum. Quò ibimus à ſpirituDei? & quo à facie ſua fugiemus? Ante thronum cogemur eſſe omnes vocati ad judicium. Erit peccator ante thronum Judicis, qui ait: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. Utinam nunc non auferantur Dei judicia à facie noſtra. Sint omnia judicia ejus in conſpectu noſtro: & juſtitias ejus non repellemus à nobis. Qui venit facere judicium contra omnes, ut ex Enoch ait Sanctus Judas Thaddæus, ſecundùm judicium ſuum vivificet nos. Secundùm judicium ſuum vivificare nos poteſt, faciens de mortuis vivos, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos: quia eò poteſt conſideratio utiliſſima judicii pervenire, ut transferamur de morte ad vitam (& jam non reſurgamus ad judicium, ita, ut non ſimus à ſiniſtris; ſed à dextris) vita gratię viventes, & a morte culpę mortalis immunes. Veniet Chriſtus facere judicium: ſed, quia habemus liberum arbitrium, poſſumus per Dei gratiam ita vivere, ut non contingat nobis ſententia damnationis, ſed vitæ, & felicitatis æternæ. Venit facere judicium, & ſunt pondus, & ſtatera judicia Domini. Faciet judicium ponderans, & trutinans: pondere, quo nihil juſtius: & ſtatera, qua nihil valet cogitari exactius. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua; æquitate puniet crimina, & veritate juſtè diſtribuet præmia. Juſtitias judicabit, quia, cùm homo videat ea, quæ parent, Dominus autem intueatur cor; ita faciet judicium, ut ex eo exeant punitione digna etiam illa, quæ homines judicabant eſſe juſta. Scrutabitur Jeruſalem in lucernis, examinans in operibus, quæ videntur bona, illam intentionem, qua ſunt facta. Judicabit, ut ſol juſtitiæ, tollens calore ſuæ iræ illud nivis pallium, quo latebat ſterquilinium coopertum; quia ab ipſo diſſolventur hypochriſes, duplicatam malitiam virtutis pallio operientes. Taliter nos à Chriſto judicandi, curemus ita vivere, ut diſponamus ſermones noſtros in judicio, dijudicantes ante Judicium Dei noſmetipſos: & gratiam ad hoc in ſequentibus duabus orationibus ab ipſoDeo poſcamus.

Oratio Officii Dominicæ tertiæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

PRotector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: ut te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

SIne Deo nihil meritorium vitæ æternæ poſſumus facere: & ſine illo nihil eſt validum, nihil ſanctum. Non longè eſt ab unoquoque noſtrûm: in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter: qui non fecit taliter omni nationi: & ideò debet laudare Jeruſalem Dominum: æquum eſt, ut laudet Deum ſuum Sion. Adeſt quidem nobis Deus, ut Protector in ſe ſperantium: ut ſperemus in eo, & paſcamur in divitiis ejus; qui poſuit animas noſtras ad vitam, & non dedit commoveri pedes noſtros. Adeſt, ut validiſſimus, nos validos faciens; &, ut ſanctiſſimus, eos, qui volunt, ſanctos conſtituens. Qui ſine ipſo neque validi, neque ſancti eſſemus; omnia potentes in eo, qui nos confortat; validi, & ſancti eſſe poſſumus. Adeſt hic Di-

Divinus Protector in ſe ſperantium, ut noxia cuncta ſubmoveat, & omnia nobis profutura concedat. Adeſt, nos protegens, ut ſimus validi, validè recedentes à malo, &, ut ſimus ſancti, ſanctè facientes bonum; & adeſt denique, ut validos, & ſanctos omnes cooperantes ſuæ gratiæ faciat: intendens, quòd iſti, tamquàm validi, quieſcant agere perversè, & velut ſancti, etiam diſcant benefacere. Ergo, ſi cognoſcimus, quòd, ut faciunt validi, fugimus malum; &, ſicut faciunt ſancti, adhæremus bono: noſcamus etiam, hoc fieri per Dei gratiam, & patrocinium, & eſſe ſpeciale donum Dei Protectoris in ſe ſperantium, & etiam ſe timentium: ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum. Nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas. Sed utinam Protector in ſe ſperantium Deus multiplicet ſuper nos miſericordiam ſuam. Multiplicet miſericordiam ſuam ſuper nos, ut ſimus validi, ad vincendam quamlibet adverſitatem: & ſancti, ad impugnandam omnem peccati in nobis dominationem. Multiplicet miſericordiam, ut nos neque adverſis obrui, neque proſperis labi, ſivé peccare, permittat. Multiplicet miſericordiam, ut quamdiù ſumus in hoc tabernaculo, tamquàm advenæ & peregrini, terrena habeamus in uſu, & cœleſtia in deſiderio: & tales ſimus qui utimur hoc mundo, quales eſſemus, ſi eo non uteremur, præterit enim figura hujus mundi; ac (etiam, ut advenæ, & peregrini, qui non habemus hic manentem Civitatem, ſed futuram inquirimus:) plangamus dicentes: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea*: dicamus quoque: *Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*. Hoc pacto fiet, ut, Deo rectore, & Deo duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Itaque oremus eum, ut benedicens, velut Protector, hæreditati ſuæ, regat nos (ſiquidem eſt ille, qui reget nos in ſæcula) & extollat nos uſque in æternum, ducens nos (tamquàm qui eſt dux regens populum ſuum Iſrael.) Oremus, quatenùs ille ſit nobis in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvos nos faciat: quoniam fortitudo noſtra, & refugium noſtrum eſt ipſe: & propter nomen ſuum deducet nos, & enutriet nos. Commendemus igitur ſpiritus noſtros in manus hujus Divini Protectoris in ſe ſperantium, noſtri quidem rectoris, & ducis; quandoquidem redemit nos Dominus Deus veritatis.

ORATIO SECRETA.

Reſpice, Domine, munera ſupplicantis Eccleſiæ: & ſaluti credentium perpetua ſanctificatione ſumenda concede. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Si *gravium peccatorum diffidis veniam*, ait Sanctus Ambroſius, *adhibe precatores, ò homo, adhibe Eccleſiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione, quod tibì Dominus negare poſſet, ignoſcat*. In iſta Oratione Eccleſiam interponimus, qui Dei conſequi veniam percupimus, & alia etiam beneficia ab ipſo conſequi volumus. Peccavimus ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata noſtra: & non ſumus digni videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis noſtræ: quoniam irritavimus iram Dei, & malum coram Deo fecimus. Adhibemus igitur Eccleſiam, dùm dicimus: *Reſpice, Domine, munera ſupplicantis Eccleſiæ*. Non dicimus, quòd ſunt munera alicujus noſtrûm in parculari, qui repelli, & non reſpici à Deo timemus (ſicut ſcriptum eſt de Cain, quòd ad eum, & ad munera illius non reſpexit Dominus.) Ut itaque præſtet Pater omnipotens, ſine merito, quod rogamus, qui fecit ex nihilo, qui eum rogarent; ad Eccleſiam, ſicut delinquentes, confugimus, & Eccleſiæ merito, & contemplatione, à Deo benè expediri ſperamus. Eccleſia ſupplicat, ut dilecta Dei ſponſa, ſancta, & immaculata, pro filiis: pro nobis munera offerens. Magna quidem eſt noſtra nequitia; ſed multùm prævalent ad noſtrum favorem, Sanctæ Eccleſia innumera, & excel-

cellentiſſima merita,& datæ ab ipſa Deo in Sanctis ſatisfactiones; ac proinde eadem Eccleſia apud Deum magnam habet ad impetrandum auctoritatem, maximamque in petendo facit repræſentationem, ut ad eam aures Deus ſuæ attentionis inclinet, & faciat protinùs quod ipſa petit. Eccleſiæ igitur interventione, & ſuffragio, bonis petitis fungemur, quando quilibet noſtrûm ad ea obtinenda, propria præpeditur, & impeditur malitia. Fidamus ergo de Dei benignitate, quòd reſpiciet munera ſupplicantis Eccleſiæ: confidamuſque, quòd per hujus orationem faciet Dominus, quod nobis deſideramus. Aſpiciens ſiquidemConditor noſter,& reſpiciens Eccleſiam munera offerentem,dabit profectò benignitatem. Dans benignitatem Dominus, à nobis deſiderata ipſe exequetur propitius. Bona exoptata à nobis exequens Deus,concedet,ut oblata abEccleſia munera, perpetua ipſe ſanctificatione faciat prodeſſe omnium Fidelium ſaluti. Ergo per Chriſtum fideles ſimus in Deo, ut Deus faciat, ſalutem æternam, & temporalem credentibus,& ſumentibus Eccleſiæ munera,provenire à perpetua munerum ipſorum ſanctificatione, quam dignabitur Deus propitius efficere: ut taliter illa eadem munera à Deo reſpiciantur, & ſanctificentur, ut credentium ſaluti ſumenda concedere velit pro illorum munerum ſanctificatione perpetua, vel per ſanctificationem, quam Deus in animabus credentium fecerit in perpetuum, ob ſuam miſericordiam, & ob Eccleſiæ meritum, orationem, & ſuffragium.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis*.

ET miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

SYrus legit: *In ætates, & generationes ſuper omnes, qui timent Deum.* Perſicus: *In æternum, & ſæcula eſt ſuper eos, qui ab ipſo timent.* Perſicus alter: *A ſæculo in ſæcula, pro timentibus ab ipſo.* Arabicus: *Et miſericordia ejus exiſtens à generationibus.* Æthiopicus: *Progeniei progenierum.* Euthymius, & Vatablus: *In progeniem, & progeniem.* Hebraicus: *Et miſericordia ejus in perpetuo, ſeu in æternum religiosè colentibus eum.* Origenes homil. 8. in Lucam: *Timentibus eum fecit victoriam.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Et miſericordia ejus in me incæpta dilatatur à progenie in progenies timentibus eum. In omni gente, qui timet Deum, acceptus eſt illi.* *Beda in Gloſſa Ordinaria: Et miſericordia, &c. A ſpecialibus donis ad generalia Dei judicia ſe convertit, & totius humani generis ſtatum deſcribens, quid ſuperbi, quid humiles mereantur, quid filii Adæ per liberum arbitrium, quid filii Dei ſunt per gratiam, explicat. Quaſi dicat: Non mihi ſoli fecit magna, ſed etiam omnibus timentibus eum, in omni progenie Judæorum, & Gentium. Vel in omnes progenies totius mundi, quas credituras prævidit. Commendata miſericordia in timentibus, ſubdit, quid contemptores mereantur.* Græcus in Catena Divi Thomæ: *Et miſericordia ejus. Quam habet in generatione generationum ego concipio, ac ipſe corpori animato conjungitur, noſtram tractans ſalutem ſolius intuitu pietatis. Miſeretur autem non qualitercumque, ſed his, quos timor ejus compeſcuit in qualibet natione. Unde dicitur: Timentibus eum; qui, ſcilicèt, pænitentia ducti, & ad fidem, & pœnitentiam convertuntur: nam qui obſtinati ſunt incredulitatis vitio,clauſerunt ſibi januam pietatis.* Theophylactus apud eamdem Catenam: *Vel per hoc innuit, quòd timentes miſericordiam conſequentur in generatione iſta, id eſt, in præſenti ſæculo, & futuram, id eſt, in ſæculo futuro:*

turo: in hoc ſæculo centuplum accipientes, in illo verò multò majora. Nicolaus de Lyra: *Et miſericordia ejus, &c. Hìc recolit Beata Virgo beneficia exhibita toti mundo, cùm dicitur: Et miſericordia ejus. Id eſt, beneficium Incarnationis, quod ex miſericordia Dei factum eſt. Unde petebat David: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: quaſi dicat: Oſtendiſti potentiam tuam in creatione mundi de nihilo, & ſapientiam tuam in mundi gubernatione ſic ordinata, & juſtitiam tuam in peccatorum punitione, ſicut in diluvio, & ſubverſione Sodomæ, & Gomorrhæ: & ideò oſtende nobis Domine miſericordiam tuam in Filii tui Incarnatione. A progenie, ſcilicèt, Judæorum, quia, ſicut dicitur Joan. 4. ſalus ex Judæis eſt. quia Incarnatio facta eſt in Virgine, Judæa natione; ſed quia beneficium Incarnationis ad totum mundum diffunditur, ideò ſubditur: In progenies. Scilicèt, omnium Gentium. Verumtamen, quia, licèt beneficium Incarnationis ſe extendat ad omnes quantùm ad ſufficientiam, non tamen quantùm ad efficaciam, ſed tantùm ad juſtos; Ideò ſubditur: Timentibus eum, ſcilicèt, timore filiali, & caſto.* Menochius: *Et miſericordia ejus à progenie in progenies. Id eſt, cujus miſericordia eſt à progenie in progenies, id eſt, perpetua, perennis, infinita, ſempiterna. Timentibus eum. Illum religiosè colentibus, quibus adeſt.* Tirinus. *Miſericordia, & beneficentia ejus à progenie in progenies, id eſt, per omnes ætates, & ſæcula perpetuò adfuit timentibus eum.* Didacus de Baeza cap. 9. de Mariæ Cantu, ſ. 8. ait: *Fœcundiſſima res eſt miſericordia Divina, contendit cum humanis generationibus à progenie, & in progenies extenditur: ſed ſi habeat ſocium timorem Dei. Id innuit Pſalm. 28. Vox Domini præparantis cervos, ſive, ut ex Hebræo alii reddunt: Vox Domini parturire faciet cervas. Quippe natura difficiles ad partum cervæ, cùm tonitruum timore percelluntur, maturos jam fœtus parturiunt: ſic ubi timor Dei adeſt, per generationes, & generationes miſericordiam Dei multiplicat. Hinc eſt, quòd ſterilem ſocium, jamjam igni applicandum, ut reviviſcere, & fructificare faciat bonus latro, dolens, quòd juxta miſericordiæ fontes pereat, timorem ſuggeſſit, dum ait Lucæ 23. Neque tu times Deum. Quod ſic expendit Divus Chryſoſtomus homil. de cæco nato: Alter probus invenitur, in judicio reus, in cruce judex, ſed & timorem docet. Prima enim vox latronem hæc fuit: Neque tu times Deum. Et meritò in ligno ſterili, & arente, etiam juxta miſericordiæ apertos fontes poſito, unum timorem Dei deſideravit, de quo poſſit in vitam æternam fœcundari. Nihil, mihi crede, ſic fœcundat animos, ſic munit, ſic virtutes eorum æternat, ut Dei timor. Sic ex Dinæ hiſtoria, pro timore exclamat Cellenſis Abbas lib. de panibus, cap. 14. ajens: Noli filia Jacob, noli ſine fratribus exire ad mulieres regionis hujus, quia leo eſt in via, Sichem filius Emor ardens concupiſcentia tui. Saltem Simeon, & levi, id eſt, timor præſentium, & futurorum, pudicitiæ tuæ ſemper aſſiſtant protectores, & ultores, nè rapiaris, nè blanditiis delinita in confuſionem nobilitatis tuæ proſtituaris. Nemo nos à paternali Dei amore rapiet, nemo nos Divinæ miſericordiæ aufert, imò hoc uno timoris Dei affectu replebimur omninò ſanctitate. Quid dixiſſe miraris? An noſtra major, quàm Chriſti Domini capacitas? Ergo vide, quo Chriſtus repleatur. Iſai. 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris. Quid pro timore dignius? Cui ſapientia, pietas, fortitudo, & aliæ adſunt virtutes. Inanis ille, & vacuus erit, qui ſine Dei timore vixerit, quem ſi habueris, plenus es, feliciſſimus es. Enimverò Dei timor anteambulo eſt omnigenæ miſericordiæ, favoriſque Divini. Ubi ergo præmittitur timor, non ſupplicium, ſed Dei favor expectetur. Sic, cùm Maria Lucæ 1. turbata eſt in ſermone Angeli, Divini favoris ingentem in illa capacitatem meditatur Divus Chryſolog. ſerm. 143. Quod per Angelum Deus mandat, ille meretur ſcire, qui timet ſcire. Audi Dominum dicentem: Super quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & manſuetum, & trementem verba mea.* Hucuſque loquutus eſt Baeza. Toletus inquit: *Et miſericordia ejus, &c. Hæc eſt pars Cantici ſecunda, in qua beneficia communia populo ante adventum Dei in car-*

nem collata decantat : incipitque à miſericordia , qua ſemper uſus eſt Deus cum primis illis Patribus Judæorum , qui eum coluerunt , Abraham, Iſaac , & Jacob , & cæteris , quos ſumma , & perpetua miſericordia proſecutus eſt , & cum eorum poſteritate , quæ eum timuit , & coluit ; non ſolùm enim promiſit illis , de eorum ſemine carnem ſe ſumpturum, ſed à periculis multis liberavit , & multis favoribus miſericordiæ ſuæ cumulavit. De qua miſericordia dictum eſt Pſalm. 102. *Et miſericordia ejus ab æterno in æternum ſuper timentes eum ; & iis, qui ſperant in miſericordia ejus : ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame . Quod autem dicit (à progenie in progenies) ſignificat continuam, & perſeverantem Dei miſericordiam erga Patres , & poſteros . Addit (timentibus eum) nempe, pios , & cultores , & fideles , qui ejus verbo obedierunt : nam incredulos , & prævaricatores ſeverè punivit .*

Pro : *Benedictus .*

SYlveira dicit : *Nota , quòd priùs dixerat : Daturum ſe nobis ; & poſteà ſubdit : Ut ſerviamus illi ; quia non poſſumus Deo præſtare aliquod obſequium , nec opus bonum , niſi ipſe priùs det nobis , à quo eſt omne opus bonum ; ut docet Paulus ad Philippenſes* 1. *&* 2. *Qui cæpit in vobis opus bonum , ipſe perficiat . De quo latè Divus Auguſtinus de prædeſtinat . Sanct. cap.* 4. *&* 5. *& multis aliis in locis . Deinde , quòd ad ſerviendum Deo requiritur animus tranquillus ſine timore. Ut præſentem textum facilè intelligas,ita accipe. Ut liberati de manu inimicorum noſtrorum, ſine timore ſerviamus illi . Divus Irenæus connectit cum antecedenti, & ſubſequenti, quòd juravit ad Abraham patrem noſtrum , ut det nobis ſine timore ex manu inimicorum ereptis ſervire ſibi in ſanctitate , & juſtitia . Nam , ut ait Titus Boſtrenſis hic , Chriſti adventus effecit , ut formidine vacui , ex inimicorum poteſtate eripiamus , neque enim ullum hoſtilium inſidiarum ſenſum cepimus .* Toletus inquit : *Ut ſine timore , &c. Duplex hic occurrit dubitatio : una eſt , quis ſit hic timor , ſine quo ſerviendum eſt Deo in Chriſti adventu , & Euangelii ſtatu ? Quidam de timore inimicorum interpretantur , qui per gratiam modo quodam expellitur , nimirum , ut non timeantur inimici , quaſi ſuperari nequeant ; cùm per gratiam effecti ſimus illis ſuperiores , ſi velimus. Talis igitur timor excluditur per Chriſtum , & fiducia nobis datur , de qua dicitur Joan.* 16. *Confidite , ego vici mundum . Quidam alii de timore ſervili intelligunt , quo timetur præcipuè pœna, qui proprius eſt ſervorum , quique in ſtatu legis erat , utpote quæ ex vi ſua à peccato non liberabat , nec gratiam conferebat ; ideò qui ſub lege erant, in ſtatu ſervitutis erant , à quo Chriſtus nos liberans , & in ſtatum filiorum transferens , ſervitutis illius timorem abjecit , & ſpiritum dilectionis , & libertatis filiorum attulit : quod Lucæ* 12. *ſignificans dicit : Nolite timere puſillus grex ; quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum . Quaſi diceret : Abiicite timorem ſervilem , quia jam filii eſtis , & Patrem habetis Deum , qui vos in regnum advocavit , in quo regnetis , & non jam ampliùs , ut olim ſerviatis . Hic eſt timor , de quo nunc dicitur : Sine timore ſerviamus illi . Verum eſt , hoc timore excluſo, etiam illum removeri , qui eſt inimicorum , de quo illi hunc locum interpretabantur ; tamen præcipuum intentum Zachariæ eſt ſignificare , timorem legis expulſum eſſe per Chriſtum , & gratiam dilectionis , & filiationis datam . Dubitatio altera eſt , cùm dictum ſit , Deum juraſſe ad Abraham , daturum nobis , & hoc juramentum ſit illud , quod ſcriptum eſt Geneſ.*22. *quæret aliquis , quibus illic verbis tale juramentum ſit contentum ? Reſpondeo , illis verbis (Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum : & in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes.) hoc, & quod ſequitur comprehenſum , & ſignificatum eſſe : nam poſſeſſio portarum inimicorum ſignificat hanc liberationem de manu inimicorum , quam Chriſtus facturus erat ſemini Abrahæ , nempe , his , qui Euangelio credituri erant . Benedictio autem illa : In ſemine , ſcilicet , Chriſto reliqua omnia complectitur .*

Pro: *Nunc dimittis*.

SYriacus legit: *Quia viderunt oculi mei miſericordem tuum, quem præparaſti ante faciem omnium populorum*. Perſicus: *Miſericordiam tuam, quam paratam feciſti coram facie omnium populorum*. Æthiopicus: *Quod paraſti coram toto populo tuo*. Syriacus Divi Hieronymi in cap. 51. Iſaiæ: *Quod præparaſti in conſpectu omnium populorum*. Gloſſa Interlinealis ait: *Quem poſtmodum omnibus populis quærendum dilectione, & conſpiciendum fide prævidi, jam carnis, & mentis oculis Salvatorem contemplor*. Gloſſa Ordinaria: *Et in primo adventu Chriſtus ante faciem omnium populorum à Deo paratur, ut credant, & diligant: & in ſecundo adventu parabitur, ut videat eum omnis populus, & reddat unicuique ſecundùm opera ſua*. Nicolaus de Lyra: *Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Id eſt, coram omnibus populis, quibus myſterium Incarnationis prædicatum eſt ab Apoſtolis, ſecundùm quod dicitur Pſalm.* 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum*. Menochius: *Quod paraſti, &c. Quem Salvatorem in conſpectu omnium populorum, Gentiumque conſtituiſti, ut quicumque vellent, ejus beneficio ſalutem conſequi poſſent*. Simon de Caſſia ſic explicat: *Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Verè ante faciem poſuit, non à tergo, ut illam aſpiciamus, illamque* (nempe, ſalutem Dei, quam hic Auctor intellexit explicans illa verba: Salutare tuum) *cognoſcamus in anteriori proficientes, non retrovertentes ad ea, quæ pro melioribus antepoſitis abdicavimus*.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

MIſericordia Dei timentibus eum aſſeritur, cùm ſalus contra timorem hoſtium tribuitur, & ſalutare Domini in conſpectu omnium populorum à Deo ipſo paratur. Miſericordiam Virgo prædicat: ſalutem Zacharias indicat: & Salutare paratum Simeon Senex declarat; miſericordiam, nempe, qua ſalvemur: ſalutem, qua ſolidemur: & paratum Salutare, ut ad Deum attrahamur; miſericordiam redimentem: ſalutem liberantem: & Salvatorem nos ab omni malo eruentem; miſericordiam, qua nulla uberior: ſalutem, qua nulla felicior: & Salvatorem, quo nullus poteſt exiſtere fortior; ideòque miſericordiam excellentem: ſalutem utilem: & Salvatorem præſtantem. Hæc, quæ de utiliſſimo nobis myſterio Incarnationis dicta ſcimus, poſſe prædicari quoque de ſacratiſſima Euchariſtia cognoſcimus; in ea namque invenimus miſericordiam, & ſalutem, dum in Altari nobis paratum accipimus Salvatorem. Datur profectò nobis in Divino Sacramento Chriſtus, ut habeamus in eo miſericordiam extenſam, qua potiamur; ſalutem proficuam, qua lætemur; & Salutare Dei, à quo feliciſſimi efficiamur. Ergo cum tanto accepto beneficio, prædicemus miſericordiam perennem nos conſolantem: ſalutem liberatricem nos ſecuros reddentem: & Salvatorem potentiſſimum nos ſimul defendentem, & omni bono ditantem. Curemus proinde non eſſe ſub tanta miſericordia puſillanimes, ſub tanta ſalute debiles, & ſub tanto Salvatore nobis in omnibus benefaciente, ſocordes. Cùm à Domino nos, qui accedimus ad Altare ſanctum, Divina eſca cibamur, tunc replet Deus in bonis deſiderium noſtrum. Ergo renovetur ut aquilæ juventus noſtra, ut ex nunc accuratiùs, & ſeduliùs incipiamus ſervire Divinæ illi, & præexcelſæ majeſtati noſtri Domini, taliter noſtrum deſiderium repleti. Velut faciunt aquilæ renovatæ; ſolem aſpiciamus firmiùs, eſcæ inhiemus attentiùs, & nobiliter agentes, pennis utamur velociùs: ſolem, inquam, firmiùs intueamur, contemplationi addicti; eſcæ attentiùs incumbamus, vacantes Sacramentorum frequentiæ; & velociùs volemus, rapidiſſimè à terrenis diſcedentes, ac ſupernis appropiantes. Sic exaltabitur ſenectus noſtra in miſericordia uberi: ſic ſalus Dei ſuſcipiet nos: & ſic magna erit gloria noſtra in ſalutari Dei. Hunc Dominum noſtrum adeamus, &

illum poſt Communionem ſequenti modo exoremus.

Oratio poſt Communionem.

SAncta tua nos, Domine, ſumpta vivificent, & miſericordiæ ſempiternæ præparent expiatos. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

DEus (qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus: quique propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris : qui ſanat omnes infirmitates noſtras) ſanctificationibus ſuis facit (dummodò ſic ipſi agere complaceat) ut vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Ejuſdem Dei, & Domini noſtri ſumpſimus Myſteria, quæ,dum dignè accipiuntur, vivificant nos, quos ſimul faciunt ſpiritualiter diteſcere, & bona operatione abundare. Sancta ſunt,quæ poſſunt nos vivificare ſumpta : ſancta quidem illa,quæ nos meliorant accepta. Sunt ſancta, quæ vivificationem ſpiritualem porrigunt, quando dignè accipiuntur. Ergo ſumamus benè illa Dei Sancta, illa, nempe, Divina Altaris Myſteria: quæ in gratia ſumpta, nos facient inter mundi adverſa reſpirare, & in ſæculo iſto (ubi tot mortes ſpirituales noſcuntur eſſe) mirabiliter etiam inter mortuos vivere. Hoc quærimus, quando hodie, quòd Sancta Dei nos ſumpta vivificent, à Deo noſtro depoſcimus: itaque gratiæ (per Dei Sacramenta ritè percepta) petimus augmentum, qui ad Altare (in quo ipſa diſtribuuntur) gratiæ felicem apportaverimus ſtatum. Caro Chriſti verè eſt cibus, & ſanguis ejus verè eſt potus. Qui manducat eum, ipſe vivet propter eum. *Chriſtus in ſpecie panis dat nobis Corpus, & in ſpecie vini dat nobis Sanguinem, ut, cùm ſumpſeris, guſtes Corpus, & Sanguinem Chriſti, factus ejuſdem Corporis, & Sanguinis particeps. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes: cùm Corpus ejus, & Sanguinem in membra noſtra recipimus: ſic ſecundùm Beatum Petrum, Divinæ naturæ conſortes reddimur.* His verbis nobis eſt locutus Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus. Curemus igitur vivificari à vita Chriſti, quæ eſt, & quam accipimus in ejus Corpore, & Sanguine. Prædictus Sanctus Cyrillus etiam ait: *In novo Teſtamento panis eſt cæleſtis, & calix ſalutaris, qui animam, & corpus ſanctificant.* Ergo, juxta dicta ab hoc Doctore ſancto, à Myſteriis ſanctis, quæ in Altari ſumuntur, ſperamus in anima, & corpore ſanctificari, qui recipientes Sacram Euchariſtiam, utimur his ſanctificationibus Domini, quibus vitia noſtra poſſunt curari, & quibus nobis remedia æterna etiam poſſunt provenire. Utinam nos hæc Dei Sancta Myſteria vivificent: quæ quidem, ſi nos conſtituerint ſpiritualiter vivos, etiam nos miſericordiæ æternæ præparabunt expiatos. Ille profectò præparatur expiatus à ſanctis Dei Myſteriis ſumptis (ut conſequatur æternam miſericordiam) qui rectus in fide, charitate, gratia, & operatione bona, habet mundam conſcientiam, quando accedit ad ſumendam ſanctiſſimam Euchariſtiam. Faxit Deus, ut à ſanctis Myſteriis ſumptis vivificemur, & ut Sancta Sacramenta ipſius Dei, quæ ſumpſerimus, miſericordiæ ſempiternæ nos præparent expiatos.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM

Pro Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quartæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum; quibus impiè egerunt.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriaca Verſio hæc eſt: *Et de omnibus factis, quæ impiè perpetrarunt.* OEcumenius legit: *Et redarguat omnes.* Pagninus: *Ut redarguat omnes ex eis, qui ſunt impii.* Sanctus Cyprianus ad Novat. vertit: *Et perdere omnes impios, & arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impiè.* Alter Textus Syriacus legit: *Ut redarguat evectos illos impios, propter omnia opera illa, quæ impiè fecerunt.* Joannes de La Haye dicit: *Græcè poteſt verti illud: Quibus impiè egerunt, per quæ, aut quibus, ut vertit Interpres, vel in quæ, ut alii.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Et arguere omnes impios, convincere eos, qui priùs latebant, oſtendendo opera impietatis eorum, quæ priùs occultabant: quibus impiè egerunt in actu operis.* Hugo Cardinalis ait: *Et arguere, id eſt, convincere, & manifeſtare. Omnes impios, quorum opera impia priùs latebant. Unde dicit: De omnibus, &c. Tunc enim ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis. Sophon. 1. c. Ut videantur abſcondita tenebrarum, & manifeſtentur abſcondita cordium, quæ modò occultè arguuntur à Spiritu, nec ei credunt. Joan. 16. 6. Ille arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.* Nicolaus de Lyra: *Et arguere omnes impios de omnibus, &c. Sicut dicit Salvator Matthæi 25. Ite maledicti in ignem æternum. Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Eſtius: *Et arguere omnes impios, &c. Priora verba ſic habent in Græco: Et arguere, ſeu redarguere omnes impios eorum; hoc eſt, utque redarguat omnes, qui ex iis, ſcilicèt, peccatoribus, aut reprobis, ſunt impii. Significat ergo, judicium illud non futurum adversùs ſolos impios, ſed adversùs omnes peccatores: cæterùm adversùs impios multò graviùs exercendum, id eſt, cum ſevera admodum redargutione, & punitione, qualis deſcribitur 2. ad Theſſalonicenſ. 2. ſcilicèt, in flamma ignis dantis vindictam. Qui locus cum iſto conferendus eſt, ut intelligatur, quos Propheta vocet impios, nempe eos, qui Deo, & Euangelio ejus contumaciter reſiſtunt, & Sanctos ejus perſequuntur. Redarguet autem de omnibus operibus eorum impiis: quod inculcando exponit, cùm addit: Quibus impiè egerunt. Sic enim Græciſmus Latinè nobis eſt redditus. Quod tamen etiam verti poſſet: Quibus impiarunt ſeſe: ſi cui lubet verbum Græcum uno verbo Latino interpretari.* Cornelius inquit: *Et arguere omnes impios, &c. Græca addunt: Eorum. Explicat enim (Enoch) quod dixit: Facere judicium contra omnes, per id, quod ſubdit: Et arguere omnes impios ex eis: Chriſtus enim inſtituet judicium contra omnes homines, putà contra totum cœtum hominum, (quia longè major ejus pars eſt impia) ut perdat ex eis quoſcumque reverà invenerit impios. Hinc patet, omnes omninò impios, etiam infideles, & hæreticos, eſſe judicandos in die judicii. Quod ergo Sanctus Auguſtinus ſerm. 38. negat, eos fore judicandos, & Chriſtus Joan. 3. ait: Qui non credit, jam judicatus eſt, intellige, eos non fore judicandos judicio diſcuſſionis, & inquiſitionis, ſed*

judi-

judicio, ſive ſententia condemnationis. Cauſa enim eorum, cùm ſit clara, diſcuſſione non eget, ſed ſententiæ pronuntiatione, & pœnæ irrogatione.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

SAnctus Job dixit: *Verè ſcio, quòd non juſtificabitur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille. Sapiens corde eſt, & fortis robore. Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubvertit in furore ſuo. Qui commovet terram de loco ſuo: & columnæ ejus concutiuntur. Si repentè interroget, quis reſpondebit ei? vel quis dicere poteſt: Cur ita facis? Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Hic magnus Dominus, de quo, & cum quo Job loquitur, eſt Judex vivorum, & mortuorum Jeſus Chriſtus, qui in judicio arguet impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt. Arguet quidem: & ita arguens concludet impios, non ſolùm eos verecundia replens, ſed etiam in carcere inferni ad æternitatem claudens. Arguet convincens, & etiam vinculis æternis vinciens impios. Arguet, & cùm ipſe arguet, etiam arguet illos malitia ipſorum, & averſio eorum increpabit eos. O argumenta Judicis! O etiam argumenta criminum! Tam illa, quàm iſta carebunt ſolutione, & ideò irretientur impii æternæ condemnationis ligamine. Quilibet eorum dicet: *Ergo ſum concluſus*, quando conſtat, omnes illos dicturos eſſe: *Ergo erravimus*. Has voces nos audimus: & audimus profectò, ut non erremus, & ut non errando, proficuum ab impiis damnatis ſumamus experimentum. Nolimus errare: Deus non irridetur. Ipſe dicit: *Si acuero, ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes de cruore occiſorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.* Sed, dum hæc horrenda à Deo ipſo pronuntiantur, gladius ejus, ut fulgur valdè congruente r pingitur. Certum eſt, quòd gladius acuitur, quando ſub illo petra cœnoſæ aquæ affixa, & illi pœnè immerſa rotatur. Dum in circuitu impii ambulant, & duri, ac obſtinati in cœno ſuarum impietatum, velut lapides gladios acuentes, voluuntur; gladium juſtitiæ Dei acuunt, & ſicut Samaria ad amaritudinem concitant Deum ſuum; ſed ipſe Dominus (qui cùm iratus fuerit, miſericordiæ memor erit, quia non obliviſcetur miſereri Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas) acuit quidem ut fulgur gladium ſuum ad impios perdendos, & nos in eorum ſupplicio admonendos luce ipſius ſeveriſſimæ juſtitiæ; quia ab illo quidam plectuntur, ut cæteri corrigantur. Accidit ſæpè in obſcura magnæ tempeſtatis nocte, ut itinerans, qui viam rectam ad patriam ſuam perdiderat, & jam fortè vicinus magnæ voragini, ſive præcipitio horribili appropinquaverat, luce fulguris alicujus errorem ſuum cognoſcat, periculum videat, & eo ſibi ſatis proficuo lumine ductus, viam rectam perditam inveniat, per eam ſecurus vadat, & ad patriam deſideratam pertingat. O Dei Juſtitia, miſericordia aſſociata! qua Deus ſplendore fulgurum earum pœnarum, quas impiis damnatis infligit, multos ad viam cœli (quam perdiderant) vocat, & ad felicem Paradiſi patriam benigniſſimè deſtinat. Fulgura in pluviam facit Dominus, quoniam in æternum miſericordia ejus: dum facit, quòd nos (experimentum à judicio, & damnatione impiorum ſumentes) illos Dei terrores iu pluviam lacrymarum convertamus; quia, ut ait Sanctus Gregorius Magnus, *qui à paradiſi gaudiis per delectamenta diſceſſimus, ad hæc per lamenta revocamur. Unde neceſſe eſt, ut ſemper pavidi, ſemperque ſuſpecti, ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis: illinc judicium extremæ diſtrictionis. Penſemus, quam diſtrictus Judex veniat, qui judicium minatur, & latet: terrores peccatoribus intentat, & tamen adhuc ſuſtinet: & idcircò venire citiùs differt, ut minùs inveniat quod condemnet.* His Sancti Gregorii verbis convincti, emendationem vitæ proponamus, & compuncti Deum noſtrum ſequentibus duabus orationibus magna fiducia invocemus. Ora-

Oratio Officii Dominicæ quartæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Da nobis, quæſumus Domine, ut & mundi curſus pacificè nobis tuo ordine dirigatur: & Eccleſia tua tranquilla devotione lætetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Tranſit mundus, & concupiſcentia ejus. *Ubi ſunt amatores hujus ſæculi? Nihil ex eis remanſit*, niſi *cineres, & vermes*, ajebat Sanctus Bernardus. *Ecce mundus, qui diligitur, fugit. Ecce jam mundus in ſe ipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ ipſas ejus amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus*, dicit (dolore noſtræ deceptionis ductus, tactus, & punctus) Sanctus Gregorius Magnus. *Attendat unuſquiſque ipſam felicitatem ſuam, ſi non fluat. Attende, quia fluit, attende, quia labitur*, inquit Sanctus Auguſtinus, cùm anteà dixiſſet: *Flumina Babylonis ſunt omnia, quæ hic amantur, & tranſeunt*. Idem Sanctus Doctor dicit: *Si aliquis ſperavit in incerto divitiarum, trahitur à flumine Babylonis. Amas ſæculum? abſorbebit te. Amatores ſuos vorare novit, non portare. O munde proditor! Cuncta bona promittis, & cuncta mala profers: promittis florem, ſed citò evaneſcit. Fluvius Babylonis eſt: ſedeat ſuprà, & fleat*. Quàm benè dicit Sanctus Auguſtinus: *Sedeat ſuprà*. Si ſuprà ſederit, non portabitur à flumine, quod fluit, labitur, & velociſſimè fugit. Elongemur à mundialibus; quia homo *quò à viſibilibus remotior, eò cœleſtibus propinquior*, ut inquit in quadam Homilia Doctor Eminens meus Patriarcha, & Fundator Sanctus Joannes de Matta. Sed, quia non debemus ex hoc mundo exire omnes, juxta Sanctum Apoſtolum Paulum, audiamus Sanctum Joannem Chryſoſtomum, qui docet, quòd juvat (nè homo fluvium pervadens à fluctibus illius obruatur, & pereat) ſi per aquam ambulans, & per eam tranſiens, non tam ad profluentem habeat reſpectum, quàm ad cœlum, aut ad littus in alia fluminis parte, quam è regione habet, poſitum. Qui defluentem aquam aſpiciens commoratur, turbatur, & moritur infeliciter ſubmerſus; ſed qui oculos ab aqua, per quam tranſit, accuratè avertit, ſecurus incæptum proſequitur abſque periculo iter. Hodie petimus à Deo, ut mundi curſus pacificè nobis dirigatur Dei ordine. Mundi profectò curſus mundanis non pacificè, ſed tumultuosè dirigitur; quia mundus fluens inter falſas dulcedines ſuperbiæ, luxuriæ, & avaritiæ, diligentes ſe, fluctibus (quibus fugit, & labitur) obruens, portat eos ad amaritudines maris, & pœnas æternæ mortis. O ſi numquàm ad aquas fluentes vitiorum attendere voluiſſent, immò potiùs ad cœlum, ſeu ad littus firmiter in via Dei ambulantium ſpectaſſent! Juſtis verò pacificè mundi curſus dirigitur, quia ipſi in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militant, & utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi; & quando inter tranſitoria tranſeunt, tranſitoria non aſpiciunt, ut in eis delectentur; ſed attendunt ad terram viventium, & ad bona illis in cœlo promiſſa, & ſic deſiderant, quòd inter ſanctos ſors illorum ſit; & educantur de cuſtodia animæ ipſorum ad confitendum nomini Dei. Si ita mundi curſus, Deo dante, pacificè nobis Dei ipſius ordine dirigatur, fiet etiam à Domino, ut Eccleſia illius tranquilla devotione lætetur. Nos profectò Deo nosmetipſos devoventes, & ipſius ſervitio nos dicantes, animo tranquillo lætabimur, quando Deus illam pacem, quam mundus dare non poteſt, dederit nobis famulis ſuis, ut & corda noſtra mandatis Domini dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora fuerint protectione ejuſdem Dei, tranquilla: nam ſi averterit Dominus noſter oculos noſtros, nè videamus vanitatem, in via ſua vivificabit nos, & cùm ſit pax multa diligentibus legem Dei, & non

& non ſit illis ſcandalum; tunc in lætitia, & in cordis ambulabimus latitudine, quia mandata Dei exquiremus: ac eximii præconii erit, bonos nos, etiam inter malos, extitiſſe, ut docet Sanctus Gregorius Magnus.

ORATIO SECRETA.

Oblationibus noſtris, quæſumus Domine, placare ſuſceptis: & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Niſi Deus placatus fuerit, noſtras oblationes non accipiet: ſi ſemel placatus eſſe dignetur, oblationibus ſuſceptis amplius, & ampliùs placabitur. Ideò alibi dicit Eccleſia: *Suſcipe, Domine, propitius hoſtias, quibus & te placari voluiſti, & nobis ſalutem potenti pietate reſtitui*: & ob hoc etiam hodie ait Eccleſia eadem orans Deum noſtrum pro nobis: *Oblationibus noſtris, quæſumus Domine, placare ſuſceptis.* Qui timemus ergo à Deo irato vorticibus pœnarum, & flagellorum ſuæ juſtitiæ involvi; confugimus ad Deum placatum, ſi volumus ejus ſuccurſibus benigniſſimis foveri. Eja ergo: Viriliter agamus, & confortetur cor noſtrum omnes, qui ſperamus in Domino; qui non ſolùm oblationibus noſtris placabitur ſuſceptis; verùm ad ſe noſtras etiam rebelles compellet propitius voluntates. Utinam convertat nos, & convertemur: trahat nos ipſe poſt ſe: & in odorem curremus unguentorum ſuorum. *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam*, ait Sanctus Auguſtinus. *Nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quòd currit, trahitur, amando trahitur, ſine leſione corporis trahitur*. Hucuſque Sanctus Doctor. Et quidem noſtras voluntates etiam rebelles poteſt ad ſe compellere ille Deus noſter, qui dixit: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Quando peccavimus, fuimus, ſicut dicit Job, rebelles lumini, ſcilicet Divino: vel, ut ait Textus Chaldaicus, fuimus rebelles legi, neſcivimus vias ejus, nec reverſi ſumus per ſemitas ejus: (& hoc, cùm verum ſit, quòd eſt lucerna pedibus noſtris verbum Domini, & lumen ſemitis noſtris) vel, ut legunt Septuaginta Interpretes: *nec ambulando per ſemitas ejus*. Adversùs Dominum rebellavimus, velut in ſeditione Core, non advertentes, quòd bonus ſit Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum: & etiam, quòd bonum ſit viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Sed ille Dominus Deus, qui omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat, poteſt (ut Deus omnipotens) noſtras ad ſe etiam rebelles compellere propitius voluntates: nam attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Itaque ſcit iſte Divinus magnes ferrum ad ſe ſuavi, & forti violentia attrahere, & noſtras ad ſe propitius voluntates, etiam ferreas, etiam duras, obſtinatas, atque rebelles, compellere. Agat Deus, ut compellat: quia ſi illi, qui elongant ſe ab eo peribunt, nobis adhærere Deo bonum eſt; & erit fortunata nobis violentia, quam noſtras rebelles ad ſe compellens voluntates, fecerit Majeſtas Divina.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Simeon de Caſſia ait: *Et miſericordia ejus, &c. Non ſolum ſibi à Deo magna facta Mater Virgo commemorat, ſed ut omnibus timentibus eum, à progenie primi hominis, per omnes progenies filiorum hominum, Dei miſericordia magnificè ſit præſtanda. Una ſiquidem fuit hominum prima pro-*

geniei, quæ deinceps in multas progenies eſt diffuſa. Et ab omni alia progenie diſtincta erat progenies Judæorum, dumtaxat unius Dei cultum tenentium, quibus primò credita ſunt eloquia Dei. Et ad Iſraeliticas oves primò Dei Filius miſſus erat, ut eis priùs, deinde omnibus miſereretur. Nam per Oſee Dominus dicit, quod etiam Apoſtolus ad Romanos commemorat: Et vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam meam, dilectam meam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et alibi: Concluſit enim Dominus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur. Et in Sapientia ſcriptum eſt: Miſereris omnium Domine, quoniam omnia potes, & diſſimulas peccata omnium propter pænitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Cantat Virgo, adeſſe Dei miſericordiam omni progeniei, ſed timentibus eum. Nihil excluditur à miſericordia Dei, niſi qui Dei miſericordiam per impænitentiam excluſit. Sed nec ita miſericors, ut judicium non faciat; nec ita juſtus, ut miſericordiam excludat. Competentibus enim competentia facit. Et David proſpiciens decantat, dicens: Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Sic & Virgo Mater poſt miſericordiam ſubjunxit, dicens: Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Maldonatus dicit: *Et miſericordia, &c. Hæc verba eodem modo interpretor, quàm præcedentia, Cujus miſericordia eſt à progenie in progenies, id eſt, perpetua, infinita, ſempiterna, ut Pſalm. 102. 17. Miſericordia autem Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Quem locum videtur hîc Beata Virgo, totidem verbis exprimere voluiſſe. Nec alia fortaſiè cauſa fuit, cur his uſa ſit verbis. Si qua verò alia fuit, hæc fuit opinor, ut ſignificaret, Deum non ſolùm in veterem illum populum, ſed etiam in eum, qui tunc erat, miſſo Filio ſuo, ſuam, quæ nulla temporis longinquitate exhauritur, exercuiſſe miſericordiam.* Cornelius inquit: *Et miſericordia ejus à progenie in progenies (Syrus: Ætates. Arabicus: In generationem generationum.) Timentibus eum. Miſericordia: Græca vox reſpondet Hebrææ Cheſed, id eſt, pietas, bonitas, beneficentia, liberalitas: quaſi diceret: Deus, uti ſummè potens eſt, & ſanctus, ſicut jam dixi, ita pariter ſummè miſericors eſt, idque continuò, & ſemper in omnes, qui quavis ætate eum amant, ideòque timent eum offendere; quapropter mandatis ejus ſtudioſè obtemperant, uti ego ſemper eum amavi, timui, eique per omnia obedire ſategi. Hæc eſt enim ſecunda hujus Cantici pars, quo Beata Virgo à propriis ſibi beneficiis à Deo collatis, tranſit ad communia toti Iſraeli, id eſt, omnibus Fidelibus, præſtita, uti dixi verſ. 46.* Vincentius Regius ſic loquitur. *Et miſericordia ejus. Id eſt, & cujus miſericordia infinita, perpetua, ſempiterna eſt. Quaſi diceret. Non olim modò, verumetiam nunc, in ipſo Filio miſericordiam exercet, nec unquàm exhaurietur. Alluſiſſe videtur ad Pſalm. 102. 17. Miſericordia autem Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Hæc eſt altera pars Cantici, in qua meminit beneficiorum, quæ vel univerſim omnibus, vel certè omni populo Hebræo Deus contulit. A progenie in progenies. Significat hoc continuatam, & perſeverantem miſericordiam cum omni hominum genere; præſertim verò cum parentibus, & poſteris Hebræorum. Perinde autem eſt, ac ſi diceret: Per omnes ætates ſubvenit. Timentibus eum. Piis, & fidelibus, ipſumque religioſè colentibus: incredulos enim, & prævaricatores legis ſuæ ſeverè punivit, pios fovit. Debetur autem Dei potentiæ, & ſanctitati timor, & reverentia, Deum autem dixerat potentem, & ſanctum nomen ejus. Græca variant.*

Pro: *Benedictus*

PErſicus legit: *In æquitate, & rectitudine, & juſtitia.* Arabicus; *Cum puritate omnibus diebus vitæ noſtræ.* Æthiopicus: *In conſpectu ejus, & in omnibus diebus noſtris.* Theophylactus, & Arias: *In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo cunctis diebus vitæ noſtræ.* Janſenius ex Græco: *In pietate, & juſtitia coram ipſo.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *In ſanctitate, & juſtitia: Alii: Cum puritate. Illud: Daturum ſe nobis, hunc ſenſum habet: ut nobis liberatis ab hoſtibus, ſervire Deo poſſimus ſine timore, & ſalu-*

ſalutis conſecutionem obtinere: vel, ut habet Arabicus: Se daturum nobis ſalutem, ut ſine timore ſerviamus illi, in ſanctitate, morumque puritate. Gloſſa Interlinealis: *In ſanctitate, intellectu, & juſtitia, operatione, coram ipſo, non in conſpectu hominum, omnibus diebus noſtris, non ad horam.* Gloſſa Moralis: *Serviamus illi, in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Quia ipſe eſt Sanctus Sanctorum.* Eſtius: *In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo. Videtur idem aliis verbis dicere quod poſteà Paulus; ſobriè, & juſtè, & piè. Nam ſanctitas munditiam ſignificat ab omni inquinamento, & impuritate, & reſpondet temperantiæ; juſtitia ſe ſuo nomine ſignificat. Coram ipſò, id eſt, coram Deo ſervire; ad pietatem pertinet. Vel, coram ipſo, determinat ſanctitatem, & juſtitiam; ut intelligatur vera, & quæ coram Deo probatur, ſanctitas, & juſtitia: quomodò Paulus è contrario, quòd ex operibus legis, non juſtificabitur omnis caro, coram illo. Roman. 3.* Menochius: *In ſanctitate, & juſtitia. Sanctè, piè, & juſtè. Ita aliqui diſtinguunt, ut ſanctitas ad Deum, juſtitia ad homines referatur; ſanctitas primæ, juſtitia verò ſecundæ tabulæ præcepta complectatur. Coram ipſo. Non fictè, non ſimulatè, ſed verè, non ſolùm hominum, ſed Dei etiam judicio. Vel ſenſus eſt, nos ſervire Deo, non ad eum modum, quo Patres antiquæ legis, qui ſola fide eum præſentem habebant; carne nondum ſumpta; ſed peculiari quodam modo, quia homo factus eſt, & in conſpectu ejus ſumus, nobis enim intereſt in Euchariſtia: Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Matthæi 28.20. Omnibus diebus noſtris. Significat Dei beneficium, quod decantaverat, fore perpetuum.* Emmanuel Sà in Additionibus ad Catenam Sancti Thomæ: *In ſanctitate, &c. Id eſt pietate in Deum, & juſtitia, ſcilicèt, erga homines.* Idem Sà in Notationibus ſuper totam Scripturam Sacram: ad hunc locum: *In ſanctitate, & juſtitia, &c. Et juſtitia. Explicatio præcedentis. Juſtitia enim, ſanctitas, & juſti, ſancti.*

Pro: *Nunc dimittis.*

SAnctus Thomas Doctor Angelicus in Catena Aurea hæc habet ad præſentem locum: *Cyrillus: Fuerat autem Chriſti Myſterium, quod patuit in ultimis temporibus ſæculi, præparatum ante mundi originem. Unde ſequitur: Quod paraſti, &c. Athanaſius: Scilicèt, confectam toti mundo per Chriſtum ſalutem: qualiter ergo ſuprà dictum eſt, quòd expectabat Iſrael conſolationem? Eo, quòd, ſcilicèt, tunc futuram eſſe conſolationem Iſrael agnovit in ſpiritu, cùm & in omnibus populis paratum eſt Salutare. Græcus: Attende etiam ſagacitatem digni, & venerandi ſenis; antequàm dignus videretur beatæ viſionis, præſtolabatur ſolamen Iſrael. Ut autem quod ſperabat obtinuit, exclamavit, ſe vidiſſe ſalutem omnium populorum: adeò enim infantis ineffabile jubar illuſtravit eum, ut proceſſu temporis ſecutura mox ſibi fierent nota. Theophylactus: Signanter autem dicit: Ante faciem; ut, ſcilicèt, omnibus ejus Incarnatio appareret.* Hucuſque ex Catena Aurea Sancti Thomæ in quatuor Euangelia.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

INdicat Beatiſſima ſemper Virgo Dei Genitrix Maria Domina noſtra, timendum eſſe non timere Deum Creatorem, & Redemptorem noſtrum; quia dicit ipſa Virgo Deipara, extenſam eſſe miſericordiam timentibus eum. Docet Zacharias, nos debere ſervire Deo in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo. Aſſerit Simeon, Chriſtum Salvatorem noſtrum eſſe paratum ante faciem omnium populorum. Ergo, nè fruſtrà habeamus Redemptorem paratum; debemus illi in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo ſervire; debemus etiam tantum Dominum timere. Dixi, timendum eſſe non timere illum. Audiamus in Jeremia dicentem nobis Deum ipſum: *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe*

liquiſſe

liquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te. Timemus mala, timemus etiam amara: ergo timeamus non eſſe timorem Dei apud nos; quia hoc timore carere, eſt malum, quod ſuper omnia mala pœnæ eſt timendum, & hoc timore deſtitui, eſt amarum, ſuper omnes amaritudines hujus vitæ formidandum. Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis. Malum ergo eſt Deum non timere, quia non timenti mala occurrent culpæ, & pœnæ, dum non timet infligentem ſupplicia: non conſervabitur à Domino in tentatione ille, qui Deum non timet; nec hic per omnipotentem Deum in eadem tentatione liberabitur à malis conſenſus, & damnationis. Oculi Domini ſuper timentes eum, exaltans animas, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Amarum eſt igitur non timere Deum: nam quid amarius, quàm deſtitui exaltatione animarum, illuminatione oculorum, animæ ſanitate, & vita, & benedictione? Timentes proinde Deum, in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo ita accuratè ſervientes ei procedamus, ut Salvatorem nobis paratum amplecti, & obtinere ad noſtram æternam felicitatem poſſimus. Serviamus Deo in ſanctitate, qui ſancti eſſe jubemur ab eo, qui dicit: *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*: & ſerviamus in juſtitia quoque Domino illi, qui ait: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*: & ſic, quoniam exultabunt ſancti in gloria, cum ſanctis exultabimus: &, quia lux orta eſt juſto, & juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis; luce gratiæ potiemur, Deus nos tenebit ſua manu omnipotente, & liberabimur à tormento mortis ſecundæ, nempe, condemnationis æternæ. Paratus eſt Salvator noſter Chriſtus à Patre ſuo Æterno ante faciem omnium populorum. In Altari Sacro invenimus Redemptorem noſtrum meliùs, quàm Tobias invenit juvenem præcinctum, & quaſi paratum ambulandum, ſanctum, ſcilicèt, Archangelum Raphaelem, Dei medicinam dictum: quia, dum in Euchariſtia Chriſtus præcingit ſe, & tranſiens miniſtrat nobis ſuum Corpus, & Sanguinem, verè exiſtens ſub parva dimenſione accidentium præcinctus, & occultus; ad ambulandum nobiſcum, & ducendũ nos ad Cœlum eſt paratus, quia vocatur Emmanuel (hoc eſt, *Nobiſcum Deus*) hic Medicus benigniſſimus; qui appropinquans, & nobiſcum iens (ſicut appropinquans ibat cum diſcipulis in Emaus euntibus) curabit nos ab infirmitate tepiditatis noſtri amoris, & in hac via faciet, quòd corda noſtra ardeant in nobis, quouſque ad finem noſtri itineris tali recreati Viatico pertingamus, & Caſtello Cœli, quò imus, appropinquemus, & ipſe intrans nobiſcum porrigat panem gloriæ perennis; & cognoſcamus illum in fractione iſtius panis. Hoc optemus, & oremus, quando poſt Communionem Orationem ſequentem tota devotione dixerimus.

Oratio poſt Communionem.

Myſteria nos, Domine quæſumus, ſumpta purificent, & ſuo munere tueantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Qui amat munditiam, & pulchritudinem, recurrat pro eis obtinendis ad fontem, paratum, ut decoret; diſpoſitum, ut ad ſe accedentem ſuis fluentis emundet. Si myſteria Dei à nobis non ſumuntur, quomodò per ea purificabimur? quomodò pulchri reddemur? Recurramus præcipuè ad accipiendam purificationem animæ per aquam gratiæ Sancti Sacramenti Pœnitentiæ; ſed, cùm, juxta Sanctum Thomam Doctorem Angelicum, nullum Sacramentum ſit Euchariſtiæ Sacramento ſalubrius, quo purgantur peccata (nempe, venialia, & levia) adeamus etiam poſt Confeſſionem ad Altare Chriſti, ut ſumamus Myſteria Divina, quæ ſumpta, & accepta purificare, & decorare nos poſſunt, ut mundi integrè, atque perfectè reddamur. Hodie petimus à Deo, quatenùs nobis concedat, quòd nos purificent Myſteria ſumpta, & quòd etiam ſuo munere nos tueantur ipſa Di-

vina Myſteria? Per hanc ſecundam petitionem cognoſcitur, quòd Myſteria Divina habent nos tuendi officium. Munus, & officium Sacrorum Myſteriorum Altaris, eſt tueri ad ea ritè recipienda accedentes: quia Euchariſtia, quæ eſt mors malis, eſt etiam vita bonis. Videamus, paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus: nam, ſi juxta Sanctum Auguſtinum, *multi de hoc Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur: & buccella Dominica venenum fuit Judæ, non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit*; è contrà, ut ait Sanctus Cyrillus Alexandrinus, *ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus*. Et proſequens Sanctus Doctor, quemcumque ex nobis exhortatur his valdè proficuis verbis: *Quarè pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudiosè ſanctèque vivas, & benedictionem particeps: quæ (mihi crede) non mortem ſolùm, verumetiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis manet Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem: pietatem corroborat: perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, alliſos redintegrat: &, ſicut Paſtor bonus, qui animam ſuam pro ovibus poſuit, ab omni nos erigit caſu*. Quid poteſt aptiùs explicare, quomodò Myſteria in Altari ſumpta nos tueantur ſuo munere, quàm hæc verba allata Sancti Cyrilli? Ergo, cùm munus ſacrorum Myſteriorum Altaris ſit tantùm tueri purificatos à culpa gravi (quia non tuentur quos inveniunt gravibus flagitiis ſordidos;) præeat bona noſtra diſpoſitio ſumptionem Sacrorum Myſteriorum, quæ in Altari nobis diſpertiuntur; ut illa nos ſuo munere tueantur. Vitio noſtro tribuetur, quòd Myſteria ſumpta non nos purificent, ſi læthali culpa nos maculatos invenerint, & quòd non tueantur nos ſuo munere, quia nos ante ea ſumenda noluimus mentem per Sacramentalem Confeſſionem à gravi culpa mundare.

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM

Pro Dominica quinta poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ quintæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Et de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Sanctus Cyprianus legit: *Et de omnibus impiis, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.* Arabica Verſio: *Et ſuper ſermonibus duris contradicentibus, quibus locuti ſunt in eum impia peccata*. Arias: *Locuti ſunt contra eum*. Arabica alia Lectio: *Deque omnibus verbis aſperis*. Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Et de omnibus duris, quæ blaſphemantes Majeſtatem locuti ſunt contra Deum peccatores impii, in homines, in Deum*. Hugo Cardinalis: *Nec ſolùm Spiritus arguet de factis, imò & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii. Quia, ſi de verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddituri ſunt rationem in die judicii, ſicut dicit Dominus Marci 3. d. multò magìs de blaſphemiis, quæ ſunt dura verba. Vel (de omnibus duris) de operibus contra fidem, non ſolùm de his, quæ ſunt contra mores. Sed quarè Apoſtolus Judas non ſumpſit teſtimonium de lege, vel Prophetis, ſicut alii præcedentes in ſuis Canticis? Solutio. Quia dat teſtimonium de his, quæ prædicta fuerunt ante.*

ante legem, ſcilicèt, de pœna malorum: & propter hoc teſtimonium fuit de eo, qui fuit ante legem; & benè de Enoch, qui fuit ſeptimus ab Adam genere, ſicut ipſe fuit ſeptimus in editione Epiſtolarum. Hucuſque Hugo Cardinalis. Eſtius ſic loquitur: *Et de omnibus duris, &c. Non ſolùm, inquit, de factis impiis, verumetiam de dictis, graviſſimè redarguendi, atque puniendi ſunt impii: nimirum, de omnibus, quæ durè, contumeliosè, irreverenter adverſus Chriſtum Dominum locuti fuerint. Generaliter hoc à Propheta dictum eſt de iis, qui in Chriſtum verba jactarunt injurioſa, quales imprimìs fuere Judæi: quorum in eum blaſphemias, & maledicta, ſive converſantem cum ipſis, ſive pendentem in Cruce, legere eſt apud Evangeliſtas. Quales item Simoniani, & Gnoſtici multa de Chriſto falſa, & indigna commiſcentes: ut verè de eis dixerit Beatus Judas, quòd Dominum Chriſtum negarint. Vide expoſitionem illius loci. Cur autem dicat: Peccatores impii, & non ſimpliciter: Peccatores; jam patet ex ſuperioribus: quia non in omnes peccatores hæc dicuntur. Obſervandum denique, etiam in hoc brevi teſtimonio prophetico ex prima antiquitate prolato, veritatem obtinere quod Petrus Apoſtolus de Chriſto dicit Actor.* 10. *Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent. Nec mirum: quandoquidem omnium prophetarum ſcopus eſt Chriſtus.* Menochius: *Et de omnibus duris, id eſt, malis, ſeu non ferendis.* Tirinus: *De omnibus duris verbis, & injuriis in proximum, & querulis, maledicis, blaſphemis in Deum.* Emmanuel Sà in Notationibus, ad hunc locum: *Duris, id eſt, malis, ſeu rebus non ferendis.* Cornelius à Lapide: *Et de omnibus duris (Sanctus Cyprianus loco citato legit: Impiis.) Quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii. Arabicus: Et ſuper ſermonibus duris contradicentibus, quibus locuti ſunt in eum impia peccata, puta de omnibus blaſphemiis, erroribus, & murmuribus contra Deum jactatis: item de omnibus verbis maledictis, detractariis, impudicis contra proximum dictis: hæc enim, cùm ſint contra Dei legem, ſunt pariter contra Deum ipſum Legiſlatorem, ideòque ab eo in die judicii judicanda, arguenda, & vindicanda. Alludit Sanctus Judas ad id, quod dixit verſ.* 8. *Majeſtatem blaſphemant. Sic Capharnaitæ, audito Chriſti ſermone de carne ſua manducanda, dicebant: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Joannis* 6. *verſ.* 61.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Dura contra Deum loquuntur illi, quorum corda indurantur. Durus fuit in ſuis verbis Pharao contra Deum, quia induratum eſt cor Pharaonis: & ſic meritò deſcendit in profundum maris Rubri, quaſi lapis. Ex abundantia cordis os loquitur: & quia abundant peccatorum corda obſtinatione, & duritia, loquuntur contra Deum dura verba. Peccatores ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ; & ideò ad faciendum judicium de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii, excitabitur in furore Dominus in die judicii, die iræ, calamitatis, & miſeriæ. Ergo nos hodie ſi vocem Dei audierimus, nolimus obdurare corda noſtra: ſed fiat cor noſtrum tamquam cera liqueſcens in medio ventris noſtri, ut eructet cor noſtrum verbum bonum, dicamus opera noſtra Regi Chriſto venienti ad judicandum; os enim juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus: & beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis: hic diſponet ſermones ſuos in judicio: & ſic, quando ad judicandum venerit Dominus in ſanctis millibus ſuis (quia ecce veniet Dominus, & omnes Sancti ejus cum eo, & erit in die illa lux magna;) animæ juſtæ illius viri beati, qui diſponet ſermones ſuos in judicio, poterit Chriſtus dicere: *Amici auſcultant, fac me audire vocem tuam: ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Caveamus, nè quidquam aſperum loquamur contra Jacob, id eſt, Chriſtum, quia petra eſt Chriſtus, & qui ciciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem verò ciciderit conteret eum. Chriſtus eſt ille, qui conteret brachium peccatoris, & maligni; & brachia pec-

peccatorum confringentur, confirmat autem iuſtos Dominus, qui interrogat juſtum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam: & iratus eſt furor Dei juſtiſſimi in tres Job amicos, quia non ſunt locuti coram ipſo Domino recta, ſicut ſervus ejus Job; qui non peccavit labiis ſuis, neque ſtultum aliquid coram Deo locutus eſt. Scriptum eſt: *Sermo durus ſuſcitat furorem*: ideò timeamus dura contra Deum dicere; quia arguentur de omnibus, quæ locuti ſunt contra Deum, homines impii: & durum eſt homini contra ſtimulum calcitrare: itaque in judicio dura erit manus Domini. Eum veneremur, & timeamus: & veniam ejus, & gratiam petamus in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ quintæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

D*Eus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti: infunde cordibus noſtris tui amoris affectum: ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

BOna, quæ diligentibus ſe Deus præparavit, ſunt bona magna, ſed inviſibilia: quippe ea ſunt, quæ, ſicut nec in cor hominis aſcenderunt, nec ab aure viatorum ſunt audita, ita nec ab oculis mortalium ſunt viſa, ſive perſpecta. Ab eo ergo Domino, qui diligentibus ſe bona inviſibilia præparavit, & præmiare nos volente ultra condignum (juxta illud principium: *Deus citra condignum damnatos punit, & ultra condignum præmia beatis impertit*) petimus hodie, ut infundat cordibus noſtris ſui amoris affectum. Quis hunc amorem, ſeu amoris hujus Divini affectum habebit, niſi illum ipſi Deus gratuitò, & miſericorditer infuderit? Viam mandatorum Dei non curremus, niſi Deus ipſe dilataverit cor noſtrum, ut (quia plenitudo legis eſt dilectio, & dilectio Dei cuſtodia legum eſt) dilatatis Dei gratia cordibus noſtris, legem plenè per dilectionem impleamus, & dilectionem Dei ipſius in cuſtodia ſuarum legum monſtremus. Utinam ad hæc obtinenda Deus per collationem ſuæ gratiæ aſpiciat in nos, & miſereatur noſtri: &, ſi ipſe ob nobis præſtitam ſua benignitate, atque bonitate gratiam, viderit, quoniam mandata ſua dileximus, in æquitate ſua vivificabit nos: ac fiet manus ſua, ut ſalvet nos, quoniam mandata ſua elegimus: & dabit nobis Dominus Deus noſter in futuro, illa bona inviſibilia, quæ diligentibus ſe in hoc ſæculo, ſunt ab ipſo apud Cœlum præparata. Sed ad quid poſtulamus, quòd ipſe Deus infundat ſui amoris affectum noſtris cordibus? Ad quid? Ut eumdem Dominum Deum noſtrum in omnibus, & ſuper omnia diligentes (quamdiù in hoc mundo ſumus; & detinemur;) ſic promiſſiones ſuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Nam, ſi Deus ſui amoris affectum noſtris cordibus infundere dignatus fuerit; in omnibus, & ſuper omnia diligentes illum, promiſſiones ſuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequemur. Primò, ſi amoris ſui affectum cordibus noſtris infundere Deus fuerit dignatus; diligemus in omnibus, & ſuper omnia eumdem Dominum noſtrum. Diligemus quidem ipſum in divitiis, curantes, ſi divitiæ affluant, de nolendo cor apponere; ſed ſuper divitias diligemus Deum, potiùs divitias volentes perdere, quàm Deum; & nolentes prædivitiarum inordinato amore, aliquod grave peccatum committere. Diligemus Deum in ſalute, & viribus corporis, in hujus etiam ſpecie, ſeu pulchritudine; ſed ſuper ſalutem, & ſpeciem diligemus Deum (cùm fallax gratia, & vana ſit pulchritudo, & ſolus timens Dominum ſit laudandus;) & proponemus pro luce habere Dei veram ſapientiam, & gratiam ejus: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Diligemus Deum, ſi ille dederit nobis gratiam in conſpectu hominum, in gratia iſta, quæ fecerit, quòd hominibus ſimus amabiles, grati, placiti, & jucundi; ſed ſuper

omnia

omnia hæc diligemus Dominum, ut induamur Dominum Jeſum Chriſtum; nolentes amici eſſe ſæculi hujus, nè inimici Dei conſtituamur;& exhibebimus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros. Diligemus Deum in fama bona, & honore, ſi honorati fuerimus ab hominibus; ſed diligemus Deum ſuper honorem, & famam, exercitantes nos in multa patientia, per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam: ut ſeductores, & veraces, ſicut ignoti. & cogniti: & nolemus omnia opera noſtra facere, ut videamur ab hominibus(ſed ut hi videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt:) ſic erit noſtrum opus in publico, quatenùs intentio maneat in occulto; ut & de bono opere proximis noſtris lucis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo ſoli placere quærimus, ſemper optemus ſecretum. Secundò, ſi infuderit cordibus noſtris ſui amoris affectum noſter Deus, & Dominus,promiſſiones ſuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequemur. Sed ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores. Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum; ſed non deterreat certamen laborum,qui neceſſarii fuerint ut diligamus Deum in omnibus, & ſuper omnia per ſui amoris affectum, cordibus noſtris à Deo gratuitò, liberaliter, & miſericorditer, atque gratiosè (ſine noſtris præviis meritis) infuſum.

ORATIO SECRETA.

Propitiare, *Domine, ſupplicationibus noſtris: & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus aſſume: ut quod ſinguli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

Si Deus ſupplicationibus noſtris propitius fuerit, oblationes famulorum, famularumque ſuarum benignè profectò aſſumet. Ideò priùs eum nobis propitium eſſe ad noſtras ſupplicationes flagitamus; & poſteà illum, depoſcimus, aſſumere benignum, oblationem famulorum, famularumque ſuarum. O quàm noſtra intereſt Deum noſtris ſupplicationibus noſtris propitiari! quia, ſi propitius audierit petita, benigne aſſumet oblata, ut pro eis nobis retribuat proficua: & ut det ſalutem, qui propitius aſſumpſerit oblationem. Dabit quidem (propitiatus, & benignus oblationes aſſumens,) quidquid nobis potuerit ſuffragari ad ſalutem mentis, & corporis: corporis quidem, ſi nobis expedierit, & ideò corporis ſalutem tribuet conditionatè: ſed bona animæ, ejuſque ſalutem, (quia hæc ſemper nobis poſſunt) largietur, ac porriget, ut ſperamus, abſolutè ea petentes, & ſine conditione, ut decet, à Deo benigniſſimo confidenter flagitantes. Ideò hodie optamus, tam quòd Deus noſtris ſupplicationibus propitietur,quàm, quòd oblationes famulorum, famularumque ſuarum aſſumat benignus: ut cunctis proficiat ad ſalutem,quod ſinguli Fidelium obtulerunt ad ipſius Dei, & Domini noſtri honorem. Vult Deus,quòd honoremus eum de noſtra ſubſtantia, & de primitiis frugum noſtrarum. Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen Dei in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur Deo oblatio munda: quia magnum eſt nomen illius in Gentibus. Utinam non inferamus de rapinis, claudum, & languidum, & inferamus munus. *Numquid ſuſcipiam illud de manu veſtra?* dicit Dominus. *Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus*. Ipſe pronuntiavit: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, & qui contemnunt me erunt ignobiles*. Faxit ipſe, ut taliter, ac talia illi offeramus, ut oblationes famulorum, famularumque ſuarum benignus aſſumat: quia ſic conſequemur, ut quod ſinguli Fideles obtulerint ad ejus nominis honorem, cunctis proficiat ad ſalutem.

Tex-

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ET miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro : *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Et miſericordia ejus, &c. & primò loquens in perſona beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ ſic explicat: Mihi, inquit, fecit, non tamen ſoli ſingulariter, ſed uni excellenter. Verumtamen miſericordia ejus in progenies, & progenies timentibus eum. Nemo à gratia excluditur; ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam acceptus eſt illi. In progenies, & progenies: hoc eſt, in omnes progenies. In hac gratia nihil diſcernit hominem, niſi timor Dei. Græcus ſit, Barbarus ſit, Scitha ſit: maſculus ſit, fœmina ſit, liber ſit, ſervus ſit: timorem Dei habeat, & ſalvus erit. Miſericordia ejus in progenies, & progenies timentibus eum. Et hic rurſum prætenire non debemus, quæ de timore dicenda ſunt. Quatuor timores Sacra Scriptura diſcernit: ſervilem, mundanum, initialem, filialem. Servilis timor eſt pro evitanda pœna abſtinere à malo, retenta voluntate mala. Mundanus timor eſt pro evitanda pœna abſtinere à bono, retenta voluntate bona. Initialis timor eſt pro evitanda pœna, cum perverſo opere etiam pravas cogitationes reſecare. Filialis timor eſt bono firmiter adhærere, quia illud amittere nolis. Ex his quatuor timoribus duo mali ſunt, id eſt, ſervilis, & mundanus: duo verò boni, id eſt, initialis, & filialis. Ergo miſericordia ejus in progenies, & progenies timentibus eum. Nec ſolùm timentibus perfecta charitate: ſed etiam timere incipientibus, & per inchoantem ſapientiam ſe convertentibus, miſericordia ejus in progenies, & progenies timentibus eum. Et incipit* (Beata Virgo) *miſericordiam iſtam, quæ Deum timentibus præſtatur, latius explicare, & ipſum redemptionis humanæ ordinem, modumque manifeſta narratione contexere, dicens: Fecit potentiam, &c.* Barradas inquit: *Dei miſericordiam prædicat, quæ in Myſterio Incarnationis maximè enituit: eam verò latiſſimè ſe diffundere, canit. Eſt enim Dei miſericordia fluvius ingens, in omnes generationes, in ſæcula omnia extindans. Miſericordia, inquit, ejus (ſubaudi; Eſt) à progenie in progenies, id eſt, in omnes progenies, generationes, & ætates, diffunditur, timenteſque eum complectitur. Pſalm.*102. *Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum.* Sylveira ſic loquitur: *Divus Auguſtinus in expoſitione Cantici, Titus Boſtrenſis, Divus Bonaventura, Lyranus, Hugo hic per miſericordiam intelligunt Verbum Incarnatum: hoc enim dicitur miſericordia Pſalm.*84. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Et hoc inde probabilius, quia de ipſo Myſterio Incarnationis hic tractabat Virgo. A progenie in progenies. Origines homil.*8. *in Lucam, Cajetanus, & alii longè probabilius intelligunt hic, quòd iſta miſericordia Incarnationis extendatur ad omnem ſucceſſionem generationum, ſive præteritam, ſive futuram, ſive præſentem, ſive Judæorum, ſive Gentilium; nam hæc miſericordia eſt veluti fluvius inundans, qui ad omnes ſe extendit. Timentibus eum. Non uni ſingulariter, ait hic Divus Auguſtinus, ſed omnibus timentibus eum.*

Pro : *Benedictus*.

SImon de Caſſia ait: *In ſanctitate, &c. Omnibus diebus noſtris: quibus in timore, ac miſerè vivimus ſuper terram. Ecce à quibus eſt habenda libertas. Ecce in quibus conſtituitur pietas. Libertas ab inimicis, evaſio à peccatis. Pietas verò, qua Deo ſervitur, in ſanctitate, & juſtitia conſiſtit plenè. Ad hæc pro moribus Chriſti agebatur Adventus, ut liberaremur ab inimicis, & à criminum nexibus ſolveremur, ut ſibi in ſanctitate, & juſtitia diebus omnibus ſerviremus. Connectuntur tria hæc ad invicem in ordine rectè agendi, quorum uno deficiente,* mora-

Digitized by Google

moralis, acceptaque latria non conſiſtit. Primum liberari à maligno, ſecundum in juſtitia, & ſanctitate ſervire, tertium ſit omnibus perſervare diebus. Sed ubi ſpiritus, ibi ſancta libertas. Et quoniam inimici ſemper impugnant, ideò Salvator docuit nos quotidie dicere: Sed libera nos à malo. Et, ut liberet, ipſe nobis factus eſt cornu. Fit libertas, cùm à viſibilibus, & corruptibilibus expeditur affectus, cùm amor rerum non allicit, cùm timor non inflectit ad nefas. Sibique in ſanctitate ſervitur, cùm ſupra ſenſum hominum agitur vita, cùm affectiones in ſuperna aſcendunt, cùm mores aguntur in omni directione virtutum. In juſtitia porrò Altiſſimo famulamur, cùm dilectio eſt dignorum uſus, & debitorum. Sed in his omnibus perſeverantia opus eſt, ſine qua nemo operis præmium apprehendit. Vincentius Regius dicit: *In ſanctitate, &c. Declarat, quomodò ſervire debeamus Deo, præſertim in nova lege, opponens quodammodò Evangelium legi. Sanctitatem aliqui referunt ad Deum, juſtitiam ad homines: itaque utraque legis tabula hîc continetur. Alii juſtitiam magis generatim capiunt, ut comprehendat omnem virtutem, ipſam etiam in Deum pietatem. Hìc ſanctitatem acciperem pro ipſa Dei gratia liberos, & peccatis immunes, ac puros nos reddente, & immaculatos, & quæ Divinum eſſe confert. Juſtitia verò univerſim ſumitur, ut dictum eſt, comprehenditque fidem, ſpem, & charitatem, & quæ verè juſtum coram Deo, hominem efficiunt. Coram ipſo. Non hominum tantùm judicio. Et hoc poteſt etiam intelligi ſpeciatim in Evangelio, quia Chriſtum in Euchariſtia præſentem habemus, non Moſen. Omnibus diebus noſtris. Indicat, perpetuum fore Evangelii beneficium, ſecus ac lex erat.* Cornelius inquit: *In ſanctitate, &c. Hoc eſt juſjurandum, ſive hæc eſt benedictio Dei Abrahæ jurata; ſcilicèt, ſalus, & gratia Chriſti, ejuſque Evangelii, cujus excellentiam, & perfectionem præ Moſe, & lege veteri, pulchrè hiſce epithetis deſcribit. Prima enim ejus pars, eſt libertas; quòd, ſcilicèt, liberet nos à ſervitute peccati, & diaboli. Secunda, eſt ſervitus, id eſt, cultus veri, ſummique Dei. Tertia, eſt, amor, non timor ſervilis. Judæi enim ſerviebant Deo timore pœnarum, Chriſtiani verò ſerviunt amore liberali, quaſi filii. Unde Apoſtolus Roman.8.15. Non enim, inquit, accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Quarta, eſt interna, veraque ſanctitas, & juſtitia, non externa ſita in lotionibus, ſacrificiis, ceteriſque cæremoniis, qualem habebant Judæi. Quinta, coram Deo: ut cogitantes, nos in Dei, qui corda ſingulorum intuetur, oculis verſari, ſtudeamus ei purum, ſanctumque cor exhibere, omniaque opera ex puro, ſanctoque corde peragere, ſcientes, nos inſpectorem habere Deum, qui fundum cordis pervidet, & ex illo opera noſtra eſt dijudicaturus. Sexta, ut hæc faciamus non uno die, menſe, vel anno, ſed omnibus diebus noſtris, ſcilicèt, perſeverando in his uſque ad mortem, & ſucceſſivè uſque ad finem mundi. Ita Theophylactus, Beda, & alii.* Maldonatus ſic loquitur: *In ſanctitate, &c. Non ſolùm declarare mihi videtur, quomodò Deo, quemadmodùm dixerat, ſervire debeamus, ſicut Beda, & omnes ferè Interpretes exiſtimant; ſed etiam Evangelium legi tacitè opponere, & cujuſmodi ſit vocatio vitæ Chriſtianæ breviter indicare. In veteri, nimirum, lege, qui Deo ſerviebant, non tam in vera ſanctitate, atque juſtitia, quàm in umbra quadam juſtitiæ, ac ſanctitatis, id eſt, in juſtitiis carnis, ut loquitur Divus Paulus, ſervire videbantur. In Evangelio verò non in umbra, ſed in veritate; non in juſtitia carnis, ſed in juſtitia ſpiritus ſervitur. Venit (inquit Sacer Textus Joan.4.23.) hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Atque hæc eſt vocatio vitæ Chriſtianæ, ut piè ſanctè, & juſtè vivamus in hoc ſæculo. 1. Theſſal.4.7. & ad Titum 2.12.*

Pro: *Nunc dimittis.*

BArradas ait: *Cujuſmodi Salutare, ſive Salvator ſit Chriſtus, docet Simeon. Salutare, nimirum, paratum ante faciem omnium populorum. Indicat, Meſſiam non propter ſolos veniſſe Judæos, ſed propter reliquos etiam populos. Paraſti, inquit, Meſſiam, ante faciem omnium populorum, veluti ſolem quemdam. Quemadmodùm ſol non*

hunc tantummodò, vel illum, ſed omnes illuminat populos; ſic & Chriſtus non Judæorum tantùm nationem, ſed ceteras etiam gentes, ſuæ doctrinæ, fideique luce illuſtrabit, juxta illud Iſaiæ 49. Ecce dedi te, in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Sylveira dicit: *Procopius in caput 25. Iſaiæ, illud: Paraſti, ad æternam Dei prædeſtinationem refert, qua diſpoſuit Deus ante ſæcula Filium ſuum in omnium ſalutem mittere.* Toletus inquit: *Quod paraſti, &c. Non ſolùm Salvatorem præſentem agnovit Simeon, ſed etiam in ſalutem omnium veniſſe intellexit, tam Judæorum, quàm Gentium; inquit enim: Quod Salutare, ò Domine, tu paraſti ante faciem omnium populorum, ut omnes ab eo ſalutem conſequi valerent.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

QUi Deum timent, illi ſerviant: ut ſervientes, & timentes, timore, & ſervitio Dei præparentur ad videndum Salutare Dei ipſius paratum ante faciem omnium populorum. Paratus eſt profectò Chriſtus in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento realiter, & verè præſens, ut beneficet eum timentes, & illi in ſanctitate, & juſtitia famulantes. Præſentem adoravit Simeon Deum humana carne velatum, quem nos in Sacramento viſibili veneramur quoad Deitatem, & humanitatem ſub Sacramentalibus ſpeciebus occultum. Hunc, quem Simeon vidit, & nos adoramus, canit Sancta Dei Genitrix Virgo Maria, timendum; & huic ipſi ex Zachariæ teſtimonio debemus ſervire in ſanctitate, & juſtitia; ſanctitate quidem, ut tanto Domino ſacremur, & juſtitia, nè à recto deflectamus. Exhibet nobis Deus homo Chriſtus in Divino Sacramento ſuam præſentiam occultam, & majeſtatem velatam, ut eum timeamus timore filiali, & ipſi ſoli, tamquam Deo verò, curemus in ſanctitate, atque juſtitia ſervire. Urget Divinus Rex Chriſtus quemque noſtrûm in Euchariſtia dicens: *Redde quod debes*: nam debemus illi, ut Patri, tributa timoris filialis, & plenæ in ſanctitate, & juſtitia ſervitutis. Væ fraudanti Dominum ſuum à debito; quia terribili ſubjiciendus eſt ſupplicio. Quid ad hæc dicunt, qui in Eccleſiis, ubi Euchariſtia aſſervatur, Rege Divino præſente, violant cogitationibus (ſi non jam verbis, & factis) illa loca ſacrata, obliviſcentes timorem filialem diſplicendi ſupremo Domino, & renuentes illi ſervire in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo? *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*, ait Sanctus Apoſtolus Paulus. Diſperdet quidem illum optimo jure, quia præſentiam Dei contempſit; quia ab Angelis illam reverentibus non didicit; quia Miniſtris Dei, & Sacrificiis illuſit; quia ſcandalo proximos ſuos affecit, in cathedra peſtilentiæ ſedens; dum violavit, & alios ſimilia facere docuit. Diſperdet illum Deus, quia exurget idem Deus, & diſſipabuntur inimici ejus; & ſicut fluit cera à facie ignis, ſic peribunt peccatores à facie Dei. Ergo eſt contra non timentes Deum juſtitia, quando eſt apud Dominum miſericordia, & miſericordia ejus in progenie in progenies timentibus eum. Eja, erga Deum habeamus timorem debitum, ſi volumus obtinere miſericordiæ ejus patrocinium, & præſidium. Serviamus illi in ſanctitate, & juſtitia, coram ipſo, eum reverentes præſentem: ac ſic conſequemur habere illum, velut Simeon habuit, in favorem noſtrum paratum optimum Salvatorem. His intenti ſimus: & his attendentes, orationem, quæ ſequitur, dicamus poſt Communionem, ad noſtram utilitatem.

Oratio poſt Communionem.

QUos cæleſti, Domine, dono ſatiaſti: præſta, quæſumus; ut à noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EX-

EXPLICATIO.

HOdie à Deo in Sacro Altari, dono ſatiati ſumus cœleſti. Sunt quidem donum cœleſte Sacratiſſimum Corpus, & Sacroſanctus Sanguis Dei Hominis, noſtri Conditoris, & benigniſſimi Domini Redemptoris Jeſu Chriſti. O, ſi ſciremus donum Dei! Scimus quidem fide: noſcamus illud digna Chriſtianis meditatione. *Aſſentiamur, & credamus, & intellectualibus occulis Chriſtum intucamur*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Qui etiam dicit: *Cogita, quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt: neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis paſtor oves proprio paſcit cruore? Et quid dico: Paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus: ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat. Semetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus, tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt. Attendamus itaque nobis ipſis, dilectiſſimi, talibus fruentes bonis: &, cùm aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam hujuſmodi vitio; conſideremus, quibus facti ſumus digni: taliſque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio. Quotquot igitur hujus participes Corporis efficimur, quotquot Sanguinem deguſtamus, cogitemus, quòd illum ſursùm ſedentem, qui ab Angelis adoratur incorruptibili vicinus virtuti, hunc deguſtamus. Hei mihi, quot ad ſalutem nobis viæ! Nos corpus ſuum efficit, nobis ſuum communicavit Corpus: & horum nos nihil à malis avertit.* Hæc mira verba Sancti Joannis Chryſoſtomi nobis explicant, quomodò verum ſit, quòd hodie dono ſatiati ſumus cœleſti. Verba ipſa, dum nos in fide ſtabiliunt, etiam noſtram devotionem acuunt: dum dogmata pandunt ſacra, etiam materiam tribuunt pro meditatione noſtra. Sed ſatiati dono cœleſti à Deo noſtro, nempe, à Patre Æterno; ab eodem noſtro Domino, qui nos tali dono ſatiavit, depoſcimus, ut à noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis: quia ipſe Dominus Deus donum cœleſte nobis porrigit, ut ſimus interiùs à culpis mundi; & exteriùs ab inſidiis inimicorum defenſi, cùm etiam ab occultis inimicis in anima, & in interioribus noſtræ conſcientiæ per ejuſdem Dei miſericordiam facti immunes fuerimus; utque interiùs, exteriùſque cuſtoditi, Dominum ipſum laudemus: quia nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas. Faxit Deus, ut à noſtris mundemur occultis (nè nobis dominetur iniquitas;) & ab hoſtium liberemur inſidiis (nè ulla nocere poſſit adverſitas.) Relegetur à nobis iniquitas dominans, nè appropinquet nobis adverſitas, pacem, & bona pacis (vel corporis commoda Juſte deſiderata) peſſumdans. A culpis ſi mundati fuerimus, ab inimicorum inſidiis eripiemur. Hoſtes quidem inſidiis validè vallant, & ſtrictè circumdant eos, quorum conſcientias occultæ iniquitates contaminant: ſed non patietur Deus taliter obſideri illos, quos benignè ab occultis culpis dignatus fuerit mundare.

Digitized by Google

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM

Pro Dominica ſexta poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſextæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Hi ſunt murmuratores queruloſi.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

AEthiopicus legit: *Iſti ſunt, qui obmurmurant, quia aboliti ſunt.* OEcumenius: *Iſti ſunt cavillatores.* Arias: *Iſti ſunt ſuſurrones.* Syrus: *Hi ſunt qui turbant, & conqueruntur in omni re.* Arabicus: *Hi ſunt provocantes ſuper vos reatus.* Græcus: *Hi ſunt queruli.* Alii legunt: *Hi ſunt reprehenſores. Talis eſt*, ait OEcumenius, *qui portionem, & ſortem aliorum reprehendit, quique omnia, ac ſemper ſtudet vituperare.* Gloſſa Interlinealis: *Hi ſunt murmurantes contra Dei diſpoſitionem, quæcumque ſibi contingant, queruloſi, vel queruli.* Gloſſa Ordinaria: *Hi ſunt, &c. Tantò ampliùs quiſque murmurat, & conqueritur de præſentibus Eccleſiæ laboribus, quantò minùs in ſe deſideria carnis extinguit. Sed contrà Sanctus Daniel, & cæteri ſanctorum deſideriorum viri, quantò obnoxiùs ſola ſuperna deſiderant, tantò magis deſpiciunt tranſitoria, & cuncta, quæ videntur adverſa.* Eadem Gloſſa: *Hi ſunt, &c. Si fratribus aliquid boni contingit, murmurant, & conqueruntur, quaſi ſua felicitas in illorum proſperitate minuatur. Avari enim, quibus nihil ſufficit, etiam aliis invident.* Hugo Cardinalis ſic explicat: *Hi ſunt murmuratores. Ecce aliud peccatum, ſcilicèt, murmuratio. Unde: Hi ſunt murmuratores, de bonis aliorum, quibus invident, quòd ſua felicitas in illorum proſperitate minuatur. Sed quarè murmuraverunt? Quia carnis deſideria in ſe ipſis nondum extinxerunt deſiderio cœleſtium. Undè Sapientiæ 1. e. dicitur talibus: Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ. Numeror. 11. 6. Quis dabit nobis carnes ad veſcendum? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil reſpiciunt oculi noſtri, niſi manna. Queruloſi, à queror, quereris. Conqueruntur enim de laboribus præſentis ſæculi, non attendentes illud Pſalmi 127. Labores manuum tuarum, quia manducabis. Et qui non ſunt in labore, & certamine, hi non coronabuntur in futuro. 2. ad Timoth. 2. 4. Qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitimè certaverit. Vel: Queruloſi, à quæro, quæris: quia iſti quæſtum æſtimant pietatem. 1. ad Timoth. 6. 6. Cauſas autem ſubjungit, quarè ipſi ſunt tales, quia ſecundùm deſideria ſua ambulantes, &c.* Nicolaus de Lyra: *Hi ſunt murmuratores. Contra veros Apoſtolos, & Dei miniſtros. Queruloſi. De ſimulato defectu victus, & veſtitus, ut pecuniam extorqueant ab illis, quibus prædicant, ut lautiùs vivant. Ideò ſubditur: Secundùm deſideria ſua ambulantes.* Eſtius: *Hi ſunt murmuratores, queruloſi. Redit ad depingendos ſeductores à moribus, & ſtudiis. Murmurantes à queruloſis commate diſtinguendi ſunt: nam queruli, ſiu queruloſi, ſubſtantivè capitur. Murmuratores eos vocat, non adversùs Deum, ut quidam exponunt, nam maximè Dei cultores videri volunt, ſed adversùs Eccleſiarum Præpoſitos, quorum gubernationi paſſim apud Fideles detrahunt: ut & hodie videmus, hæreticos facere. Queruloſos item, id eſt, moroſos, ac difficiles, quorum volunta-*

ti

ti nunquàm ſatisfiat. Quod etiam intelligi poteſt de querimoniis adverſum Præpoſitos. *OEcumenius eum interpretatur, qui ſemper ſtudet omnes cavillari, & dicteriis inceſſere.* Menochius: *Queruloſi. Sic dicuntur, qui ſortem ſuam incuſant, qui ſorte ſua contenti non ſunt, ſed plura, aut meliora deſiderant.* Tirinus: *Hi Gnoſtici, aliique hæretici ſunt iſti, de quibus Henoch loquitur, queruloſi, murmuratores (Græcè ſuſurrones) de arctitudine legis Chriſtianæ, de ſeveritate Divinæ juſtitiæ, de providentiæ inæqualitate, &c. clam multa muſſitantes, palàm liberè detrahentes, neque ex Divino nutu regi, vel duci volentes, ſed ſecundùm deſideria ſua, &c.* Cornelius à Lapide: *Hi ſunt murmuratores queruloſi. Nimirum, murmurabant Gnoſtici de Euangelica lege, quòd nimis eſſet arcta, & carni difficilis: quòd ob eam exponerentur Fideles Gentilium odiis, rapinis, & neci: quòd Epiſcopi novas leges, & nova onera jejuniorum, Feſtorum, rituum, obſervantiarum, &c. gravia, & dura populo imponerent. Pro: Murmuratores, Græcè eſt: Suſurrones. Eſt autem ſuſurro, ait OEcumenius, qui tacitè, ac muſſitando, non apertè, quod ſibi diſplicet reprehendit, & carpit, ac præſertim qui diſcordias ſeminat inter fideles, & amicos, turbatque unionem, & pacem, uti turbant hæretici ſecretò detrahendo Epiſcopis, & Paſtoribus. Pro: Queruloſi, Græcè eſt: Queruli.* Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

P*Lus periculi eſt in inſidiatore occulto, quàm in hoſte manifeſto*, ajebat Sanctus Leo Magnus. Ratio eſt, nam, qui habet facultatem, qua valeat ſe à publico hoſte cuſtodire, non potitur viribus, quibus poſſit ſe ab adverſario occulto defendere. Ideò majoris eſt periculi hunc, quàm illum pati inimicum, quandoquidem illic poteſt remedium apponi, & hìc nulla proficua poteſt defenſio applicari. O peſſima murmurandi conſuetudo! O murmurationis vitium adeò per orbem vulgatum! Hoc peccatum ſenſim intrat; ſerpit, & introducitur; occulitur, ut faciliùs admittatur. Admiſſum, dum occultè ingreditur, necis duplicis eſt particeps, & necat ut ſerpens biceps; quia dum proximum, de quo fit murmuratio, in ſua fama occidit, etiam murmurantem contra fratrem ſuum miſerè interficit, nam in eo fraternam charitatem, quæ vita animæ eſt, & peſſundat, & corrodit. Verùm eſt, quòd detractio exceditur in gravitate à peccato contumeliæ, quia, dum facie ad faciem dicitur homini convitium, hìc eſt injuria perſonæ in ſocietate alterius criminis lædendi famam noculentis verbis, ſicut rapinæ graſſatorum in viis itinerantes prædantium, vincũt furta, quę occultè ſolent latrones committere; ſed non ſermonem nunc facimus de gravitate criminum, quia ſolùm intendimus dicere de periculo, in quo verſatur qui patitur murmurationes occultorum hoſtium ſuam famam lædentium, & eam labefactantium. Loquitur contra quoſdam peccatores Sanctus Judas Thaddæus, & de illis dicit: *Hi ſunt murmuratores queruloſi.* Querulos, aut queruloſos eos nominat, dum etiam murmuratores appellat. Fortè, quia qui querelas intentant, murmurationes exaltant. Baſis aſſolet eſſe murmurationum illa ſola copioſitas querelarum; nam quò magis homines querelis vacant, eò fortiùs murmurationibus inhiant; & tantò apparet murmuratiò altior, quantò querela, ſuper quam fundatur, auditur eſſe procerior, & notatur, ut adultior; ſed ſi querelæ oſtium clauditur, murmuratio non ingreditur, quia deeſt illi ad veniendum via, deficiente contra proximum querela. O quomodò æquum erat nos à querelis abſtinere, ſaltem ductos vitii murmurationis horrore! Principiis ergo (querelis, ſcilicet) obſtemus, ne peſſimæ murmurationi incumbamus. Ponamus ori noſtro cuſtodiam, & rogemus Dominum, ut ponat oſtium circumſtantiæ labiis noſtris, nè ex ore, & labiis querela exire permittatur, quam poſteà ſequens murmuratio comitetur. Sepiamus etiam aures noſtras ſpinis, nè audiamus murmurationes, &, ut ſi quas nolentes audimus, eas acriter pungamus: nam ſi non eſſent libenter murmuratores audientes, ceſſarent murmurationes. Ajebat Sanctus Ber-

nar-

nardus, ſe non audere decernere, quid eſſet pejus murmurare, aut libenter, & grato animo murmuratorem audire. Unum eſt certiſſimum, furta à latronibus commiſſa occultantes, & res ab eis furto ablatas libenter, & de induſtria accipientes, ſocios eſſe latronum, furtorum quoque complices, ac peccatorum participes. Sic de murmurationes placidè audientibus philoſophandum, quia ſi eis iſti non præberent auditum, ceſſaret murmurationis peccatum. Ut Deus nos defendat ab his omnibus, eum adeamus in duabus orationibus ſequentibus.

Oratio Officii Dominicæ ſextæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum: inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum: ut quæ ſunt bona, nutrias: ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodias. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Dominus Deus virtutum exaudiat orationem noſtram, ac velit nobis quæ petimus hodie dona concedere: quia Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ: & proprium eſt majeſtatis Regiæ bona petita ſuis ſupplicibus dare. Deus noſter eſt Dominus virtutum, ut in eo lętemur: & ſimul eſt Rex gloriæ magnificus, & potens, ut ab eodem Deo virtutum, cujus eſt totum quod eſt optimum, quodlibet valeamus ſperare beneficium. Quod beneficium uberius, ac nobis poteſt eſſe utilius, quàm, quòd ipſe Deus amorem ſui nominis pectoribus dignetur noſtris inſerere, & in nobis Religionis augmentum piè, & benignè porrigere, vel præſtare? Si amorem ſui nominis inſeruerit pectoribus noſtris Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, concalebit cor noſtrum intra nos: factum erit cor noſtrum tamquàm cera liqueſcens in medio ventris noſtri: & ardens erit cor noſtrum, dum fuerit locutus noſter Dominus in via hac, qua ambulamus: ac, cùm taliter nobiſcum ſe geſſerit Divina majeſtas, in manſuetudine ſuſcipiemus inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas noſtras. Si præſtiterit quoque idem Dominus Deus virtutum convertens nos, in nobis religionis augmentum, in ſpiritu, & veritate adorabimus illum. Inſerens pectoribus noſtris amorem ſui nominis, & præſtans in nobis Religionis augmentum, nutriet quæ ſunt bona, ac pietatis ſtudio cuſtodiet quæ ſunt nutrita. Cuſtodiet quidem nutrita ab ipſo; deſerviente ad cuſtodiam illorum, eo pietatis ſtudio, quod Dominus noſter nobis conceſſerit pro ſuo ſanctiſſimo beneplacito: nam tantò ſecuriùs in nobis, bona à Deo nutrita in nobis, conſervabuntur, quantò majori nos ſolicitudine, Dei adjuvante gratia, creverimus in virtute, ſtudentes debitæ erga Dominum pietati. Nutriet idem Deus in nobis fidem (quæ vivit, & nutritur per charitatem) quando dederit nobis ſui nominis amorem, & prẹſtare in nobis religionis augmentum dignatus fuerit: ſic nutriet etiam ſpem (quæ accipit ab amore Dei, & religionis augmento mirabilem fortitudinem:) nutriet idem Dominus dilectionem ipſam ſuam (qua illum diligamus) cùm inſeruerit pectoribus noſtris amorem ſui nominis, & præſtiterit in nobis religionis augmentum; quia amor ab amore accipit perſeverantiam, vim, & intenſionem, cùm amor eò ſit fortior, quò frequentior, & quò frequentior, diuturnior. Nutriens Deus iſta bona, nempe, Theologales virtutes, nutriet quoque cardinales, & morales: nutriet prudentiam inſerens pectoribus noſtris amorem ſui nominis, & præſtans in nobis religionis augmentum; quia diſcemus ab amore vias melioris, & uberioris prudentiæ: nutriet juſtitiam, quia homo tantò magis cum hominibus eſt juſtior, quantò evadit Dei amantior: nutriet fortitudinem Chriſtianam, quæ per Dei amorem accipit ſoliditatem: nutriet quoque temperantiam, quia ille, qui plùs Deum diligit, vitam præ aliis temperatiorem diſponit. Si etiam Dominus præſtare dignabi-

tur

tur in nobis augmentum religionis, cuſtodiet nutrita ſtudio pietatis: nam, ſi in Religione creverimus, per ſtudium pietatis nobis conceſſum donabitur nobis perſeverantia in eis ſanctis rebus, quæ in nobis nutrierit amor Divinus. Creſcentes nos, Dei aſpirante, & adjuvante gratia, & benignitate, in religionis virtute, experiemur, quòd Deus cuſtodit nutritas ab ipſo noſtram fidem, ſpem, charitatem, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam; ſed niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam, & niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam: nam, quia pulvis ſumus, & homo ſicut fœnum dies ejus, ac in imagine pertranſit homo, ut cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habetur, noſtri anni erunt: ideò, ſicut à nobis impotentes ſumus ad nutriendum bona, inſufficientes etiam ſumus ad cuſtodiendum ea, quæ jam ſunt nutrita. Sed ſperans in Domino, & faciens bonitatem, beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta. Eja ergo, lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit ſeras portarum tuarum. Ob omnia igitur relata beneficia, quæ quotidie à Deo accipimus, cantemus Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia Sanctorum: lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum.

ORATIO SECRETA.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris: & has populi tui oblationes benignus aſſume: &, ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

ORamus hodie Dominum, ut ſupplicationibus noſtris dignetur propitiari, &, propitiatus, velit benignus oblationes populi ſui aſſumere. His obtinendis intendimus, ac poſteà ad ulteriora tranſimus. Petimus enim efficaciter conſequi quod fideliter poſtulamus à Divina majeſtate; ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio: ſed potiùs votis reſpondeant conceſſa, & flagitationes noſtras ſequantur dona Divina. Erit noſtrum votum irritum, ſi clamantes non fuerimus exauditi: & erit vacua noſtra poſtulatio, ſi illam non fuerit ſubſecuta conceſſionis plenitudo. Non ſolùm multoties petimus, & non accipimus, eò quòd malè petamus, & quoniam, ut ait Sanctus Auguſtinus, *non petitur in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem ſalutis: & ipſe Chriſtus non facit, quando petimus, niſi quod expedit nobis*; ſed etiam, quia ea ſunt noſtra demerita, ut in benè quoque petitis mereamur non exaudiri à Deo miſericorde. Ea tamen eſt Divina largitas (qua etiam immeritis beneficia conceduntur) ut poſſimus ſperare, nos efficaciter conſecuturos illa, quæ fideliter à Domino petierimus. Fideliter profectò petit, qui credens petit, ſperans petit, ac bonam expeditionem conſequi à Divina benignitate confidit: ſed præcipuè fideliter petit ille, qui ſtat promiſſis, & ſervans Deo debitam fidelitatem, non ſolùm aſſentitur veritatibus Fidei à Deo revelatis, ſed curat implere quod vovit, & opere complere quod tanto Domino ſuo promiſit, quando illius obſequio in Baptiſmo ſe humiliter mancipavit. Efficaciter conſequitur fideliter petita, ille, qui obtinet re ipſa id, quod petit à Majeſtate ſuperna. Infertur efficaciter conſequi ex eo, quod eſt fideliter poſtulare. Fideliter igitur depoſcamus, ut efficaciter nos fuiſſe conſecutos quæ petebamus, lætemur. Quomodò verò de efficaci conſecutione vult gaudere ille, quem non comitatur confidentia, quando ſupplicationes coacervat, & orationes ad poſtulandum multiplicat? Quiquid orantes petimus credamus, quia accipiemus, & fiet nobis. Petamus, & accipiemus: quæramus, & inveniemus: pulſemus, & aperietur nobis. De ſe ipſo conqueratur ille, cui deeſt fidelis petitio, ſi ejus deſideria non ſequatur efficax petitorum conſecutio. Utinam petiiſſet confidenter, & fideliter: conſecu-

tus

tus ita fuiſſet deſiderata, & poſtulata, efficaciter. Pleni ergo ſimus Chriſtiana fiducia, ut obtineamus à Deo bona exorata.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ET miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

TOletus ait: *Et miſericordia ejus, &c. Non me latet, Recentiores hanc, & ſequentes ſententias interpretari generaliter de communibus beneficiis, quæ generi humano Deus confert, & de iis, quos propter ſuperbiam deprimit; & nonnulla horum ad dæmones referunt, quorum ſuperba mens depreſſa eſt: multaque ſimilia afferunt, quæ, ſi doctrinam reſpicias, vera ſunt, ſi autem contextui applicare velis, profectò mihi videntur parùm accommodari; cùm Beata Virgo in hoc Cantico, de illo populo Judaico, qui erat tunc electus, & fidelis, ac colens Deum, loquatur, progreſſum miſericordiæ, quo uſus eſt cum illo, ennarrans uſque ad adventum in carnem, qui fuit complementum, & perfectio omnium miſericordiarum, & beneficiorum. Quæ expoſitio ex ipſarum ſententiarum explicatione confirmabitur.* Sylveira dicit: *Dum Virgo ait: Timentibus eum, probabiliùs dicendum eſt cum Dionyſio Carthuſiano, Lyrano, Cajetano, & noſtro Beaulxame, locum eſſe explicandum de timore filiali, qui eſt ex perfecta charitate; quia, licèt miſericordia Dei quoad ſufficientiam in omnes ſe diffundat; tamen quoad efficaciam, & conſummatam, ac finalem ſanctificationem, ad juſtos ſe extendit, qui ipſum timore filiali timent. Et hac de cauſa Virgo non dixit: Miſericordia ejus à progenie in progeniem ſolùm; cùm ſæpè omnes homines, & etiam non timentes Deum, multos effectus Divinæ miſericordiæ ſentiant. Tamen limitavit quoad timentes, ſubintelligendo timorem filialem; hi enim non ſolùm quoad ſufficientiam, ut alii; ſed etiam quoad efficaciam fructum miſericordiæ Incarnationis conſequuntur. Et hoc pacto etiam loquitur Regius Propheta Pſalm. 102. n. 11. Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Et Malachias cap. 4. n. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ. Eſt quæſtio, quarè miſericordia hìc promittatur timentibus, & non credentibus, ſeu diligentibus? Reſpondet primò Janſenius: Aptè dici potiùs timentibus, quàm obedientibus ei, aut diligentibus eum: quia priùs de Dei potentia, & ſanctitate cecinit, quibus reſpondet in nobis timor, & reverentia Dei. Secundò reſpondeo, quòd, cùm ex miſericordia Dei ſæpè aſſueſcant pravi homines arripere anſam licentiosiùs vivendi; ideò ait Virgo, quòd miſericordia derivabitur in timentes eum, illos nempe, qui ex ipſa benignitate ſumunt occaſionem non contemnendi, ſeu non offendendi, ſed potiùs timendi Deum, & hi fructus hujus miſericordiæ Incarnationis percipient. Tertiò. Timor filialis, ac reverentialis dicit, ac importat reverentiam, ac venerationem erga Deum: illi ergo, non qui inſoleſcunt, ſed qui tamquàm grati filii Divina beneficia honorant, cultu, ac magna obſervantia proſequuntur, hi illorum fructibus ditantur.* Hæc Sylveira. Barradas inquit: *Et miſericordia ejus, &c. Eſt miſericordia Dei Soli ſimilis. Oſtende (petit Eccleſiaſticus 36.) nobis Domine lucem miſerationum tuarum, &c. Quemadmodùm ſol (ut Dominus Matthæi 5. ait) oritur ſuper bonos, & malos, ſic Dei miſericordia probos, improboſque illuminat, ac calefacit, non enim eſt qui ſe abſcondat à calore ejus, ut dicitur Pſalm. 18. Illa impium à cœno impietatis attollit, illa pium in viam pietatis dirigit: illa caduca bona, illa æterna largitur: illa opes, illa virtutes donat. Sol à progenie in progenies, id eſt, per omnes generationes, omniaque tempora lucem: miſericordia dona diffundit. Maximum autem, quod diffundit donum, Incarnatio eſt Divini Verbi, ad quam Ambroſius in Apologia David poſteriori, cap. 12. ait, reſpexiſſe Davidem, cùm ſic precatur Pſalm. 50. Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam mi-*

miſericordiam tuam. Magna (ait Ambroſius) miſericordia facta eſt, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Pſalm. 48. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis, id eſt, oſtende miſericordiam tuam in Incarnatione Verbi, in Chriſto Salutari, ſive Servatore noſtro. Pſalm. 16. petit à Deo Vates, ut miſericordias ſuas mirificet: Mirifica, inquit, miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te. Hieronymus vertit: Mirabilem fac miſericordiam tuam. Equidem tunc, cùm homo factus eſt, mirificavit Deus, admirabilemque fecit miſericordiam ſuam. Succurrebat enim ante Incarnationem hominum miſeriæ abſque labore ullo; per Incarnationem ſummis cum cruciatibus eidem opem tulit: id verò mirificæ, & admirabilis eſt miſericordiæ. O Deum (ſi fas eſt dici) prodigum ſui, præ deſiderio hominis (ait Guarricus ſerm. 1. in Pentecoſte.) An non prodigus eſt, qui non ſolùm ſua, ſed & ſe ipſum impendit, ut hominem recuperaret, non tam ſibi, quàm homini ipſi? &c. Huc-uſque Barradas.

Pro: *Benedictus*

Cornelius ait: In ſanctitate, & juſtitia. Sanctitas Deum reſpicit, conſiſtitque in ſancto Dei cultu; Juſtitia proximum ſpectat, & conſequenter ſe ipſum. Sanctitas ergo tribuit jus ſuum Deo, Juſtitia hominibus: ut ſcilicèt quiſque tribuat cuique id, quod ei debet, vel ex juſtitia, vel ex charitate, ac conſequenter ſibi ipſi tribuat temperantiam, modeſtiam, humilitatem, quibus ſe ipſum rectè ad normam legis, & virtutis componat; hoc enim ſibi ipſi præſtare debet. Sanctitate ergo, & Juſtitia ſignificatur omne officium virtutis, Decalogo præſcriptum: Sanctitas enim præcepta primæ tabulæ reſpicit, quæ Deum ſpectant; Juſtitia ſecundæ, quæ proximum, & ſeipſum concernunt. Hæc ergo ſunt officia, & munia vitæ Euangelicæ, ad quæ Chriſtus nos vocat. Hæc igitur eſt vocatio Fidelium: huc omnes vocamur; ſcilicèt, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Tit. 2. 12. ut, ſcilicèt, ſanctitatem Dei, & Chriſti imitemur, eamque moribus repræſentemus, ut ejus vita, virtus, & ſanctitas in noſtris actibus, quaſi in viva ſui imagine, reſplendeat, ac Chriſtus ipſe in nobis vivere, agere, & loqui videatur, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Tit. 2. 13. juxta illud Pauli: Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Galat. 3. & illud Petri Epiſt. 1. cap. 1. verſ. 15. ſecundùm eum, qui vocavit vos, ſanctum, & vos in omni converſatione ſancti ſitis. Vide ibi dicta, & Niſſenum tract. Quid ſibi velit nomen, & profeſſio Chriſtiani? ubi inter alia ſic ait: Chriſtianiſmus eſt imitatio Divinæ naturæ. Chriſtianiſmi profeſſio eſt, ut homo reducatur ad priſtinam, & antiquam felicitatem. Chriſtianiſmus eſt participatio Chriſti; cùm ergo Chriſtus ſit juſtitia, puritas, & veritas, Chriſtianus eſſe nequit, qui illorum communionem, & ſocietatem in ſe non oſtendit. Unde colligit, Chriſtiani actiones ſimiles eſſe debere actionibus Chriſti, & Dei, id eſt, cæleſtes, Angelicas, Divinas, quales in Euangelio legimus. Quiſque ergo Chriſti vitam, & mores inſpiciat, in iiſque, quaſi in ſpeculo, ſuos mores intueatur, & videbit, an verus ſit Chriſtianus, an fictus, & pictus dumtaxat. Hæc Cornelius. Maldonatus dicit: In ſanctitate, & juſtitia. Theophylactus, & Euthymius ſanctitatem, & juſtitiam ita diſtinguunt, ut ſanctitas ad Deum: Juſtitia ad homines ſit. Itaque his duobus verbis, ut alii quidam adnotaverunt, utramque legis tabulam contineri. Magìs mihi probabile videtur, ut Juſtitia generaliter accipiatur, omnemque virtutem, etiamque ipſam in Deum pietatem comprehendat. Coram ipſo. Omnes ſic interpretantur, non fictè, non ſimulatè, ſed verè, non ſolùm hominum, ſed Dei etiam judicio. Theophylactus, & Euthymius. Phraſis quidem Hæbraica id propriè ſignificat, ut verſ. 6. expoſuimus; ſed tamen hoc loco majorem quamdam vim habere mihi videtur. Opponit enim, niſi fallor, Legi Euangelium. In lege homines non Deum, ſed Moyſem, aut alium Prophetam, vel Sacerdotem videntes, Deo ſerviebant. In Euangelio verò

rò ipſum intuentes Deum, id eſt, Chriſtum, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Itaque omnes facti ſunt docibiles Dei, ex ipſo Dei ore ſalutem haurientes. Joannis 6. 45. Hoc eſt, & quod ait Petrus Actor. 10. 41. & 42. ſe, & ceteros Apoſtolos ordinatos fuiſſe à Deo teſtes Reſurrectionis Chriſti, qui manducaverant, & biberant cum illo. Et Joannes 1. Epiſt. cap. 1. 1. Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis. Omnibus diebus noſtris. Neque his verbis ſolum perſeverantiam, ut Beda & plerique Interpretes putant, ſignificari arbitror. Hoc enim, etſi verum eſt, tamen eſt parum. Ergo per tacitam oppoſitionem inter Euangelium, & legem loqui mihi videtur Zacharias, indicans, ſtatum hunc Euangelicæ vitæ nullum eſſe, niſi in mundi fine finem habiturum, quemadmodum ſtatus veteris legis finem habuiſſet. Neque hoc ad ſolam ſanctitatem, & juſtitiam, ſed ad omnia præcedentia referendum exiſtimo. Ut ſine timore de manibus inimicorum noſtrorum liberati, omnibus diebus vitæ noſtræ ſerviamus illi. Significat enim, Dei beneficium, quod decantaverat, fore perpetuum. Sylveira inquit: Notat Cajetanus, quòd Propheta ſeptem hìc apponit conditiones. Primò eſt libertas: Liberati de manibus inimicorum. Secundò, Divina ſervitus: Serviamus illi. Tertiò, excluſio timoris ſervilis: Sine timore. Quartò, munditia: In ſanctitate. Quintò, Juſtitia fidei, dando unicuique, quod ſuum eſt. Sextò, veracitas: Coram ipſo; ut excludatur omnis fictio, & ſimul ſignificetur reverentia, tamquàm præſente Deo. Septimò perennitas, ſeu jugis continuatio: Omnibus diebus noſtris. Sed ad præſentem textum propius accedamus. In ſanctitate, & juſtitia. Euthymius, & Theophylactus per ſanctitatem, cultum Dei, ſeu reverentiam erga Divina interpretantur: per juſtitiam, eam, quæ eſt ad proximum, ut ait Theophylactus: Juſtitia, hoc eſt, laudata in rebus humanis vita. Divus Bonaventura: Sanctitate quoad ipſum Deum: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Levitici 12. num. 44. juſtitia verò quoad proximum. Dionyſius Carthuſianus, & Hugo (& hæc mihi probabilior videtur) ajunt: In ſanctitate, id eſt, puritate mentali, omni terrena, & carnali affectione excluſa. Juſtitia verò, tam pro diſtributiva, & commutativa, quàm pro omni perfectione virtutum; quæ pietatem tam in Deum, quàm in proximum comprehendat. Toletus hæc habet: In ſanctitate, & juſtitia, &c. Mihi accommodatius viſum eſt, ſi dicamus, juſtitiam ſignificare eam, quæ verè juſtum facit apud Deum, quæ eſt in fide, & dilectione, ex qua omnis mandatorum obedientia procedit, & tam ea, quæ ad Deum, quàm quæ ad proximum ſunt, complectitur: quæ perfecta eſt, nec per legem eſt data, ſed per fidem Chriſti, & Euangelium. Sanctitatem autem non ſignificare hìc pietatem ad Deum, quæ ſub juſtitia continetur, ſed id, quod nos facit naturæ Divinæ conſortes, & Dei filios, & in eſſe quoddam Divinum provehit; ſanctum enim eſt, quod conſecratum eſt Deo, & Deo dicatum, de quo dicitur Epheſ. 1. Ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Quod Zacharias dixit: In juſtitia, Paulus dicit: In charitate, hac enim juſtificamur, hac mandata Dei perficimus. Immaculatos autem appellat propter peccatorum ablationem; ſanctos verò, quia conſecratos, & in Divinum eſſe promotos, & evectos.

Pro: *Nunc dimittis*.

MAldonatus ait: *Quod paraſti, &c. Quem Salvatorem in conſpectu omnium populorum, gentiumque poſuiſti, ut quicumque vellent, ab eo ſalvarentur.* Omnes populos intelligit non tantum Judæos, ſed omnes etiam omninò Gentes, ſicut ſtatim exponit: Lumen ad revelationem Gentium. Admiranda Simeonis fides, qui primo intuitu obvoluti adhuc faſciis infantis myſterium illud cognovit, & credidit, quod vix Petrus Apoſtolorum Princeps poſt viſum, auditumque docentem Chriſtum, poſt illam auditam vocem: Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, Joannis 10. 16. poſt demiſſum de cælo vas illud linteum omni animalium genere refertum, Actor. 10. 11. 14. intelligere potuit, aut credere, Chriſti Redemptionem non ſolùm ad Judæos, ſed ad ceteras gentes omnes pertinere. Cornelius dicit: *Quod paraſti &c.*

An-

Ante faciem (ante oculos, in conſpectu) omnium populorum: ut omnes omnium gentium populi ex Salvatore Chriſto ſalutem hauriant. Quaſi diceret: Deus non abſcondit Chriſtum in angulo Judææ, ſed eum omnibus propoſuit: & mox per Apoſtolos toto orbe deprædicabit, ut quicumque ejus fidem, & legem amplecti voluerint, ab eo ſalventur.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

MIſericordia, dicitur, Dei eſſe, quando notatur, quòd illa à progenie in progenies extenditur. Quomodò eſſet miſericordia longa, & adeò extenſa, niſi Dei eſſet propria? Deo proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ideo miſericordia Domini ejuſdem plena eſt terra. Ideò numquid in æternum proijciet Deus: aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem? Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Poſtquàm ſic locutus eſt David, ait: *Et dixi: Nunc cœpi*. Quia hoc, quod audivimus de longitudine, ac magnitudine Dei miſericordiæ, obligat nos ad ſerviendum ſuæ majeſtati Divinæ. Si aliquid in ipſius ſervitio, Deo eodem adjuvante, egimus, pro nihilo illud computemus, & noviter ſervire Domino adeò miſericordi incipiamus. Ex nunc, & deinceps ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Illi ſerviamus, quia eſt noſter Dominus, & infinitè miſericors. Serviamus in ſanctitate pro miſericordiæ ejus latitudine, longitudine, altitudine, & profunditate; curantes ei in omnibus placere, & ad hoc veram ſanctitatem acquirere. Serviamus illi in juſtitia, quia ex juſtitia tenemur eidem ſolvere juſtitiæ, & perfectionis tributum, cùm ſciamus his eſſe digniſſimum noſtrum miſercordiſſimum Deum. Serviamus coram ipſo, & excitet nos ad omnia opera bona, Dei noſtri miſericordis præſentia. Serviamus illi omnibus diebus noſtris, ut non ſit dies in tota noſtra futura vita, quem non occupemus in celebranda tam grandi, excelſa, immenſa, & inennarrabili ipſius miſericordia. Hæc miſericordia maxima, quæ ſimul eſt miſericordia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, fecit, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit per myſterium Incarnationis Salvator paratus ante faciem omnium populorum: facit etiam, quòd idem Chriſtus in Diviniſſimo Sacramento Euchariſtiæ ſit paratus, ut ſalvet, ut cibet, ut ditet, ut honoret, & recreet filios Catholicæ Eccleſiæ. Ergo confiteamur Deo Deorum, & Domino Dominorum: quoniam in æternum miſericordia ejus: & confitentes ei, ſequentem orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

REpleti ſumus, Domine, muneribus tuis: tribue, quæſumus, ut eorum, & mundemur effectu, & muniamur auxilio. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

DEi muneribus ſumus repleti: quomodò non replebimur conſolatione, & ſuperabundabimus gaudio in omni memoria Domini? Repleti ſunt diſcipuli Spiritu Sancto, & cœperunt loqui: magnalia Dei loquebantur, quia repleti erant Spiritu Sancto, qui eſt Altiſſimi donum Dei, & eſt etiam dator munerum. Igitur ſimus jugiter in laude Dei occupati nos, qui Dei muneribus ſumus in Sacro Altari repleti. Sed ad quid nos Deus donis, & muneribus ſuis in ſuo Altari replet? ad quid nos ſuis divitiis (aperiens manum ſuam, & implens nos benedictione) locupletat, niſi, ut mundemur munerum ipſius Dei effectu, & muniamur munerum eorumdem auxilio? Hoc vult benigniſſimus noſter Deus, & Dominus, nos in Altari munerans; ut ſimus mundi, ac perſeveremus defenſi. Mundabimur quidem effectu Sacræ Euchariſtiæ (quæ habet effectum nos à culpis levibus mundandi, & purifi-

candi) ſi Altari appropiaverimus dignè. Muniemur ejuſdem Sacræ Euchariſtiæ auxilio, fortitudine, ſubventione, atque ſuccurſu, ſi mundam habentes à peccato gravi conſcientiam, Sacræ Menſæ Altaris nos approximaverimus, ut cœleſtem panem edamus. Sed quàm benè, quàm appoſitè, & accuratè noſtra Mater Eccleſia, poſtquàm dicit Deo, nos muneribus Dei ipſius eſſe repletos, priùs nos docet petere, ut eorum mundemur effectu, & poſteà, ut illorum etiam muniamur auxilio! Quibus eſt auxilium Dei munerum? Illis utique, qui cum effectu, & per effectum Sacræ Euchariſtiæ mundantur. Munit Sacra Euchariſtia, quos effectu ſuo mundat: non roborat, & ſtabilit ſordidos, ſive gravibus fædatos, & maculatos criminibus: non fortificat vitii putredine fætidos. Itaque quærat munerum Dei effectum mundantem, qui deſiderat eorumdem munerum fortitudinem, auxilium, atque munimen. Non vult auxilio Dei munerum muniri, qui recuſat eorum effectu abſtergi, purificari, & mundari. Quos verò puriores ejus effectu factos habuerit Euchariſtia Sacra; eos fortiores, atque munitiores conſtituet per auxilium, munimen, atque ſuccurſum: eos magis defendet ab hoſtibus animæ, & corporis, & ab omnibus ingruentibus periculis. Ergo repleti ſumus Dei muneribus in Altari Sancto, ut priùs munerum eorumdem mundemur effectu, ac poſtmodùm illorum etiam muniamur auxilio: & ut per hoc ſciamus, nos ex Altari potiùs debere optare conſecutionem emundationis conſcientiæ ad Dei gloriam, & animarum noſtrarum bonum; quia tali emundationi eſt annexum Dei auxilium per Euchariſtiam Sacram, ad noſtrum ſolatium, & munimen, & ſuccurſum, & levamen. Plùs nobis Deus favet, cùm mundat, quàm quando munit. Quid enim prodeſſet nos eſſe ab inimicis, vel periculis corporalibus tutos, ſi culpa gravi onuſti ad Altare accederemus; vel à levi, ad gravem diſponente animam, non emundaremur per Sacram, quam ab Altari accipimus, Euchariſtiam? Deus benignus munerum ſuorum nos emundat effectu, ut taliter mundati, ſimus auxilio eorumdem munerum ab hoſtibus animæ, & corporis defenſi; taliter communicans, & conferens nobis munditiam per menſam Sacram, ut non fædemur piaculis, ſeu peccatis: & taliter per eamdem menſam nobis auxilians, ut non pateamus periculis.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM

Pro Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ ſeptimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Secundùm deſideria ſua ambulantes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

VErſio Æthiopica ſic habet: *Incedentes in cupiditatibus cordis ſui.* OEcumenius legit: *Juxta concupiſcentias ſuas.* Textus Arabicus: *Secundùm deſideria ſua currentes.* Gloſſa Interlinealis ait: *Secundùm deſideria ſua, in nullo carnis deſideria frænantes, ambulantes de vitio in vitium.* Hugo Cardinalis: *Secundùm deſideria ſua, &c. Quia à carnis voluptatibus, & concupiſcentiis non abſtinent, nec ſe ipſos reſervant. Philipp. 3. d. Multi enim ambulant (de vitio in vitium) quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus,*

Digitized by Google

tui, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Hæc eſt ergo prima cauſa, quarè murmurantes, & queruli, ſcilicèt, concupiſcentia carnis, quam ſequebantur. Jacobi 4. a. Unde bella, & lites inter vos? Nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Nicolaus de Lyra: *Secundùm deſideria ſua ambulantes. Pecunia namque præbet facultatem vivendi voluptuosè, ſecundùm illud Ecclesiaſtes 10. Pecuniæ obediunt omnia.* Eſtius: *Secundùm deſideria ſua ambulantes. Sua, id eſt, carnalia. Notatur enim carnalis eorum, & voluptuaria vita: quippe qui gratiam Dei transferebant in luxuriam. Et, ut Petrus loquitur, voluptatem exiſtimabant diei delicias.* Menochius: *Deſideria. Concupiſcentias.* Tirinus: *Secundùm deſideria ſua; Græcè: Concupiſcentias ſuas, ut effrænes equi, & muli, ambulantes.* Cornelius: *Secundùm deſideria ſua (id eſt, concupiſcentias) ambulantes. Arabicus: Currentes, uti equi effrænes, & æſtro perciti.* Dixerat in Procemio hujus Epiſtolæ idem Cornelius: *Argumentum Epiſtolæ eſt confutare hæreſes jam tum natas Simonis Magi, Nicolaitarum, & Cherinthi, ac mox ex iiſdem naſcituras, Gnoſticorum, Ebionis, Menandri, Baſilidis, Saturnini, Valentini, Marcionis, & ſimilium. Hæreticorum ergo improbos mores graphicè depingit, eoſque quaſi ſeductores, & peſtes cavendos eſſe, docet, ac in fide ſuſcepta conſtanter perſiſtendum eſſe, nè eis contingat quod contigit Hebræis, Sodomitis, & Angelis à Deo apoſtatantibus, qui omnes miſerè perierunt. Ita Sanctus Athanaſius in Synopſi, OEcumenius, & alii. Docuit enim Judas in Aſia minore: ubi florebat ſchola Simonis Magi, contra quam ſcripſit Sanctus Paulus pariter Epiſtolas ad Ephesios, & Colloſſenſes, ad quas hìc reſpicit Judas. Maximè autem inſectatur dogma Simonis docentis, ſolam fidem ſuam (quæ hæreſis erat, & perfidia) ſufficere ad ſalutem ſine bonis operibus: & Gnoſticorum docentium, nullum eſſe peccatum, niſi infidelitatis, ſed omnia eſſe adiaphora, ſcilicèt, bona benè utentibus, mala malè utentibus, ac proinde impunè licere vacare commeſſationibus, & libidinibus: unde Simonianorum, & Gnoſticorum immanes, & infames libidines acriter perſtringit, eiſque acre Dei judicium ab Enoch prædictum intentat. Primò Sanctus Judas, præmiſſa ſalute, hortatur Fideles, ut contra hæreticos blaſphemos, & luxurioſos, pro vocatione, & fide ſua viriliter certent, eò, quòd ipſi ſint apoſtatæ, ſimiles Sodomitis, & Angelis Deo rebellibus, cum eiſque perdendi, & perituri. Deinde verſ. 8. eorum libidines, rebelliones, blaſphemias, & maledicta incuſat, cùm Michael, licèt juſtam habens cauſam, non fuerit auſus maledicere Satanæ. Tertiò verſ. 11. comparat eos Caino, Balaamo, Corè ſeditioſo, eoſque vocat nubes ſine aqua, arbores autumnales, fluctus feri maris, ſidera errantia, de quibus prophetavit Enoch, minans eis acre Dei judicium, cùm ſint murmuratores, pleni concupiſcentiis, ſuperbi, & avari, &c.* Hucuſque Cornelius in procemio; quibus conſonant, quæ præſentem textum: *Secundùm deſideria ſua ambulantes*, explicans, pronuntiat, dum eoſdem hæreticos effrænes, & œſtro percitos vocat.

Reflexiò moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

DE quibuſdam malis hominibus dixit Sanctus Paulus: *Multi ambulant, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Iſtis erant ſimiles illi, de quibus hìc dicit Sanctus Judas: *Secundùm deſideria ſua ambulantes.* Utrorumque finis erit interitus æternus; quia utriſque Deus in Parabolis dicit: *Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Hi ſecundùm deſideria ſua ambulantes, (qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua) quia, dum gulæ, & luxuriæ ſerviunt, ventrem ſuum ſequuntur, & ſuum Deum conſtituunt; hi quidem ſunt, qui proptereà à Deo vero ſententia dicta inuruntur, & ad peſſimum finem pœnæ æternæ deſtinantur; quia mors peccatorum peſſima, & qui oderunt juſtum, delinquent. Pœna peccatorum præteritorum eſt iſtis hominibus, noviter delinquere, & ſecundùm deſideria ſua ambulando, peccata antiqua no-

nobis peccatis augere. Non audivit populus Dei vocem ejus, & Iſrael non intendit illi: & dimiſit eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis. Iſtud accidit multoties malis Chriſtianis. A Deo dimiſſi ſecundùm deſideria cordis eorum, eunt in adinventionibus ſuis, ſecundùm deſideria ſua ambulantes. Dimiſſi eunt, & quò magis ambulant in peccatis, eò magis ſunt perditi, quia à Deo pliùs ſe elongant, & qui elongant ſe ab eo peribunt:ac ſic eſt longè à peccatoribus ſalus, quia juſtificationes Dei non exquiſierunt.Qui factus eſt tamquàm vas perditum, (quod poſtquàm perditum eſt,non ambulat, ſed ibi manet, neque ambulando multiplicat perditionem)non eſt adeò difficile, quòd inveniatur,& emendans vitam ſalvetur; ſed qui errat ſicut ovis, quæ periit, & quæ, cùm periiſſet, ampliùs, & ampliùs multiplicavit perditionem (dum magis, & magis ambulavit, à paſtore, & grege recedens) ac dentibus lupi vicinam ſe ambulando conſtituit; hic, qui taliter errat,niſi Deus magna ſua miſericordia quærat ovem iſtam, incurret poteſtatem diaboli, & damnationem, ac perditionem æternam. Ergo qui peccavimus, non adijciamus iterùm: ſed & de priſtinis deprecemur, ut nobis dimittantur. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas. Non igitur ſecundùm deſideria noſtra ambulemus, ſicut illi homines perditi, ſed audiamus qui ſumus populus Dei, mandata vitæ. Gratiam ad ſalvationem petamus in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ ſeptimæ poſt Pentecoſten,quæ eſt prima in Miſſa illius.

Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus: ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus:& ſapientiæ ejus non eſt numerus. Ipſe per fidem à nobis, ut Deus, qui nec falli,nec fallere poteſt,cognoſcitur: & quia talis eſt, providentia ejus in ſui diſpoſitione non fallitur. Deus noſter, quia infinitè ſapiens, eſt providens, nempe,procul videns: ac ſic à longè videt omnia,quæ fuerunt,ſunt,& erunt in æternitate perpetua, quamvis ille non longè ſit ab unoquoque noſtrùm,in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus. Mille anni ante oculos ſuos tamquàm dies heſterna, quæ præteriit, & vocat ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Itaque eſt omnibus creaturis ſuis, nempe omnibus rebus viſibilibus, & inviſibilibus, intimè præſens noſter Creator, & providens, & æternus, & Omnipotens. Falli non poteſt ejus providentia Divina, quia ejus ſicut eſt veracitas ſumma, ſic eſt & ſumma ſapientia. Ea, quæ vult, diſponit quomodò vult, fortiter, & ſuaviter, atque etiam providenter. Tantum igitur, ac talem Dominum hodie exoramus, ut noxia cuncta ſubmoveat, & omnia nobis profutura concedat: petentes, ſcilicet, ab eo, ut media taliter, ac tam providenter ad finem noſtræ ſalutis diſponat, quatenùs univerſa noſtræ ſalvationi adverſantia excludat: ac det cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſemur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ ſunt apta, ſectari; quando à nobis noxia cuncta ſubmoverit, & omnia nobis profutura conceſſerit. Noxiæ ſunt nobis tenebræ peccatorum, quia filii lucis ſumus: & talem charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus: ac ſic, ut filii lucis ambulemus. Noxiæ nobis ſunt occaſiones peccandi; noxia ſunt nobis ſcandala; & valdè noxiæ amicitiæ, & ſocietates perverſæ. A nobis abigat Deus lubrica gaudia, quæ ducunt ad mortem, & faciunt nos perdere Deum, noſtrum ſcopum, & finem. Cuncta itaque noxia eum rogamus, ut ſubmoveat, quando petimus quo-

quoque, ut omnia nobis proſutura concedat. Proficiet nobis imprimis Dei gratia quia gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, ac gratia, & amicitia liberant: quas nobis ſervemus, nè exprobrabiles fiamus. Proderit nobis Dei inſpiratio, quia, ſi gratiam invenerimus in auxilio opportuno, inſpirabit in faciem noſtram Deus ſpiraculum vitę ad noſtram felicitatem, & ſpiritualiter facti erimus homines in animam viventem. Proficiet nobis pietas erga Deum, & circa Divina, quia juxta Sanctum Paulum, eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Proderit nobis miſericordia Chriſtiana, ut beneficentiæ, & miſerationis nolimus oblivifci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Proficiet nobis confiteri peccata noſtra, & orare pro invicem, ut ſalvemur. Proderit nobis frequenter Sacram Communionem accipere, & ferè omnibus proficiet accedere ad eam ad minùs ſingulis menſibus: quia Sanctiſſima Euchariſtia eſt lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Proficiet nobis audire verbum Dei, & cuſtodire illud, & in manſuetudine ſuſcipere inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas noſtras. Proderit nobis fugere de medio Babylonis, ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam. Proficiet denique habere bonos ſocios, quia cum ſancto ſancti erimus, & cum viro innocente innocentes erimus. Faxit Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, ut (nobis ipſe dignatus eſſe propitius) relata, & alia noxia cuncta ſubmoveat, & omnia bona prædicta, & cetera nobis profutura concedat.

ORATIO SECRETA.

Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum, unius Sacrificii perfectione ſanxiſti: accipe Sacrificium à devotis tibi famulis: & pari benedictione, ſicut munera Abel ſanctifica; ut quod ſinguli obtulerunt ad Majeſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

O Admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Paſſionis! ait Sanctus Leo Papa, Magnus verè appellatus: qui alloquens Chriſtum Dominum Deum, & Redemptorem benigniſſimum noſtrum, ita cum ſolita ſua elegantia proſequitur, ac eloquentiſſimè ſimul, & devotiſſimè fatur: *Traxiſti, Domine, omnia ad te, & cùm expandiſſes tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ Majeſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno, apertoque ſacramento univerſarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt unctio Sacerdotum: quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam, carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: & ita in te univerſa perficis myſteria: ut ſicut unum eſt pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente fit Regnum*. Ex his mirabilibus, & vera, Catholicaque facundia refertis verbis Sancti Summi Pontificis Leonis clarè cognoſcitur, quàm verum ſit illud, quod in hac oratione dicitur Æterno Patri: *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti*. Utinam ipſe Pater Æternus, qui talia per Filium ſuum Unigenitum fecit, & facit (quia Pater Chriſti operatur, & Chriſtus operatur,) Sacrificium à devotis ſibi famulis dignetur accipere, & illud pari benedictione, ſicut munera Abel, ſanctificare. Tunc profectò fiet, ut quod ſinguli obtulerunt ad Majeſtatis Dei ipſius honorem, cunctis proficiat ad ſalutem; ſiquidem quando Abel obtulit munera Domino de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Teſte

Sancto

Sancto Paulo,fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo: & per illam defunctus adhuc loquitur. Ergo, ſi pari benedictione, ſicut munera Abel, dignabitur Pater Æternus ſanctificare ſacrificium, quòd voluerit à devotis ſibi famulis hodie accipere; poterunt iſti ſperare, quòd à ſingulis oblata ad Majeſtatis Dei honorem, cunctis proficiet, ut ſalutem æternam obtineant, & de perpetua beatitudine gaudeant.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

F*Ecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

SYrus legit: *Fecit victoriam in brachio ſuo: & diſſipavit, &c.* Textus Perſicus: *Glorioſos in deſiderio cordis ipſorum diſſipavit.* Perſicus alter: *Robur patravit in brachio ſuo, diſperſos fecit magnificos in cogitatione cordis ipſorum.* Arabicus: *Virtutem, &c. in cogitatione cordis ipſorum.* Æthiopicus: *Diſperſit eos, qui magnificant cogitationes cordis ipſorum.* Alter Syriacus: *Et diſſipavit ſuperbos mente cordis ipſorum.* Vatablus: *Exercuit potentiam brachio ſuo: diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum.* Pagninus, & Arias: *Fecit robur in brachio ſuo.* Textus Hebraicus, & Euthymius: *Præſtitit robur per brachium ſuum.* Aliqua Græca exemplaria: *Fecit imperium brachio ſuo.* Joannes de La Haye in Concordia, & Expoſitione litterali ait: *Multa enim fortitudine, & virtute brachii ſui operatus eſt, multas ab adverſariis ſuis conſecutus eſt victorias. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Licèt aliqui illud: ſui, referant ad cor Dei cum hoc ſenſu: Deus corde ſuo, id eſt, voluntate, & decreto; tamen ex Græco liquet, illud: ſui, referendum eſſe non ad cor Dei, ſed ad cor ſuperborum: unde Euthymius: Deus diſperſit eos, qui corde ſuo erant ſuperbi. Alii denique illud: ſui, referunt ad: Diſperſit mente, id eſt, per mentem, aut per cognitionem cordis ipſorum: quia, ſcilicèt, ſuperba eorum conſilia, & machinationes in ipſorummet exilium retorſit; ita, ut eos diſperſerit. Gloſſa Interlinealis ait: Fecit potentiam in brachio ſuo, & hoc per Filium: diſperſit ſuperbos mente, id eſt, voluntate, cordis ſui.* Beda in Gloſſa Ordinaria: *Fecit potentiam in brachio ſuo, id eſt, ipſo Dei Filio, per quem omnia facta ſunt, per quem omnia poteſt. Per quod brachium diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Initium totius mali ſuperbia, per quam primus homo exul factus eſt, in qua perſeverantibus gravior vindicta futuræ diſperſionis reſervatur.* Origenes in Gloſſa Morali: *Fecit potentiam in brachio ſuo. Timentibus autem ſe fecit potentiam in brachio ſuo, quia, licèt infirmus ad Deum acceſſeris, ſi timueris eum, promiſſam virtutem conſequeris.* Nicolaus de Lyra: *Fecit potentiam in brachio ſuo, id eſt, in Filio ſuo, qui vocatur brachium Domini Iſai. 53. a. Brachium Domini cui revelatum eſt? Diſperſit ſuperbos, id eſt, Legiſperitos, & Phariſæos, qui fuerunt ſuperbi. Mente cordis ſui. Spernentes conſilium Dei, ut dicitur infrà 7. Lucæ cap. Et ipſi cum ceteris Judæis quadrageſimoſecundo anno à Paſſione Chriſti fuerunt capti, & captivati per Titum, & Veſpaſianum, & per orbem diſperſi. Et loquitur hîc Virgo per modum præteriti, propter certitudinem eventus ſuæ prophetiæ.* Eſtius: *Fecit potentiam in brachio ſuo. Brachium metaphoricè pro virtute, ſive potentia, ut alibi ſæpiſſimè. Nec ideò tamen ſenſus eſt: Fecit potentiam in potentia; ſed: Virtute, ſeu potentia ſua fecit actus potentes, id eſt, geſſit res magnas; nam potentia ponitur in hoc verſu pro actu potentiæ. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Illud: ſui, non ad Deum, ſed ad ſuperbos referendum eſt; eſt enim Græcè pluralis numeri, & ita ad verbum verti poteſt: Diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Non eſt igitur hic ſenſus: Deus ſua ipſius cogitatione di-*

ſperſit

Digitized by Google

ſperſit ſuperbos; ſed: Deus diſperſit ſuperbos de cogitatione, & conſilio cordis ipſorum, ut, videlicèt, cogitationem ſuam opere explere non poſſint. Clariùs hoc modo: Diſſipavit ſtudia, & conſilia ſuperborum, ſicut diſſipavit conſilium Achitophel, ſicut diſſipavit ſtudium eorum, qui ædificabant turrim Babel. Menochius: *Fecit potentiam in brachio ſuo. Id eſt, fecit potentiam; eſt enim continuata periphraſis, qua Deus ex rebus à ſe potenter, & mirabiliter factis, eleganter deſcribitur. Porrò, Fecit potentiam, &c. idem eſt, ac: Fecit potenter brachio ſuo, cùm, ſcilicèt, diſperſit ſuperbos, & reliqua patravit, quæ hìc commemorat. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Id eſt, diſperſit cogitationes cordis ſuperborum, id eſt, ipſorum conſilia, & machinationes, efficiens, ut longè diverſum exitum ſortirentur, ac cogitarant.* Tirinus: *Superbos, & elatos tyrannos diſperſit, ut plurimùm mente cordis ſui, id eſt, cogitatione, ſeu machinatione cordis eorum, conſilia, & technas illorum in propria capita retorquens. Sic fecit Pharaoni in mari: Regi Moab in benedictione Balaam: & Chananæis, Philiſthæis, aliiſque Gentibus toties.*

Pro: *Benedictus.*

SYlveira *dicit: Ait textus: Omnibus diebus. In plurali, ait; quia in hoc ſæculo ſunt dies; at in Patria una eſt tantùm dies, cui nox, vel dies alterna non ſuccedit. Omnibus diebus; ad differentiam legis veteris; quæ, cùm terminum reſpiceret, in adventu Chriſti, in quo evacuata fuit, nullo modo poterat dici permanens omnibus diebus: quod propriiſſimè aſſeveratur de lege Gratiæ, quæ eſt uſque ad finem mundi. Omnibus diebus noſtris; quia tempus hujus vitæ nobis conceditur, ut noſtrum ſit, ut in eo poſſimus benè operari. Joan.* 9. Toletus inquit: *Coram ipſo omnibus diebus noſtris. Alias duas circumſtantias adhibet Zacharias, præter quinque præcedentes; non ſolùm per Chriſtum liberati ſumus de manu inimicorum, ac ſine timore, & Deo ipſi ſervimus in ſanctitate, & juſtitia; ſed etiam coram ipſo, & omnibus diebus noſtris. Coram ipſo, poteſt referri ad juſtitiam, & ſanctitatem, ut hæ dicantur coram ipſo, quia juſti efficimur, & ſancti verè, & in conſpectu Dei, non ſimulatè, aut apud homines ſolos. Accommodatiùs autem refertur ad verbum ſerviendi; nos enim non ſervimus Chriſto, ſicut Patres illi, qui fide ſola eum præſentem habebant, carne nondum ſumpta; at nos coram ipſo, quia homo factus eſt, & in conſpectu ejus ſumus. Præterea, quia etiam inter nos eſt, & nobiſcum eſt quotidie in Sacramento Euchariſtiæ. Matthæi* 28. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Dicitur autem (Omnibus diebus:) quod non ſolùm perſeverantiam ſignificat, ſed etiam ſtatus Evangelici à legis ſtatu differentiam; lex enim per Chriſtum ceſſatura erat: unde, cùm Chriſtus expectaretur, nemo illorum poterat certus eſſe, ſe ſub lege ſerviturum Deo omnibus diebus vitæ ſuæ; at Evangelium durabit uſque ad finem mundi, nec per legem, aut Evangelium aliud evacuabitur, ſicut evacuata eſt lex: idcircò ſervimus Deo omnibus diebus noſtris. Hæc ſunt, quæ Evangelium præſtat, & Zacharias Spiritu Sancto illuminatus prophetavit, quæque Geneſ.* 22. *illa benedictio, qua Gentes erant benedicendæ per Chriſtum, indicavit.*

Pro: *Nunc dimittis.*

VIncentius Regius ait: *Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Ante faciem. Quaſi dicat, tamquàm ſignum aliquod conſpicuo, editoque loco poſitum, ad quod convertantur omnium oculi. Videtur alludere ad Iſaiæ* 11. *Et erit in ſignum omnium populorum: ſed præſertim ad illud Iſaiæ* 52. 10. *Paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium, id eſt, exeruit, nudavit, expedivit; quarè ſequitur: Et videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Eſt ergo ſenſus; Quod, ſcilicèt, Salutare tuum paraſti, id eſt, expoſuiſti, nudaſti, expediviſti in conſpectu omnium populorum, & gentium, quod omnes aſpiciant, ut quicumque velint, ab eo ſalventur.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

FAciens miſericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus, fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, ut ſalvaret filios Adæ. Sunt multæ miſericordiæ Dei, qui ſecundùm judicium ſuum vivificavit nos, cùm multi eſſent, qui perſequebantur nos, & tribulabant nos. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus. In his miſericordiis pluribus, id eſt, in pluribus actibus miſericordiæ Dei unius (quia eſt tantùm una Divina miſericordia, Dei attributum, ſicut eſt unus ſolus Deus) invenimus Deum nobis faviſſe, quando Virginem (& in ea nobis magnam advocatam) ad Incarnationem Verbi Divini præparavit: quando miſit Filium ſuum in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum: & tunc faciens hos, & alios miſericordiæ actus, mundo ſuccurrit perdito Pater Æternus, faciens potentiam in brachio ſuo. O potentia noſtri Sanctiſſimi Conditoris, nobis valdè proficua, quando ſtipata, & aſſociata noſcitur ejuſdem Domini benignitate, & miſericordia excellenti! Age jam ſerviamus Creatori noſtro in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo. Introeamus in conſpectu ejus in exultatione; introeamus portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis: confiteamur illi. Laudemus nomen ejus, quoniam ſuavis eſt Dominus, in æternum miſericordia ejus. Serviamus in ſanctitate ei, qui nos ex nihilo fecit: ſerviamus quoque in juſtitia illi, qui nobis Redemptionem paravit. Paratus fuit à Patre Æterno Chriſtus noſter Redemptor ante faciem omnium populorum: ut laudent Dominum omnes gentes, laudent eum omnes populi: quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus. Stabilita fuit quidem ſuper nos miſericordia Dei, quando ex nihilo nos creavit: confirmata, quando in Sacra Euchariſtia convivium nobis paravit. Ipſe eſt, qui dicit: *Ecce prandium meum paravi: venite ad nuptias*. Rex potens eſt qui invitat: Ecce potentia, qua nos creare conſtituit. Fecit nuptias filio ſuo: Ecce qualiter per ſuum Filium in thalamo Virginis, humanæ naturæ deſponſatum, nos redimere decrevit. Prandium ſuum paravit: Ecce quomodò ad nos (ab ipſo creatos, & redemptos) cibandos, menſam Euchariſticam inſtituit. Sed jam intrat Rex, ut videat diſcumbentes. Caveamus, nè videat, hominem non veſtitum veſte nuptiali gratiæ, accedere ad Sacram Divini Convivii menſam: quia ſi talem invenerit ingreſſum fuiſſe ad ſuum Convivium regale, dicet Rex miniſtris: *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et meritò: nam qui in peccato mortali Euchariſtiam accipit, Deum tria prædicta operantem ad noſtrum beneficium, provocat, offendit, & irritat: provocat quidem creantem, offendit redimentem, & irritat invitantem. Creantem provocat, quia naturam à Deo in creatione acceptam, contra Deum ipſum vibrat: redimentem offendit, quia Redemptionis fructus peſſumdat: & invitantem irritat, quia in peccato Sacram Communionem ſumens, Corpus, & Sanguinem Chriſti calcat. Timor, quem hæc nobis incutiunt, affert nobis utilitatem, ut humiliter Deo præſentemus poſt Divinum prandium ſubſequentem orationem:

Oratio poſt Communionem.

TUa nos, Domine, medicinalis operatio, & à noſtris perverſitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ ſunt recta, perducat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

A*Ltiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis*. Hæc verba Eccleſia-

ſtici

ſtici denotant excellentiam, vel humanæ, medicinæ: & ex eis colligere debemus, quanti pendere nos eſſe obligatos medicinam cœleſtem ſpirituales infirmitates curantem. Ad duo proficit medicinæ terrenæ operatio; quæ & humorem noxium, vocatum peccantem, eruit, ac è corpore ejicit: & in idem corpus ſpiritus bonos, ac ſalutiferos ingerit: præſtat vires medicina, ut à noxiis corpus evacuetur: dat quoque remedium, ut ſanitas ſtabiliatur. Quid non faciet boni operatio Dei medicinalis, quando taliter noſcitur proficere operatio medicinæ terreſtris, ſeu mundialis ad utilitatem infirmitatem patientis? Proficua quidem res eſt, quæque extat prudentum æſtimatione, & appretiatione digna, Dei medicinalis operatio, quæ dum explodit nociva, poteſt infundere ſalutaria. Verè Medicus noſter eſt Chriſtus. Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus. *Tolle morbos, tolle vulnera, & non eſt opus Medici*, ait Sanctus Auguſtinus, cùm anteà dixerit: *Nulla fuit cauſa Chriſto veniendi, niſi ut peccatores ſalvos faceret*. Princeps eſt pacis idem benignus Redemptor noſter. Apprehendamus igitur hunc virum unum (Filium Dei, & ideò verum Deum, Filium Beatæ Virginis Mariæ, ideòque hominem ſanctum) Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum in hac die dicentes: *Princeps eſto noſter*: neque timeamus, quòd audietur ipſe dicere: *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis: nolite me conſtituere Principem populi*: quia factus eſt Principatus ſuper humerum ejus: venit, ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus: eſt panis vivus, qui de cœlo deſcendit: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ipſe dabit, caro ſua eſt pro vita. Et ſimul, juxta Eccleſiaſticum, amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum invenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam ſecundùm illum erit amicus illius. Itaque reſina eſt in Galaad, (id eſt, medicina in Sancta Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana) & medicus eſt ibi (quia Chriſtus Deus, & homo eſt realiter, & verè præſens ad nos curandos in Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento.) Poſtquàm igitur Sacerdotes Corpus, & Sanguinem Chriſti hodie in Altari accepimus, & Fidelibus etiam Sacram Communionem diſtribuimus: Æterno Patri, qui nos per Filium ſuum in Sacra Euchariſtia, & cibat, & ſanat, dicimus: *Tua nos, Domine, medicinalis operatio, & à noſtris perverſitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ ſunt recta, perducat*: Ut, quia Jeſus eſt medela vulnerum, & ſpes una ſanitatum, ipſius ſui Sacramenti medicinalis operatio (nam Filius omnia ad extrà operatur cum Patre Æterno) & noſtras infirmitates ſpirituales explodat, expellat, atque releget, ſimulque nos in vera ſalute virtutum Chriſtianarum conſtituat, ſtabiliat, ac firmet.

Digitized by Google

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM

Pro Dominica octava poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ octavæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Et os eorum loquitur ſuperba.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabicus Textus legit: *Loquuntur prætumida*. Æthiopicus: *Et cor eorum, & os eorum loquuntur blaſphemiam*. OEcumenius: *Loquuntur tumida*. Syrus: *Loquitur ſtupenda*. Alter Arabicus: *Implicant in maximis ora ſua*. Græcus: *Os eorum loquitur tumida, excelſa, faſtuoſa, omnem modum, fidemque excedentia.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Potius hoc intellige de ſuæ ſcientiæ præſumptione*. Gloſſa Interlinealis: *Os eorum, &c. Jactant ſe nullo timore dimiſſuros quod agunt, ſe ſolos Deum cognoſcere*. Hugo Cardinalis ſic explicat: *Os eorum loquitur ſuperbiam. Quia ſe ſolos dicunt Deum cognoſcere, & neminem ſalvari poſſe, niſi in ſua ſecta. Et quid mirum? Membra ſunt enim illius ſuperbi, de quo prædixit Daniel 11. ſ. Elevabitur, & magnificabitur adverſus omnem Deum, & adverſus Deum deorum loquetur magnifica*. Nicolaus de Lyra: *Et os illorum loquitur ſuperbiam. De ſuis operibus, & doctrina falſa, & inaniter ſe jactando, & prædicatores veritatis contemnendo*. Eſtius: *Et os eorum loquitur ſuperba. Multi Codices legunt: Superbiam; ſed meliores: Superba: ſuffragante Editione Romana. Græcè quoque eſt: Tumida, ſuperba. Vox eadem, quæ apud Petrum; ubi nos legimus: Superba enim vanitatis loquentes, &c. Cùm, inquit, cæno ſuarum cupiditatum ſeſe turpiter involvant, tamen, ut habeantur in pretio, verba tumentia, & magnifica loquuntur. Hoc quomodò competat in Gnoſticos, & ex ſchola Simonis exortos, in Commentario Petri declaratum eſt. Superba, mutandi in: Superbiam, occaſio fuit ex verbis Pſalm. 16. Et os eorum locutum eſt ſuperbiam.* Cornelius à Lapide: *Et os eorum loquitur ſuperba. Perſtringit Sanctus Apoſtolus Judas Thaddæus faſtum Marci, & Gnoſticorum, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 9. Perfectos, ait, ſe ipſos vocant, quaſi nemo poſſit exæquare magnitudinem agnitionis ipſorum, nec ſi Paulum, ac Petrum dicas, vel alterum quemdam Apoſtolum, ſed plùs omnibus ſe cognoviſſe, & magnitudinem agnitionis illius, quæ eſt inennarrabilis virtutis, ſolos ebibiſſe: eſſe autem ſe in altitudine ſuper omnem virtutem. Quapropter & liberè omnia agere, nullum in nullo timorem habentes, propter enim redemptionem & incomprehenſibiles, & inviſibiles fieri Judici. Subdit, eos ipſum Judicem ad ſummum Dei tribunal citare. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur, ait Tertullianus de Præſcript. cap. 41. Narrat Sanctus Gregorius 18. Moralium, cap. 27. aliàs 38. hæreticum quemdam dixiſſe, ſe non invidere Chriſto Deo facto, quoniam, ſi vellet, & ipſe poſſet fieri. Alii vocabant ſe Catharos, id eſt, puros: alii Manichæos, quaſi manna fundentes: alii Noetos, quaſi intelligentes. De ſuperbia Lutheri, & Calvini dixi 2. Petri, 2.* Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

DEus ultionum Dominus; Deus ultionum liberè aget. Exaltabitur qui judicat terram: reddet retributionem

ſuper.

ſuperbis. Uſquequò peccatores, Domine; uſquequò peccatores gloriabuntur: effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur injuſtitiam? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Beatus homo, quem Dominus erudierit, & de lege ſua docuerit eum: ut mitiget ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fovea. Peccatores profectò, de quibus Sanctus Thaddæus loquitur, digni ſunt hac fovea, quia os eorum loquitur ſuperba. Adeò ſuperbè aſcendunt, ut ponant in cœlum os ſuum, ſed lingua eorum tranſit in terra, & ut inimici Dei, terram lingent, ſiquidem ſuperbia eorum, qui eum oderunt, aſcendit ſemper. Dejicit eos Deus, dum allevantur: ſicut vapor, qui eſt auſus ad cœlum ſcandere, inde factus jam fulmen, videtur clariſſimè præcipitatus deſcendere. Quid vapori confert illud tronitruum homines timore replens; & illa iſtantanea lux, qua poſtquàm eſt fulgur, effulget: quando citiſſimè præcipitio cadit, & in terræ antris ſe, abſcondit? Periit memoria ejus cum ſonitu. Id eveniet quoque ſuperbis, dum os eorum loquitur ſuperba. Satius illis, ſicut vapori, eſſet per terram repere, & in altum non attolli. Terram complexi, ſi eſſent humilitati addicti, quamvis ſuis verbis non perterrefacerent homines, & non viderentur coruſcare inter mortales vano illo, ac brevi ſplendore ſuæ ſophiſticæ, ac fallacis eloquentiæ; tamen manerent ſecuri, nec de ſuperba ſua elevatione præcipitati deſcenderent ad terræ centrum, ſilum infernale; atque æternum ſepulchrum. Ergo nolimus altum ſapere, ſed timeamus. Daniel aſpiciebat propter vocem ſermonum grandium, quos cornu illud loquebatur (nempe cornu beſtiæ terribilis, atque mirabilis:) & vidit, quoniam interfecta eſſet beſtia, & periiſſet corpus ejus, & traditum eſſet ad comburendum igni. Ecce interfectio, & ignis ſequuntur vocem ſermonum grandium: quia illi, quorum os loquitur ſuperba, quamvis multos terruerint, & pluribus apparuerint mirabiles, poſt breve tempus, quia ut beſtiæ vixerunt, morti tradentur, & igni barathri infernalis, ſive gehennæ traditi, comburentur, & perpetim cruciabuntur. Quid illis proderit ſuperbia? Periit quidem, & tranſiit velut umbra. Ergo nos ſanum conſilium capientes, humiliemur ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore viſitationis. In ſpiritu quoque humilitatis, duas ſequentes Deo noſtro præſentemus Orationes.

Oratio Officii Dominicæ octavæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

L*Argire nobis, quæſumus Domine, ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius, & agendi: ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundùm te vivere valeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

APeriente Domino Deo noſtro manum ſuam, omnia implebuntur bonitate. Emittet ſpiritum ſuum, & creabimur, & renovabit faciem terræ. Ecce, quarè dicimus Deo hodie: *Largire nobis, quæſumus Domine, ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi*: quia quòd cor mundum creet in nobis Deus, & ſpiritum rectum innovet in viſceribus noſtris: quòd non projiciat nos à facie ſua, & Spiritum Sanctum ſuum non auferat à nobis: quòd reddat nobis lætitiam ſalutaris ſui; & ſpiritu principali confirmet nos; hoc eſt, quòd habeamus bonum ſpiritum ſemper cogitandi, quæ recta ſunt, & eadem recta agendi, provenit à Dei propitiatione, ab ejus manuum apertione, ac à Divina, & mirifica Domini ipſius nobis valde proficua largitate. Ideò à Deo quaſi creamur recta cogitando, & ſpiritualiter renovamur recta agendo, quia vult Dominus ad hæc bona nobis dandum emittere Spiritum ſuum: & niſi ipſe largiretur nobis ſemper ſpiritum recta cogitandi, propitius, & agendi, neque valeremus cogitare, neque agere recta, vitæ æternæ meritoria. Talis eſt ſine gratiæ Dei adjutorio imbellitas, ſeu imbecillitas, impotentia, & inſufficientia

tia noſtra ad cogitationes ęternę ſalutis,& opera ſalutaria. Utinam, ut creemur, & renovemur ad noſtram ſalvationem, experiamur, noſtrum Deum, & Dominum emittere Spiritum ſuum. Speramus, quod Pater noſter cœleſtis dabit (ut ait Chriſtus Dominus) ſpiritum bonum timentibus ſe, ut Spiritus ſuus bonus deducat nos in terram rectam, & ipſe Dominus ſua motus miſericordia, propter nomen ſuum vivificet nos in æquitate ſua. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis,tamquàm à nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Gratia Dei ſumus id, quod ſumus, ſi boni ſumus, ſi cum merito vitæ æternæ recta cogitamus, & agimus. Faxit Deus, ut largiatur ipſe nobis ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius, & agendi, nè, cùm benè incæperimus, in via deficiamus; quia non datur corona gloriæ benè incipientibus, ſed in gratia uſque ad mortem fideliter perſeverantibus. Sanctus Paulus bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit, ideòque repoſita eſt ei corona juſtitiæ, quam reddidit illi juſtus Judex. Sed, ut notat optimè Sanctus Auguſtinus, cui redderet coronam juſtus Judex, ſi non donaſſet antea gratiam miſericors Pater? Quomodò iſta corona debita redderetur, niſi priùs illa gratia gratuita donaretur? *Bona opera* (proſequitur Sanctus Auguſtinus) *quæ commemorat Sanctus Paulus, ſi non ea præceſſiſſent cogitationes bonæ, nulla eſſent.* Et propterea hodie in oratione hac petimus à Deo miſericorde, quòd per donum gratiæ ſuæ det nobis ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi: ut priùs, Deo dante, bona cogitemus, ac poſteà, Deo etiam concedente, bona agamus: atque ita meritoriè ad æternam ſalvationem operemur. Non petimus tantùm gratiam ad recta cogitandum; poſtulamus gratiam ad recta quoque agendum; quia, cui non datus fuerit ſpiritus benè agendi, non proderit ad ſalutem, ſpiritus bona tantùm cogitandi. Si ergo recta ſemper cogitantes, & ſemper recta agentes vitam noſtram diſpoſuerimus, diſponemus ſermones noſtros in judicio, quia in æternum non commovebimur: & evidens erit ſignum, quòd noſter Deus, & Dominus (quia gratia prima non cadit ſub merito) mera ſua liberalitate, & ſine merito noſtro, largitus eſt nobis ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi. Hæc petimus (& hæc Deus, quando vult, largitur:) ut qui ſine illo eſſe non poſſumus, ſecundùm eum vivere valeamus. Sine Deo quidem non poſſumus eſſe, vel conſervari, nec eſſe boni, & perfecti; ſed cum Deo omnia poſſumus; & ſecundùm illum vivere valebimus, ſi aſpirante ejus gratia, iſti cooperari voluerimus, inclinantes liberum arbitrium ad Dei ipſius obſequium, cum Deo, & ſecundùm Deum viventes, agentes opera ſalutaria, vitæ æternæ meritoria.

ORATIO SECRETA.

Suſcipe, quæſumus Domine, munera, quæ tibi de tua largitate deferimus: ut hæc ſacroſancta Myſteria, gratiæ tuæ operante virtute, & præſentis vitæ nos converſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Deo noſtro de ſua largitate hodie deferimus munera: & ea petimus ſuſcipi ab eadem Majeſtate Divina. Si hæc quæ poſcimus,obtinuerimus à noſtro Deo, & Domino, Sacroſancta Altaris Myſteria, gratiæ Dei ipſius operante virtute, ad gaudia nos ſempiterna perducent, poſtquàm præſentis vitæ converſatione nos ſanctificaverint. Priùs petimus ſanctificari, & poſteà ad gaudia ſempiterna perduci. Non poſſumus quidem ſine ſanctificatione in illam cœleſtem Civitatem intrare. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens,& mendatium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. Quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino. Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni:

Agni.: ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Utinam igitur, ut habitemus in tabernaculo Dei, & ſtemus in loco ſancto ſuo, ingrediamur ſine macula, & operemur juſtitiam: loquamur veritatem in corde noſtro, & non agamus dolum in lingua noſtra: nec faciamus proximo noſtro malum, & opprobrium non accipiamus adverſus proximos noſtros: & faxit Deus, quòd ad hæc mala vitanda, ac illa bona facienda, ipſe nos præſentis vitæ ſanctificet converſatione, gratiæ ſuæ operante virtute: atque ita digni ſimus, qui ad gaudia ſempiterna perducamur. Hæc nobis impetrabunt Sacroſancta Altaris Myſteria, ſi Deus ſuſceperit munera, quæ hodie Domino eidem offerimus de ſua largitate Divina. Niſi Deus nobis eſſet largitus ea, quæ ipſi littamus, nihil, quod ei libare valeremus, nobis eſſet; ſed ipſius Dei largitate Divina nobis ſuccurrente, habemus quod ei offerimus, & quidquid muneris in Altari ſiſtimus, ac collocamus. *Da, Domine, quod jubes, & jube quod vis*, ait Sanctus Auguſtinus. Dat profectò Deus noſter nobis, quod ipſi immolamus, & ideò præcipienti nobis littationes benè obedire valemus. Gratias igitur agamus Domino Deo noſtro, quia dignum, & juſtum eſt, cùm ipſe dederit nobis munera de ſua largitate, quæ quidem munera illi poſſimus deferre: quatenùs ea tantus, ac tam pius Dominus ſuſcipiens, nobis concedat, ut Sacroſancta Altaris Myſteria, gratiæ Dei ejuſdem operante virtute, nos ſanctificent converſatione præſentis vitæ, & nos perducant etiam ad ſempiterna gaudia beatæ, & cœleſtis gloriæ.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

FEcit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Hæc eſt illa miſericordia, quam ſe timentibus exhibuit Deus; quia Verbum ſuum per aſſumptam carnem in hunc mundum miſit: ut per ipſum aereas poteſtates potenti virtute debellaret, & genus humanum ab earum poteſtate redimeret. Ipſi namque ſuperbi ſunt: quos diſperſit ejiciens eos foràs à cordibus hominum, atque ſpolia eorum diripiens. Nam, qua priùs in hominibus principabantur, virtutem diſſipavit. Fecit, inquit, potentiam in brachio ſuo: quia per humilitatem Filii ſui diabolum vicit. Ideò fecit potentiam in brachio ſuo. Brachium ejus, Filius ejus eſt. Potentiam in brachio fecit: quia per id, quod factum eſt in ipſo, redemptum eſt quod factum eſt ab ipſo. Fecit potentiam, fecit infirmitatem, & ipſa infirmitas potentia fuit; quia per illam victus eſt diabolus, & homo de ejus poteſtate ereptus.* Vincentius Regius dicit: *Fecit potentiam. Divus Auguſtinus cum quibuſdam aliis, hæc de Verbi œconomia intelligit. Qua de re vide quid habeat Viegas cap.12. Apocal. comment.1. de Beata Virgine, ſect.2. n.3. Alii, & quidem probabiliùs, ad eductionem populi de ſervitute Pharaonis pertinere arbitrantur: quaſi diceret Beata Virgo: Eduxit plebem ſuam manu potenti, & brachio robuſto de Ægypto. Qua de re Deut.5. Memento, quòd ſervieris in Ægypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus inde, in manu forti, & brachio extento. Et cap.7. Recordare quæ fecerit, &c. Meminerat autem, ut ſuperiùs Dei miſericordiæ, ita hîc potentiæ.* Maldonatus inquit: *Fecit potentiam in brachio ſuo. Intelligendum relativum: Qui, ſicut in præcedentibus. Eſt enim continuata periphraſis, qua Deus ex rebus à ſe potenter, & mirabiliter factis eleganter deſcribitur. Brachium Hebræorum idiomate potentiam ſignificat, quòd in brachiis, ac lacertis virorum robur, & vires eſſe ſoleant. Exempla in Pſalmis paſſim occurrent, ut Pſalm.10.15. & 36.17. & 43.4. & 70.18. & 76.16. & 78.11. Itaque ſæpè*

ſolet

Digitized by Google

ſolet brachium, quò res magìs explicetur, cum potentia, & fortitudine conjungi, ut Job 22. 8. *Pſalm.*88. 11. 14. *Iſaiæ* 51. 9. & 62. 8. & *Danielis* 11. 6. *Quod ergo dicit: Fecit potentiam in brachio ſuo, perinde eſt, ac ſi diceret: Fecit potenter brachio ſuo, potenter brachio ſuo, potenter manu ſua rem geſſit; aut declaravit, quàm potens brachium ſuum eſſet*. Cornelius ſic loquitur: *Fecit potentiam (Syrus: Victoriam. Arabicus: Virtutem.) in brachio ſuo: diſperſit (Syrus: Diſſipavit.) ſuperbos mente cordis ſui. Laudavit Virgo Dei clementiam, & miſericordiam in pios ſe timentes; nunc ex adverſo laudat ejuſdem ſeveritatem, & juſtitiam in impios ipſum contemnentes. In brachio ſuo. Dei robur, & potentia ſignificatur per manum, digitum, dexteram; ſed maximè per brachium; virorum enim vires reſident, ſeſeque exerunt in brachiis, & lacertis. Senſus ergo eſt, quaſi diceret: Deus potenti ſua fortitudine, ceu brachio ſuo, multa potenter operatus eſt ab omni ævo, uti cùm Pharaonem per Moſen: Chananæos per Joſue, & Judices: Philiſtinos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos per Davidem contrivit, vicit, ſubjugavit: multò magìs jam idem Deus in me potenter incarnari fecit Chriſtum, per quem potenter debellabit Luciferum, infernum, mortem, peccatum, omneſque impios. Unde Beda, & Theophylactus myſticè per brachium hic intelligunt Filium Dei in Virgine incarnatum. Hic enim eſt Dei virtus.* 1. *ad Corinth.*1.24. *Alludit ad Iſaiæ* 5.3. 1. *Brachium Dei cui revelatum eſt? Vide ibi dicta.* Hucuſque Cornelius.

Pro: *Benedictus*.

SYrus legit: *Et tu puerule, ut pares viam ejus*. Syrus alter: *Quandoquidem ambulabis*. Perſicus: *Et tu, o fili, Propheta Dei vocatus eris: & ante faciem Domini ibis, & viam ejus planam reddes*. Perſicus alter: *Ut rectam viam facias ejus*. Æthiopicus: *Et tu parvule, &c. ibis coram facie Dei parare vias ejus*. Vatablus: *Et tu puelle Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini ad parandum vias ejus*. Beaulxames ex Græco: *Et tu puelle omni publico teſtimonio Propheta Altiſſimi vocaberis*. Beda in Gloſſa Ordinaria ait: *Et tu puer, &c. Non mirum, ſi alloquitur infantem octo dierum, quia qui in utero matris ſalutationem Mariæ audivit, jam natus patris vocem agnovit. Vel propter illos inſtruendos, qui aderant, futura filii munera, quæ per Angelum didicerat, depromit. Beda: Cùm de Domino loqueretur, repentè ad Prophetam verba convertit, ut hoc quoque beneficium eſſe Domini deſignaret, nè, cùm publica numeraret, quaſi ingratus ſua beneficia taeuiſſe videretur: quæ agnoſcebat ſe in filio ſuſcepiſſe*. Gloſſa Moralis: *Et tu puer, &c. Gregorius: Quiſquis autem prædicando, à ſordibus vitiorum audientium corda mundat, Domini venientis ad cor viam præparat. Et ſic patet, quòd per Joannem prædicator Euangelii deſignatur*. Nicolaus de Lyra: *Et tu puer. Hic conſequenter exprimit in Cantico, quæ pertinent ad Præcurſorem, dirigens ad ipſum ſermonem. Si autem quæratur, quarè ad ipſum ſermonem dirigeret, cùm puer adhuc non intelligeret? Dicunt aliqui, quòd virtute ſupernaturali intelligebat patrem loquentem, ſicut intellexit Chriſtum in utero Matris exiſtentem, ut prædictum eſt. Alii autem dicunt, quòd ſic loquebatur puero non propter ejus intellectionem, ſed propter aliorum intellectionem de myſterio Incarnationis, qui habebant uſum rationis. Propheta Altiſſimi vocaberis, &c. Contra hoc videtur illud Joannis* 1. *quòd Joannes Baptiſta negavit ſe eſſe Prophetam. Ad quod dicendum, quòd verum reſpondit ſecundùm intentionem quærentium, quia quærebant, ſi eſſet unus de antiquis Prophetis, ut Elias, Eliſæus, vel hujuſmodi, ut patet ibidem: & ſecundùm veritatem non erat unus de illis. Aliter etiam dicitur, quòd negavit ſe eſſe Prophetam tantùm, quia fuit Propheta, & plùs quàm Propheta, ſecundùm teſtimonium Salvatoris Matthæi* 11. *Præibis enim ante faciem Domini. Id eſt, ante Filium Dei, qui eſt ſimilitudo, vel facies Dei Patris. Per faciem enim deſignatur notitia, ſecundum Gregorium ſuper Ezechielem. Ea autem, quæ ad notitiam pertinent in Divinis, Filio appropriantur. Parare vias. Per prædicationem* Chriſtum *annuntiando, & per baptiſmum aſſuefaciendo, quia homines per baptiſmum Joannis diſponeban-*

neban-

Digitized by Google

nebantur ad faciliùs recipiendum baptiſmum Chriſti. Menochius: *Et tu puer. Eſt Apoſtrophe ad filium ſuum Joannem. Propheta Altiſſimi vocaberis. Joannes ſingulari quadam ratione Propheta fuit Altiſſimi, quia nimirum ad Filium Dei advenientem oſtendendum, & ad populos, ut eum agnoſcerent, præparandos, miſſus eſt. Itaque à Chriſto Propheta, & pluſquàm Propheta appellatur, Matthæi* 11. 9. *Præibis enim ante faciem Domini. Præivit Joannes, quia ante Chriſtum prædicandi munus aggreſſus eſt. Parare vias ejus. Paravit viam Chriſto, quia populos per pœnitentiam diſpoſuit, ut Euangelium, quod Chriſtus allaturus erat, reciperent. Porrò viæ Chriſti ſunt fides, dilectio, & ejus cultus, quibus in corda noſtra recipitur.* Emmanuel Sà in Additionibus ad Catenam Auream Euangelicam: *Parare vias ejus. Pro: Ad parandum. Quod quid ſit, ſtatim explicat. Ad dandam ſcientiam, &c.*

Pro: *Nunc dimittis.*

SYlveira hæc habet: *Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Sanctus Ildefonſus ſerm. de Purificatione, ait: Simeon propheticè oculum ad futurum diem Judicii intendit, quando Chriſtus per humanitatem ab omni carne videbitur, ut videat eum omnis oculus, & reddat unicuique ſecundùm opera ejus. Tamen communis expoſitio eſt de Adventu Filii Dei in carne humana.* Toletus dicit: *Quod paraſti, &c. Verba ſunt attendenda; paraſti, inquit, ſalutare, quia Filium tuum carne induiſti, & hominem feciſti; hoc eſt Salvatorem, ſeu ſalutare parare. Ante faciem, inquit, populorum: quod ſignificat non ſolùm manifeſtationem, ut omnes Salvatorem agnoſcere valeant, ſed etiam libertatem eorum; ut, ſi velint, ſalutem paratam adipiſci queant, juxta illud Eccleſiaſtici* 15. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Illud autem (omnium) tam Judæos, quàm Gentes complectitur, pro quibus ſalvandis venit Chriſtus.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

BRachium Domini cui revelatum eſt? Utique (quia brachium ſignificat Dei Filium in Myſterio ſuæ Incarnationis, qua, & reliquis Myſteriis Chriſti declaratur potentia Dei Patris;) quamvìs verum ſit, quòd nemo novit Filium, niſi Pater; tamen Pater ipſe abſcondit Chriſti Myſteria à ſapientibus, & prudentibus, & revelavit ea parvulis: itaque parvulis, id eſt, humilibus, revelatum eſt Domini brachium, hoc eſt, mirabile Incarnationis Myſterium. Revelatum fuit parvulo Joanni in ventre matris exiſtenti, de quo canit Eccleſia: *Ventris obſtruſo recubans cubili, ſenſeras Regem thalamo manentem.* Hic Joannes puer Propheta Altiſſimi vocatur: præivit enim ante faciem Domini parare vias ejus Domini, quem agnovit humilis Simeon, ut Salutare Dei paratum ante faciem omnium populorum. Eja dicamus Æterno Patri loquentes de Baptiſta Joanne, & de Simeone ſene: *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.* Thabor interpretatur: *Electio, Puritas*; Hermon ſignificat idem, quod *Deſtructio*. Ecce quomodo Joannes electus & purus, ac Simeon deſtruens, & vincens ſua confeſſione de Chriſto, errores perfidæ Judaicæ plebis (dum unitur lactens cum homine Sene, ut ſint ambo Prophetæ, & Teſtes Sacratiſſimi Incarnationis Myſterii, à Patre Æterno, ut parvuli, edocti;) velut Thabor, & Hermon, exultant in nomine Patris Æterni, ſuum brachium (id eſt ſuum Filium Incarnatum) cùm potentia; quia fecit potentiam in brachio ſuo idem Pater; ac per hoc ejus manus apparet firmata, & dextera illius conſpicitur exaltata. Brachium Dei (hoc eſt, Myſterium Incarnationis) extenditur, quando Chriſtus Dominus in Sacramento Euchariſtiæ collocatur: ergo, ſi olim Deus in brachio extento redemit populum Iſrael de Ægypto,

vult profectò nos Deus à malis eruere, quando in Sacra Communione vult ſuum brachium extendere, nobiſque largiſſimè benefacere. Exultemus, ſicut Thabor, & Hermon, Dei brachium cum potentia. Imitemur, inquam, Joannem, imitemur quoque Simeonem; qui quidem duo, ſicut Thabor, & Hermon, prædicantes cum exultatione, celebrarunt Dei laudes, brachio Domini plaudentes. Si Thabor ſignificat electionem, puritatem; ſimus in Sacra Communione puri, ut etiam ſimus electi: & quando Hermon deſtructionem ſignificat; deſtruamus peccata, deſtruamus vitia, deſtruamus pravos habitus, & conſuetudines peccandi; ut ad Sacrum Altare dignè valeamus accedere. Ad hoc fecit potentiam in brachio ſuo Pater Æternus, ut dæmones, ac peccata, atque etiam mortem vinceret. Ad hoc eſt Joannes puer Propheta Altiſſimi vocatus; ut vias Dei venientis pararet. Ad hoc denique Senex Simeon cecinit, Chriſtum Salvatorem eſſe paratum ante faciem omnium populorum; ut hac recordatione ipſe excitaretur Simeon ad gratitudinem, aſpiciens Chriſti tam magnam benignitatem. Utamur ergo nos Sacramento Divino ad vincendam mortem animæ, ut in æternum vivamus, & in Dei gratia conſtantes perſeveremus. Curemus parare viam noſtro venienti Redemptori, anfractus, & voragines tollentes per repletionem virtutis: montes, & colles planantes exercitio humilitatis. Et quando Simeon ſe ipſum excitat ad Dei laudem, & ſervitium, conſiderans Chriſtum ad noſtram utilitatem paratum; nos, qui iu Altaris Sacramento invenimus Chriſtum Dominum paratum ad nobis benefaciendum, tradamus nos amanti, ſerviamus indulgenti, cooperemur adjuvanti; ut ille, qui adeò ſe nobis in Altari oſtendit beneficum, aſpiciens nos ſuo amori addictos, & in ſuis laudibus occupatos, beneficia prima ſequentibus cumulet, & gloria æterna coronet. Sic audientes Deiparam, quæ loquitur de potentia Dei Patris; omnipotentem benefactorem revereamur, atque ei obſequentes, grati ſimus: qui ſcimus, Zachariam prænuntiaſſe Joannis officium; Deum, qui eum elegit, laudemus; & qui ſenem Simeonem admiramur amplectentem Dominum; ejus exemplum ſumamus. Has conſiderationes efformantes, dicamus orationem ſequentem, qui jam, Deo dante, Sacram accepimus Communionem.

Oratio poſt Communionem.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis, & corporis cæleſte Myſterium: ut cujus exequimur cultum, ſentiamus effectum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Offertur in Eccleſia Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti pro vivis, & mortuis: ut omnibus proſit, quod eſt ad ſalutem omnium inſtitutum, ſecundùm Sanctum Thomam Aquinatem Doctorem verè Angelicum, qui præcipuè erga Sacroſanctam Euchariſtiam, ſapiens fuit, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, & benè ſcribens de Chriſto, fecit, ut idem Dominus ei mercedem obtulerit, quamvìs nullam aliam hic Doctor Optimus Eccleſiæ Sanctæ lumen, niſi ipſum Chriſtum, voluerit. *Euchariſtia eſt maximum ſuffragium pro defunctis exiſtentibus in Purgatorio*, ut dixit Sanctus Antoninus Sacerdos, & Pontifex, & virtutum Opifex, Paſtor bonus in populo, qui in vita ſua Antoninus conſiliorum fuit dictus, & nobis dat, adhuc poſt mortem, optimum conſilium, quando hortatur nos, ut offeramus in Altari ad maximum animarum Fidelium defunctorum ſuffragium, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum. Proficit quidem Divina Euchariſtia mortuis, eruens illos à pœnis: prodeſt vivis dignè eam accipientibus in conſcientiis, & cordibus puris, dum eſt cœleſte hoc Myſterium reparatio ſimul & mentis, & corporis. Mentem profectò reparat, quia confert augmentum gratiæ: corporis eſt quoque reparatio, quia illud per Euchariſtiam à quovis defendi poteſt periculo. Ergo, ſi minantur nobis caſus animæ, & corporis ad noſtram ruinam, recurramus ad reparatricem Euchariſtiam Sacroſanctam. Petimus inſuper ſentire effectum

fectum ejus,cujus exequimur cultum:quia ſi Divinum hoc Sacramentum dignè coluerimus, ejus efficaci effectu ſenſibiliter, & certiſſimè gaudebimus. Sentiemus quidem illius effectum per fortitudinem animarum; ſentiemus quoque effectum ejus (ſi ita nobis expedierit) per ſalutem, incolumitatem, & indemnitatem corporum. Innumeri ſunt illi, quibus contulit ſalutem, etiam corporum, iſtud Divinum Viaticum; quamvis plures ſint numero, qui quotidie ſalutem animæ accipiunt per hoc mirabile Sacramentum. Reparet igitur, ut præcipuè debemus optare, cœleſte Myſterium Euchariſtiæ noſtras animas: reparet quoque, ſi expediens ita fuerit, noſtra corpora, nè incurramus ruinas, incommoda, ſeu pericula, quæ quidem quotidie corporibus obveniunt, accidunt, & minitantur: ut, dum fuerit prædictum Myſterium cœleſte nobis mentis, & corporis reparatio, his beneficiis obligati, ejus cultum in dies frequentiùs, & devotiùs exequamur; ac ſic ſentiamus effectum Myſterii ejuſdem, cujus executi fuerimus cultum verè pium,uti decet quemvis Chriſtianum Catholicum. Sentiamus, inquam, effectum reparationis noſtræ nos, qui ſumus noſtræ ruinæ conſcii, noſtræ paupertatis, & inſufficentiæ ad bonum quodlibet memores, nec noſtræ neceſſitatis obliti; ac propterea ad refugium Myſterii cœleſtis concurrimus, & Altari appropiamus: Sacramentum nos in omnibus tribulationibus conſolans, & ruinas animarum, corporumque in nobis reparans, toto corde colentes, & per illius cultum, effectum ejus ob Dei miſericordiam ſperantes. Nam Dominus idem, qui Euchariſtiæ Sanctæ virtutem reparatricem noſtrarum mentium, corporumque noſtrorum contulit; effectum benignum non negabit nobis ab eadem Euchariſtia provenientem, ſi nos erga illam exequuti fuerimus cultum, ac juſtam venerationem.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM

Pro Dominica nona poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ nonæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Mirantes perſonas quæſtus cauſa.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Æthiopicus legit: *Placere ſtudebunt perſonis, quod facient, ut lucrentur eas*. Oecumenius: *Admirantes perſonas*. Syrus: *Laudant perſonas*. Græcus: *Mirantes perſonas utilitatis gratia*. Arabicus: *Mirantes perſonas, inhiantes lucro*. Gloſſa Interlinealis ait: *Pauperes contemnunt, honorantes perſonas divitum, quæſtus cauſa, non cauſa dilectionis*. Hugo Cardinalis ſic explicat: *Deinde ſubdit Sanctus Judas tertiam cauſam, quæ eſt adulatio hominum, quæ oritur ex avaritia. Unde dicit: Mirantes (id eſt, cum quadam admiratione honorantes) perſonas, majorum Principum, ſcilicèt, & Baronum. Quæſtus cauſa. Ut ab eis aliquid recipiant. Sicut faciunt hæretici in Lombardia, qui blandiuntur divitibus, ut defendantur ab eis, & ſuſtententur, non, quòd eos diligant. Sic etiam multi faciunt, qui intendunt divitibus, & eis blandè loquuntur, dimittentes quod juſtum eſt, vel diſſimulantes, ut ab eis aliquid accipiant, plùs ad pecuniam habentes oculum, quàm ad animam. Et hac etiam de cauſa multi divites eliguntur in Epiſcopos. Unde Iſaiæ 3. a. Veſtimentum tibi eſt, eſto princeps noſter. Sed utinam ipſi reſponderent quod ſequitur: Non ſum me-*

mediens, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, id eſt, nihil dabo vobis. Eſtius: Mirantes perſonas quæſtus cauſa. Mirari perſonas, eſt ficta admiratione laudare homines, præſertim divites, & potentes; iiſque aſſentari coràm, & in facie. Id autem faciebant quæſtus cauſa: ſive, ut eſt in Græco, utilitatis gratia, non quidem publicæ, ſed ſuæ, atque privatæ. Id jam ſuprà dixit, errore mercedis Balaam effuſos fuiſſe. Pulchrè, ac nimis verè quadrat hæc pars in ſeductores: Iſaia de talibus atteſtante cap. 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſum tuorum diſſipant. Perſona quid in ſcripturis ſignificet, cùm quis accipere, reſpicere, mirari perſonam dicitur, explicatum eſt à nobis ad illud Roman. 2. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Siquidem in hujuſmodi locis pro: Perſona, tam Hæbraicè, quàm Græcè, vocabulum eſt, quod faciem, ſeu vultum ſignificat. Nicolaus de Lysa: Mirantes; id eſt, mirabiles dicentes. Perſonas. Divitum, & potentum. Quæſtus cauſa. Adulando enim divitibus potentibus, dicebant, eos facere mirabilia facta ad honorem Dei, communis boni, & ſic ab eis dona, & pecunias extorquebant. Menochius: Mirantes perſonas. Laudantes adulatoriè. Tirinus: Solius quæſtus, & lucri cauſa mirantes, ſuſpicientes, colentes, & fictè laudantes, ut Syrus vertit, perſonas primarias, illuſtriores, opulentiores. Vide noſtrum Auguſtinum de Quiros. Cornelius à Lapide: Mirantes perſonas. (Syrus: Laudant perſonas.) Putà, homines illuſtres, primarios, opulentos ſuſpiciunt, & prædicant. Quaſi diceret: Adulantur potentibus, & divitibus, eos mirificè laudant, & extollunt, fingentes ſe admirari eorum excellentiam, ingenium, ſapientiam, opes, virtutes. Ita OEcumenius. Sic Simon adulatus Neroni, eumque quaſi admirans, ejus gratiam ſibi conciliavit. Sic Marcus hæreticus, ait Irenæus lib. 1. cap. 9. purpuratas, & ditiſſimas mulieres coluit, itaque earum opes emunxit. Sanctus Hieronymus in Amos cap. 8. teſtatur, hæreticos aucupari, & jactitare gratiam Principum, quòdque Imperatores eis communicarent: ac, ſi quis eis adverſaretur, illicò criminari ſolitos: Ergo tu contra Imperatorem facis? Auguſti mandata contemnis? Ita Arriani adulantes Conſtantino Magno, eum infelicem reddiderunt Sancto Athanaſio, ac aſſentantes Conſtantio ejus filio, eum Arrianum, & acerem Orthodoxorum perſecutorem effecerunt. Sic noſtro ævo adulati ſunt hæretici Eliſabethæ Reginæ Angliæ, ut caput Eccleſiæ Anglicanæ dici, & haberi vellet, ac coli, ut Papiſſa, utique vera, non fabuloſa, uti illa Joanna pariter Anglica. Porrò id faciunt quæſtus cauſa. Græcè: Utilitatis gratia. Syrus: Propter lucra. Arabicus: Inhiantes lucro. Teſtatur Sanctus Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ, & Jeremiæ 6. Syros, quales ſunt Judæi, natura cupidos, & avaros eſſe. Primi autem hæreſiarchæ, & hæretici fuere Judæo-Chriſtiani. Unde Sanctus Ignatius Epiſt. 3. eos vocat alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quaſi vortices. Porrò phraſim hanc: Mirantes perſonas, ſumpſit Sanctus Judas ex Septuaginta, qui mirari ſumunt pro ſuſpicere, revereri, colere. Hinc acceptionem, vel, ut Hæbraicè eſt, neſo, id eſt, elevationem perſonarum, Septuaginta vocant admirationem perſonarum, ut Deuteronom. 10. verſ. 17. Qui perſonam non accipit, Hæbraicè: Non elevat, Septuaginta: Non miratur. Proverb. 18. 5. Accipere, Hæbraicè: Elevare, Septuaginta: Mirari perſonam impii non eſt bonum. Iſai. 9. verſ. 15. Qui beatificant populum ſeducentes, Septuaginta: Qui facies admirantur. Simili phraſi Latina dicitur ſuperbus mirari ſe, pro ſibi placere, & de ſe magnificè ſentire, ac loqui. Rurſum mirari per metalepſim eſt imitari. Sic Gnoſtici adulando mirabantur, id eſt, imitabantur mores, & geſtus potentum, & divitum, ut eorum gratiam aucuparentur. Tales miratores videre eſt in aulis Principum, qui id, quod facit Princeps, illicò imitantur, ut Principem voce, geſtu, habitu, inceſſu, planè referre videantur, atque hac arte ejus favorem venantur. Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

CAvere jubemur ab hominibus nos, qui inter lupos ambulamus. Benè, quando ſicut oves in medio luporum miſſi

ſunt

ſunt à Chriſto ſui ſancti Apoſtoli, commendatum eſt ipſis ab hominibus cavere. *Lupus odit & quando blanditur*, ait Sanctus Auguſtinus. Itaque lupina rabies contegitur in hominibus peſſimis, qui aliis hominibus adulantur. Eos, quibus adulatores fallaciter laudes ingerunt, ad vitia pertrahunt, & in infernum detrudunt. Quæ truculentior rabies, & quod virulentius odium, quàm illud, quod, dum ad culpam pellicit, etiam ad pœnam æternam attrahit? Ergo à lupis timeamus, qui dum blandiuntur, oderunt: & ab hominibus caveamus, qui lupi facti, lupinam rabiem abſcondunt, quando blanditiis aures leniunt; & adulationibus ſuis animas miſeras audientium necant, ac omnia earum bona peſſundant. Non eſſent tot hominum animæ damnationi æternæ addictæ, ſi tot non eſſent infeliciter adulationes incurſæ. Heu! Quia à veritate auditum avertunt, ad fabulas convertuntur. Oleum peccatoris impinguat caput illius, qui (quia ſanam doctrinam non ſuſtinet, ſed ad ſua deſideria coacervat ſibi magiſtros, velut illi, qui dicebant: *Loquimini nobis placentia*) laudatur, cùm ſit peccator, in deſideriis animæ ſuæ, & cùm ſit iniquus, benedicitur; ac per conſequens exacerbat Dominum peccator iſte, quando melius eſſet à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi: & quando omnes velle debemus à juſto in miſericordia corripi, & increpari. Cæci ſunt profectò adulatores, & duces cæcorum; & quia ita cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt. Tales fuerunt viventes, in culpa, & tales fuerunt etiam morientes, in pœna, illi perverſi (& alios pervertentes) homines, de quibus hic loquitur Sanctus Judas Thaddæus in clauſula iſta: *Mirantes perſonas quæſtus cauſa*. Quæ ſierunt quidem, lucro inhiantes, modum perſonis divitibus, potentibuſque adulandi; & invenerunt viam cum illis ad infernum deſcendendi. Quid mirum, ſi ſic præcipitio infernalis barathri ſe dedunt, qui ſic mirantes perſonas quæſtus cauſa, ipſarum criminum fiunt participes, & conſortes, & ipſas aſſociant, dum omnimodas ob tales adulationes committunt iniquitates? Quæſtus cauſa delinquunt: quæſtus cauſa mores aliorum corrumpunt: quæſtus cauſa mundum peccatis inficiunt: ac etiam quæſtus cauſa ipſi cum his, quibus ſuggerunt adulationes, damnantur. Quando alios quæſtus cauſa fortiter ad peccatum impellunt, eodem forti impulſu etiam ipſi cum illis cadunt, & præcipites ad voraginem gehennalem cum eiſdem magno ſtrepitu deſcendunt. Cupientes nos taliter non dejici, neque ad culpam, neque ad pœnam, Deum humiliter oremus in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ nonæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Pateant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantium, & , ut petentibus deſiderata concedas: fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Ut verba noſtra auribus percipiat Dominus, & intelligat clamorem noſtrum, ac intendat voci orationis noſtræ Rex noſter, & Deus noſter, oramus hodie tantum Dominum; optantes, ut pateant aures miſericordiæ ſuæ precibus ſupplicantium. Aures patentes Dei petimus, ut auribus percipiat lacrymas noſtras Dominus, qui eſt ſuſceptor noſter, & refugium noſtrum, Deus noſter, ſperabimus in eum: quoniam ipſe liberabit nos de laqueo venantium: ille eſt ſpes noſtra: altiſſimum poſuit refugium ſuum: ſed inde, & undique (quia, ut immenſus, eſt ubique) audit voces ſupplicantium, & ſemper reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum. Deus noſter iſte eſt, qui aliquandò dixit: *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit*. Erectæ aures patent: ac propterea qui voluit ſuas aures orationibus patere, ſpopondit aures ad orationem ſupplicantium erigere: itaque erunt patentes aures Divinæ miſericordiæ, ſi ad no-

noſtram ſuerint deprecationem, & orationem erectæ. Aures profectò Dei eriguntur, ut pateant: ergo ad conſpectum erectarum ipſius aurium, nos erigamus noſtras preces, qui Deo præſentamus orationes. Aures erectas Dei per ſupplicationem attinget, & eas patentes ad ſuas preces inveniet ille, qui non petierit ima, ſed alta: ille, inquam, qui ſuam erexerit petitionem, ut petat juxta Dei voluntatem. Sed heu! multoties petimus tranſitoria, obliviſcentes æterna; noxia, parvipendentes proficua; caduca, deſpicientes permanentia; mundialia, non appretiantes cœleſtia: temporaliaque flagitamus abſolutè, quæ profectò debebamus conditionatè depoſcere. De ſe ipſo igitur conqueratur qui à Deo non exauditur; quia Dominus noſter voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit, & ſalvos facit eos. Ecce, quomodò Sacer Textus dicit, quòd Deus voluntatem timentium ſe faciet: itaque timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis. Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adjutorium caſus, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Sed quomodò timet Deum, qui oblitus Domini Creatoris ſui, imis intentus, ſæcularibus innixus, ac rebus terrenis verè noculentis implicatus, à Deo tantùm petit temporalia, & deſerit poſtulare ſempiterna? Licitum eſt quidem ad vitam neceſſaria depoſcere; alimenta, & quibus tegamur, à Domino Deo noſtro flagitare: nam qui nos docuit in Oratione Dominica petere ſpiritualia, etiam nos erudivit ad temporalia, quibus egemus, petenda. Poſcamus primò bona, quæ animam reſpiciunt, & poſteà illa, quæ ad vitam corporalem, & temporalem concernunt. Poſtulemus temporale remedium, etiam ad tranſeuntis hujuſce vitæ à Deo conſequi ſperantes ſubſidium, ſubventionem, & ſuccurſum; ſed pro his debemus orare, ut præſentibus ſubſidiis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialiùs appetamus. Deus neminem in ſe ſperantem nimium affligi permittit: itaque petamus noſtris neceſſitatibus opportuna, & expedientia remedia: ſed petamus ordinatè, reſignanter, & confidenter, ut quæ petierimus fideliter, conſequamur efficaciter. Hoc eſt poſtulare Deo placita. Faxit Deus, quòd, ut petentibus deſiderata concedat, diſponat benignè ipſe, eos quæ illi ſunt placita, poſtulare, cùm patuerint aures miſericordiæ magni noſtri Domini precibus ſupplicantium, ad clementem exauditionem, & celerem petitorum expeditionem: ac ſic fiet, quòd Deus, qui effuderit ſuper nos ſpiritum gratiæ, & precum, exaudiat, atque expediat preces Fidelium ſupplicum.

ORATIO SECRETA.

Concede nobis, quæſumus Domine, hæc hæc dignè frequentare myſteria: quia quoties hujus Hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ Redemptionis exercetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Quotieſcumque manducabimus panem Sacramentalem, & calicem (etiam Sacramentalem) bibemus: mortem illius veri Domini Jeſu Chriſti, qui dixit: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, annuntiabimus. Utinam nobis concedatur à Majeſtate Divina hæc dignè frequentare Myſteria; Incruentum ſiquidem Miſſæ, & Altaris Sacrificium eſt ſubſtantialiter ipſum Crucis, & Calvarii Montis Cruentum, quo perfecit Dei Filius homo factus noſtræ Redemptionis opus, quando extra portam paſſus eſt, & de Jeruſalem civitate, quam elegit (quia, ut ait Sanctus Leo Magnus, *Bethleem prœelegit Nativitati, Jeroſolymam Paſſioni*) venit nobis auxilium: & Jeſus bajulans ſibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum: exivit profectò Deus homo ad opus ſuum, & ad operationē ſuam uſque ad veſperum: tunc enim non miſit Deus Filium ſuum in mundū, ut judicaret mundum, ſed ut ſalvaretur mundus per ipſum. Faxit Deus ipſe, ut Crucem Chriſti adoremus, & in Sacrificio Miſ-

Miſſæ ſuam glorioſam Paſſionem recolamus; ut miſereatur nobis, qui paſſus eſt pro nobis. Utinam detur nobis, ut portemus Chriſti mortem, Paſſionis ejus ſortem, & Plagas recolere: & concedatur nobis verè flere, Crucifixo condolere, donec nos vixerimus: ac ſignis iſtis noſcetur, quòd quoties Sanctum Miſſæ Sacrificium offerimus, illud in Chriſti memoriam facimus. *Creſcamus in illo, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*, ut loquitur Sanctus Paulus. In Sacrificio Crucis cruento fuit Chriſtus vir dolorum: ergo, dum in Sacrificio Altaris incruento recolitur memoria Paſſionis ejus, quia caput doluit, cetera membra doleant, & hoc ſentiamus, in nobis, quod & in Chriſto Jeſu. Dolentes quæramus illum, ut inveniamus eum in Templo ad noſtrum ſimul & remedium, & ſolatium. Plangamus meliùs, quàm David ſuper Jonatham, & dicamus: *Jeſus in excelſis ſuis occiſus eſt. Doleo ſuper te frater mi Jeſu decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum*. Magnus ſit planctus in Jeruſalem (in anima, nempe, cujuſque noſtrûm) & dicatur: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Nam verè dignum, & juſtum eſt, Jeſum in Crucem à terra exaltatum omnia trahere ad ſe ipſum. Lugeat antemulare cordis noſtri, nempe, oculus: & murus pariter (ſcilicet cor noſtrum ipſum) diſcipetur dolore, & conteratur; quia cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet: immò benignè faciet Dominus in bona voluntate ſua Sion (id eſt, Eccleſiæ filiis verè dolentibus, & contritis præ recordatione Dominicæ Paſſionis) ut ædificentur muri Jeruſalem, & faciamus fructus dignos pœnitentiæ, *& tantò majora*, ut explicat Sanctus Gregorius Magnus, *unuſquiſque adquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora ſibi intulit damna per culpam*. Sic concedet nobis Majeſtas Divina, quòd Altaris dignè frequentemus myſteria. Curemus igitur, Deo dante, taliter operari, ut dignè frequentemus Myſteria Corporis, & Sanguinis Chriſti, quia, cùm, ut dictum eſt, ſubſtantialiter fit idem Sacrificium incruentum Altaris cum Cruento Sacrificio Crucis, quoties Hoſtiæ Altaris commemoratio celebratur, opus noſtræ Redemptionis exercetur.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Simon de Caſſia ait: *Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Vulgaris uſus loquendi hoc habet quòd, cùm aliquid magnum quis fecit in hoſtem, virtus refertur ad brachium. Sed ſunt hæc verba Virginea, imò ex Spiritu Sancto deprompta, non excludenda in anguſtum, altè, latèque diffundi poſſunt. Brachium, quod Virgo commemorat, in quo Deus ſuam potentiam fecit, Æterni Patris Æternus eſt Filius, in corpore, Virginis Filius factus: unde illum extollit, quem geſtabat in utero. Quod autem brachium ejus ſit Unigenitus ab æterno Filius ejus, nunc in tempore caro factus, ex mirè factis; atque facturis ſacra Scriptura commemorat. Nam prima tympaniſtria ad præſagium protulit, quæ nunc ſecunda decantat: Irruat ſuper eos formido, & pavor in magnitudine brachii tui. Adverſus Ægyptios illo in tempore ſoror Moyſi, & Aaron intendebat ex verbis Cantici ejus. Prævidebat autem in Myſterio, quod nunc Maria Virgo recitat de Filio ejus. Nam in magnitudine Divinæ potentiæ, ſuper Ægyptios formido, & pavor irruit, ſicut in illo tranſitu maris geſta manifeſtant, ut Ægyptius ſuffocatur. In magnitudine verò Chriſti, ſuper univerſum Orbem terrarum pavor irruit, & formido, cùm in ortu ejus tre-*

trepidaverunt Reges,& geniculaverunt:alii, nè perderent mundi regnum, pavoribus flagellati ſunt. In die mortis ejus totus mundus expavit: reſurgens terruit inimicos. In ſubſequis ejus in timore concuſſit Reges terræ, aut idolatriæ, cùm populum, omnino idola, & fana demoliendo, terrendo turbavit. Toletus dicit: *Proſequitur Beata Virgo hanc perſeverantem miſericordiam, & beneficia populo illi collata ennarare: poſt miſericordiam enim illam, quia uſus eſt multorum annorum curriculo cum Patribus illis ante ingreſſum in Ægyptum, & dum ibi diu perſeverarent, exponit, quo pacto populum ab illa captivitate eripuerit, & à jugo diræ ſervitutis in libertatem eum vindicaverit. Fecit, inquit, potentiam in brachio ſuo, id eſt, manu potenti eos extraxit ab Ægypto. Hæbraiſmus eſt, in brachio, pro, brachio. Feciſſe autem potentiam brachio dicit, quia mira virtutis opera in eis liberandis uſus eſt: nam per Moyſen miracula effecit, quibus Magi Pharaonis ſuperati ſunt, mare diviſit, & iter ſiccum præbuit, aliaque multa inſignia opera præſtitit. Nec ſolùm hoc, ſed ſuperbos diſperſit mente cordis ſui, id eſt, cogitationes, & voluntates ſuperborum Ægyptiorum, Pharaonis, & populi ejus, qui populum ſervitute premebant, & eum inſequentes,comprehendere ſe poſſe exiſtimabant, & cupiebant, diſperſit, & irritas fecit, ſubmergendo aquis omnes eos. Diſpergere mente cordis ſui, idem eſt, ac cogitationes, quæ ex iniquo corde procedebant, irritas, & inanes efficere, ut ad effectum nequaquàm producerentur: quod factum eſt, quando Pharaonem, & exercitum ejus projecit in mare, & ſalvum cuſtodivit populum timentem ſe. Meritò autem Ægyptios ſuperbos appellat, qui ſuis opibus, & viribus, vero Deo contempto, confidebant, & populum, quem Deus Omnipotens defendebat, & protegebat, ſubjicere, & ſuperare ſe poſſe, exiſtimabant.* Sylveira inquit: *Fecit potentiam, &c. Communis, & vera expoſitio per brachium intelligit Verbum Dei Incarnatum. Ita Gloſſa Interlinealis, Divus Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici. Ibidem Bernonius Abbas, Sanctus Paulinus Epiſt. 1. ad Aprum, Sanctus Fulgentius lib. 3. Thym. Divus Cyrillus lib. 8. in Joann. cap. 6. Theophylactus, Divus Bonaventura, Hugo, Cajetanus, & alii multi hîc. Et valdè frequenter in Sacris Litteris per brachium Dei, Verbum Divinum Incarnatum intelligitur. Pſalm. 7. num. 18. Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt. Iſai. 40. n. 10. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet,& brachium ejus dominabitur. Joannes Euangeliſta cap. 12. n. 38. in hoc ſenſu intelligit verba Iſaiæ: Et brachium Domini cui revelatum eſt? Et metaphora ſtat in multis: nam, ſicut brachium procedit à corpore, ita Filius à Patre; & ſicut corpus per brachium operatur, ita Pater omnia per Filium fecit. Deinde alia dicuntur opera manuum, digitorum, ſeu unius digiti Dei. Opera manuum tuarum ſunt cœli. Pſalm. 101. n. 26. Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Pſalm. 8. n. 4. & de mirabilibus factis in Ægypto dicitur? Digitus Dei eſt hîc. Exod. 8. n. 19. At Incarnatio, cùm opus fuerit majoris negotii, integro Dei brachio opus fuit. Et, quòd de Incarnatione loquatur Virgo, inde fit manifeſtum, quia ipſa in hoc Cantico tota huic Myſterio erat intenta.*

Pro: *Benedictus*

Sanctus Ambroſius in Catena Divi Thomæ ſuper illa verba: *Et tu puer, &c.* ait: *Sed miraris fortaſsè, quòd Zacharias octo dierum alloquitur infantem: verùm, ſi tenemus ſuperiora, intelligemus profectò, quòd potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ ſalutationem, antequàm naſceretur, audivit. Sciebat Propheta, alias eſſe aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate reſerantur: habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum.* Beda ibidem: *Audiant Arriani, quod Chriſtum, quem Joannes prophetando præibat, Altiſſimum vocat, ſicut in Pſalmo dicitur: Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus.* Origines ibi: *Ideò reor, Zachariam feſtinaſſe, ut loqueretur ad puerum, quia ſciebat, eum poſt paulum in eremo moraturum, nec ſe ejus poſſe habere præſentiam.* Sanctus Joannes Chryſoſtomus in eadem Catena: *Sicut autem Regibus commilitones ſunt, qui eis viciniores exiſtunt; ſic Joannes,*

nes, cùm eſſet ejus amicus ſponſi, de prope ejus Adventum præceſſit: & hoc eſt, quod ſubditur: Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Alii namque Prophetæ eminùs Chriſti Myſterium prædicaverant; hic verò propiùs prædicavit, ut & Chriſtum viderit, & eum ceteris indicaverit. Maldonatus dicit: *Et tu puer, &c. Eleganti, & minimè ſupervacanea ad recèns natum infantem utitur Zacharias apoſtrophe. Videtur enim puerum numero ceterorum hominum excludere, & omnibus aliis hominibus unum opponere, cùm dicit: Et tu. Quaſi dicat: Tu verò puer, non ſolùm in ſanctitate, & juſtitia coram Deo illi ſervies, ſicut ceteri homines, ſed Propheta etiam Altiſſimi vocaberis. Ipſius Domini Miniſter eris, & totius pars magna Myſterii: tu nobis, ut ſanctè, & juſtè ſerviamus Deo, viam indicabis, noſque ad Deum duces, donec eum nobis digito præſentem demonſtres.* Vincentius Regius inquit: *Et tu puer. Non modò in ſanctitate verſàbèris coram Deo tuò, ſed Altiſſimi etiam vocaberis, id eſt, eris Altiſſimi Propheta: Separat namque ipſum ab aliis hominibus. Voce: Altiſſimi, aliqui intelligunt ſpeciatìm Filium. Alloquitur infantem fortè intelligentem, quæ dicebantur: quod ſignificat Origenes homil. 10. in Lucam. Cognoviſſe præſentem Dominum, docet Chryſoſtomus homil. 3. Operis imperf. Maximus ſerm. 1. in Nativitate Joannis Baptiſtæ, Antipater Boſtrarum Epiſcopus Orat. de Sancto Joanne Baptiſta. Idem Chryſoſtomus Orat. de Natali Præcurſoris, Ambroſ. ſerm.63. & Chryſologus ſerm.87.88.& 91.* Cornelius hæc habet: *Et tu puer, &c. Quaſi diceret: Tu, o Joannes, licèt tam puerulus ſis, octo dumtaxàt dierum, tamen poſt vigintinovem annos vir factus, eris Propheta annuntians, & indicans Chriſtum. Hæc eſt altera Cantici hujus pars, qua Zacharias pater à Chriſto tranſit ad Joannem filium ſuum recèns natum, eumque fore Prophetam, & Chriſti Præcurſorem vaticinatur, ut hæc nunc audientes, & ſuo tempore Joannem prædicantem audituri, hujus Oraculi memores, Joannem, ut Prophetam, & Chriſti Indicem, ac conſequenter Chriſtum ipſum ab eo indicatum, ea, qua par eſt, devotione, & reverentia ſuſcipiant. Præibis enim ante faciem Domini (Chriſti, qui, licèt ſit homo, eſt tamen quoque Dominus, id eſt, Deus) parare vias ejus. Quaſi diceret: Sicut Regibus venturis ſolent viæ præparari, adæquari, & ornari, auferendo ligna, ſaxa, ſordes, aliaque impedimenta, vel dedecora; ita tu, o Joannes, fili mi, præparabis Chriſto Regi viam, auferendo quidquid illi poſſet eſſe offendiculo in animis Judæorum, exhortando, ſcilicèt, eos verbo, & exemplo ad pœnitentiam, ac, ut Jeſum, velut verum Meſſiam à Deo miſſum, excipiant, illique credant, & obediant, itaque ab eo ſalutem, & veniam peccatorum, Deique gratiam conſequantur. Unde explicans ſubdit: Ad dandam ſcientiam ſalutis, &c.*

Pro: *Nunc dimittis*.

SYlveira dicit: *Quod paraſti, &c. Rectè notat Hugo, quòd non dixit de præſenti: Paras, ſed de præterito: Paraſti. Ut comprehenderet primum adventum Filii Dei in utero Virginis; quia ex tunc paratus eſt Chriſtus in conſpectu omnium populorum.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

COntrivit Deus brachium peccatoris, & maligni, dum fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; & tunc Beatam Virginem Mariam Dei Genitricem adjuvit, ut ipſa contereret caput ſerpentis, ac proinde Dominus ipſe per Deiparam confregit capita draconis, & contribulavit capita draconum in aquis. Ut hunc Beatæ Mariæ notum faceret triumphum obtentum per ejus ſanctiſſimum Filium (qui eſt Chriſtus Dominus) Sanctus Joannes Baptiſta fuit à Deo miſſus, & Propheta Altiſſimi vocatus. Vidit Simeon eumdem Chriſtum Dominum, Dei, & Beatæ Virginis Filium, Salvatorem ſæculorum: & ideò dixit: *Viderunt oculi mei Salutare tuum. Quòd paraſti ante faciem omnium populorum.* Fractus quidem eſt dœmon per Chriſti Incarnationem, &

Paſſionem, cooperante Deipara ad hanc victoriam meliùs, quàm Debbora, & Jael contra Siſaram ducem exercitus Jabin Regis Channaam: & cùm Sacra Euchariſtia ſit Incarnationis extenſio, & fuerit inſtituta, tamquàm Paſſionis Chriſti memoriale perenne; videtur, quòd Deus per Beatam Mariam (quæ dedit Filio Dei carnem, & ſanguinem, quibus ex illo Virginali utero incarnatus exivit:& quibus ipſe in ſua Paſſione ſanctiſſima nos redemit:ac quibus nos in Sacramento Divino Altaris paſcit)quotidie faciens potentiam in brachio ſuo contra diabolum, repetit antiquum triumphum ſuum, & Marianum, per ineffabile Diviniſſimæ Euchariſtiæ, & Communionis myſterium. In Sacra igitur Communione conteritur brachium peccatoris, & maligni, quia in ea armamur, & cum ea diabolum peccatorem(quoniam ab initio diabolus peccat,) & malignum (nam diabolus eſt ſpiritus malignus) conterimus, vincimus, & ſuperamus, dum audimus dicentem: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Sic in nobis recipientibus Euchariſtiam Sacram triumphat per Mariam Chriſtus, qui dixit: *Videbam Satanam de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Sic etiam, dum communicantes haurimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, contribulat iſte Dominus capita draconum in aquis: nam per gratiam, quæ in Euchariſtia accepta in gratiæ ſtatu recipitur, inter aquas gratiarum, & merita quinque vulnerum Chriſti (unde aquas redemptionis haurimus) capitalia peccata, quæ ſunt, quaſi capita draconis dœmonis, contribulantur, ac proinde iſta capita draconis noſtri inimici confringuntur. Ergo agamus Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Ut iſte Dominus ad nos veniat; Sanctum Præcurſorem imitantes, vias ejus paremus: peccata, ſaltem gravia, per Sacram Confeſſionem Sacramentalem à viis noſtrarum conſcientiarum tollentes, viaſque ipſas virtutibus exornantes. Si hæc ritè fecerimus qui Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, iterùm venturum cum gloria judicare vivos, & mortuos; videbimus euntes in cœlum, Salvatorem eumdem, nunc in Euchariſtia à Patre Æterno paratum ante faciem omnium populorum. In eum credentes, & ſperantes, illum quoque ſuper omnia diligentes, dum gratias eidem poſt Communionem reddimus, hanc Orationem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

TUi nobis quæſumus Domine, communio Sacramenti, & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

PEtimus hodie, ut Communio Dei Sacramenti nobis, & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Si Communio non contulerit, quòd purificemur, non tribuet, ut uniamur: nam unde bella, & lites inter nos? Nonnè hinc, ex concupiſcentiis noſtris, quæ militant in membris noſtris? Debemus ergo eſſe purificati, ut ſimus verè ſecundùm Deum uniti: & habebimus debitam unionem ad defendendam Religionem Catholicam, ſi habuerimus non ſolùm fidem, verumetiam unionem, & charitatem Chriſtianam: ac tantò meliùs erimus ad invicem per veram charitatem uniti, quantò ampliùs per Pœnitentiæ Sacramentum, & dignam perceptionem Sacræ Euchariſtiæ fuerimus purificati. Sanctus Auguſtinus ait: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Corpus, & Sanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit*. O verba verè mirifica! Grana quidem tritici, ut fiant panis unus inter ſe unita, prius ab ariſtis, & paleis ſunt munda, ac cribro purificata: ſimiliter, ut botri vinearum uniti fiant vinum, à ſuperfluis mundantur, & ſeparantur: ut per hoc ſciamus, quantum interſit nobis, quòd Communio Divini Sacramenti purificationem, & ſimul tribuat nobis uni-

unitatem. Sic Chriſtum habebimus purificati, habebimus & uniti, relinquentes temporalia, ut adquiramus cœleſtia; ſiquidem grana tritici,& ubarum poſt purificationem, & unionem (quas jam facta panis, & vinum, habent ad invicem,) terrenam ſubſtantiam relinquunt, ut in Chriſti Corpus,& Sanguinem convertantur. Dicit Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus; *Dominus noſter Jeſus Chriſtus in ſpecie panis dat nobis Corpus, & in ſpecie vini dat nobis Sanguinem: ut, cùm ſumpſeris, guſtes Corpus, & ſanguinem Chriſti, factus ejuſdem Corporis, & Sanguinis particeps. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm Corpus ejus. & Sanguinem in membra noſtra recipimus. Sic ſecundùm Beatum Petrum, Divinæ naturæ conſortes reddimur*. Ecce quomodò Chriſtus(qui,ut ait Doctor Angelicus Sanctus Thomas, *naturam noſtram aſſumpſit, ut homines deos faceret factus homo, & hoc inſuper,quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem,*) ut in illo maneamus, & ipſe in nobis, nos ſibi ipſi per Communionem univit, & incorporavit, ac voluit, nos per Pœnitentiam, & per Communionis gratiam habere debitam purificationem, ut taliter purificati, ſimus ad invicem per veram charitatem proximorum uniti, & ut taliter uniti, exiſtamus communiti, & armati contra malas proſperitates ſæculi, atque etiam contra adverſitates mundi.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM

Pro Dominica decima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Vos autem, Chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Æthiopica Verſio ſic ſe habet: *Et vos fratres noſtri, &c. quæ annuntiavimus vobis*. OEcumenius legit: *Meminiſtis*. Syrus, Pagninus, & alii legunt: *Memores eſtote verborum, quæ priùs dicta, antehac dicta ſunt ab Apoſtolis*. Gloſſa Interlinealis ſic hunc Textum explicat: *Sed quidquid illi dicant, vel faciant, vos autem, Chariſſimi, memores corde, & opere eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti: quibus credendum: quia nuntii Domini, & præteritorum: etiam Prophetæ futurorum*. Hugo Cardinalis: *Vos autem, Chariſſimi, &c. Tertia pars quartæ partis Epiſtolæ, in qua oſtendit Sanctus Judas, quòd Fideles non debent imitari hæreticos, quia Apoſtoli, à quibus Fideles inſtructi ſunt, hoc probibuerunt eis. Unde dicit: Vos autem, Chariſſimi. Quaſi dicat: Quidquid dicant hæretici, vel faciant; vos autem, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt vobis ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut corde cognoſcentes, opere compleatis. 2. Petri 1. c. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Duo autem implicat argumenta, propter quæ credendum eſt Apoſtolis, qui probibuerunt eos imitari: & quia futura prædixerunt: unde dicit: Quæ prædicta ſunt; & quia à Domino, qui eſt veritas, miſſi ſunt: unde non, niſi veritatem, dicunt: unde dicit: Ab Apoſtolis Domini, &c.* Nicolaus de Lyra: *Vos autem. Declarata hæreticorum pravitate per dictum propheticum, hic conſequenter idem*

facit per Apoſtolicum, dicens: Vos autem, Chariſſimi, memores eſtote; corde, & opere. Verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis. De hæreticis. Eſtius: *Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Nunc Fideles hortatur, ut memores monitorum Apoſtolicorum, ſibi caveant ab iis, quorum mores deſcripſit. Subjungit autem vetuſtiſſimæ Prophetiæ, Apoſtolorum monitiones: quòd eſſet harum recens memoria: quæ tamen & ipſæ propheticæ erant. Ideò dicit: Quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis, id eſt, propheticè de rebus futuris ab eis dicta. Reſpicit autem ſpecialiter ad Petrum Apoſtolum, talia prædicentem in ſecunda Epiſtola cap.2. & 3. Fortè etiam ad Paulum, qui ſimilia prædixit Actor.20.1. Timoth. cap.4. & 2. ad eumdem, cap.3. & 4.* Menochius: *Quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis. Ut à Sancto Petro Epiſt. 2. cap. 3. n. 2. & à Sancto Paulo 1. ad Timoth. cap. 4. n. 1. & Epiſtola 2. ad eumdem, cap.3. num.2.* Cornelius: *Vos autem, chariſſimi. Eſt concluſio, qua, declaratis hæreticorum fraudibus, & vitiis, adhortatur Fideles, ut Apoſtolorum doctrinæ, & monitis conſtanter inſiſtentes, eos, velut peſtes, devitent. Memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis. Ut à Sancto Petro Epiſt. 2. cap. 3. verſ. 2. & à Sancto Paulo 1. ad Timoth. cap. 4. verſ. 1. & Epiſt. 2. cap. 32. ubi præmonent Fideles, ut caveant hæreticos mox naſcituros, & ex parte jam natos.* Vide ibi dicta. Hæc Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

NIhil innovetur, niſi quod traditum eſt, dixit Sanctus Papa, & Martyr Stephanus, Sancto Cypriano reſcribens, & in his verbis nos ea, quæ agere debemus, docens. Peſſimè agunt novatores hæretici, qui non loquentes quæ docent ſanam doctrinam, ſed potiùs docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia, novitates contra rectam fidem Romanam, & bonos populi Chriſtiani mores quotidie intentant, innovantes contra id, quod eſt nobis traditum, ſimulque adulterantes verbum Dei, & Scripturas depravantes ad ſuam ipſorum perditionem, quæ quidem perditio eorum vergit in aliorum innumerorum perniciem. Contra hos ſcribens Sanctus Judas Thaddæus, hortatur nos, ut dicta nobis ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti meminerimus; tum, ut ex dictis ab eiſdem Apoſtolis noſcamus, novatores eſſe fugiendos, velut hæreticos; tum etiam, quatenùs nos ab Apoſtolis nobis dicta credentes, juxta Apoſtolicam Romanam doctrinam, fide, & operatione vivamus, ut ſecuri ſimus, & vitam ſempiternam capiamus. Utinam præſtet nobis Omnipotens Deus, ut nullis nos permittat perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidavit. Curemus nos, ut ſimus perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, ſicut erant Fideles in Eccleſia Primitiva, quando multitudinis Fidelium erat cor unum, & anima una: & quia perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, Sacro Textu atteſtante, Dominus augebat qui ſalvi fierent, quotidie. Certum eſt, quòd non ſalvarentur, niſi perſeverarent in doctrina Apoſtolorum. Quid docuerunt Apoſtoli? Aliqua aliquorum eorum dicta libet in medium proferre. Dixit Sanctus Petrus: *Sobrii eſtote, & vigilate.* Dixit Sanctus Paulus: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Dixit Sanctus Joannes: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Dixit Sanctus Jacobus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Dicit nunc Sanctus Judas: *Vos, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ipſos jam ex parte audivimus. Si audivimus, hoc faciamus, & vivemus. Hæ illuxerunt coruſcationes Dei orbi terræ: commota eſt, & contremuit terra, dum Deus conſtituit Apoſtolos principes ſuper omnẽ terram: in omnem terram exivit ſonus eorum, & fines orbis terræ verba eorum. Dum ergo Deus per doctrinam lucidam, & coruſcam Sanctorum Apoſtolorum nos inſtruit, & lumen ſuæ veritatis, ac voluntatis oſtendit; commoveatur terra, ſcilicèt, commoveamur homines ab benè, juxta doctrinam Catholicam, Apoſtolicam Romanam,

nam,

nam, credendum: & contremat terra, nempe, contremamus ad rectè, ſecundùm obligationem Chriſtianorum, operandum. Sic commoti, & contrementes, Deum invocemus in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ decimæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

D*Eus, qui Omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: ut ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

OMnipotentiam profectò Dei omnia opera ejus loquuntur, ſed imprimis ipſam benignitas, & miſericordia teſtantur: benignitas, nempe, qua parcit, & miſericordia, qua miſeretur. Itaque Deus Omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat. Magnum quid eſt, quòd Deus omnipotenter conſervet omne, quod etiam omnipotenter creavit: ſed, cùm verum ſit illud: *Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, cùm proprium ſit illi miſereri ſemper, & parcere; infertur, quòd magis declarat ipſum Omnipotentem id, quod in illo eſt magìs abundans, & eidem magis proprium, parcere, ſcilicèt, & miſereri: venias indulgere, & miſerationes largiri. Quis, niſi Omnipotens, haberet adeò magnam liberalitatem ad parcendum, & tantam clementiam ad miſerandum? Ergo, qui quotidie parcit, & quotidie miſeretur, innumeris ſic hominibus multoties benefaciens, maximè manifeſtat ſuam Omnipotentiam parcendo, maximè etiam illam manifeſtat miſerando. *Longa Dei patientia in profectum humanæ ſalutis extenditur*, ait Sanctus Hilarius. *O homo, an divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* dicit Sanctus Paulus Apoſtolus. Numquid, quia Deus Omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat, & non oſtendit eam, ut poterat, in nos annihilando, & ad carcerem infernalem gehennæ ob noſtra præterita peccata trudendo; ſumemus inde ingrati occaſionem ad fædiſſimam audaciam repetendi peccata, & agglomerandi ſcelera? Abſit: immò, quia Deus multus eſt ad ignoſcendum, derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & curemus omnes ſuam Omnipotentiam maximè in nobis parcendo, & miſerando manifeſtatam, laudare, & tanto Domino ex toto corde ſervire. Benignitas igitur Dei ad pœnitentiam nos adducat, quia ipſe plùs nobis benefecit non mittens nos, ut merebamur, in ignem æternum, quàm ſi jam per aliquot annos flammis gehennalibus exuſtos, inde extraxiſſet, & nobis tempus vitæ ad pœnitentiam, & ſalvationem donaſſet. Nullus eſſet, qui Deum offendere auderet, ſi, per impoſſibile, illum Deus ab igne inferni abſtraheret, cùm jam ibi inter igneos globos arſiſſet; quomodò nos, quibus majus beneficium fecit, & præſtitit Deus noſter, nos detinens, nè flammas inferni, ut merebamur, experti ſimus, audaciam ipſum offendendi habemus? Sed jam ad verba noſtræ Orationis hodiernę revertamur. Oramus ergo eum, qui omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat, quatenùs concedat nobis, quòd multiplicet ſuper nos miſericordiam ſuam, ut ad ſua promiſſa currentes, cœleſtium bonorum faciat eſſe conſortes. Conſortes quidem bonorum cœleſtium erimus, ſi ad Dei promiſſa cucurrerimus. Spe cœleſtium bonorum Deus dilatavit cor noſtrum, ut viam mandatorum ſuorum curramus. Sic curramus, ut comprehendamus. Omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Sed heu! *Offert diabolus pomum, ut rapiat paradiſum*, ait Sanctus Bernardus: & ſunt multi, qui Eſau imitantes, parvipendunt,

quòd

quòd primogenita vendiderint. O miſeri, ſi à tali non diſcedunt exemplo, nè velut ipſe Eſau, irrugiant clamore magno, cùm audierint dicentem Judicem iratum: *Diſcedite à me maledičti in ignem æternum.* Itaque, ſi peſſimi hoſtes animarum noſtrarum, mundus, dœmon, & caro pretium noſtrum cogitaverint repellere (id eſt rebus adeò pretioſis, qualia ſunt Dei promiſſa, & bona cœleſtia, nos, nè illa capiamus, intenderint privare;) tunc nos curramus ad Dei promiſſa, & curramus in ſiti, ſitientes bona cœleſtia: ſitiat anima noſtra ad Deum vivum: & quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderent animæ noſtræ ad Deum: ſic ſatiabimur, cùm apparuerit gloria ejus. Ut ad Dei promiſſa curramus, rogemus illum, quatenùs trahat nos poſt ſe, & in odorem curremus unguentorum ſuorum. Montes excelſi cervis: &, cùm cervi ſemper ſint in metu, ac fuga, ſicut docet Sanctus Joannes Chryſoſtomus; curramus ad Dei promiſſa, ut cervi: & conſequemur aſcendere in montem Domini, & ſtabimus in loco ſancto ejus. Curramus, inquam, ut cervi, cum metu, & tremore noſtram ſalutem operantes, fugientes malum, adhærentes bono, quieſcentes agere perversè, & diſcentes benefacere. Juxta Iſaiam, *qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Sic ad Dei promiſſa currentes faciet ipſe Deus nos eſſe bonorum cœleſtium conſortes, ad hoc multiplicante miſericordiam ſuam illo eodem Deo, qui Omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat.

ORATIO SECRETA.

TIbi, Domine, *Sacrificia dicata reddantur: quæ ſic ad honorem nominis tui deferenda tribuiſti, ut eadem remedia fieri noſtra præſtares. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

UTinam noſtra Sacrificia Deo reddantur dicata. Quid melius de Sacrificiis facere, aut optare poſſumus, quàm, ut ea Domino noſtro dicemus? Ille reddet ſibi dicata noſtra Sacrificia, ſi voluerit, eadem Sacrificia fore ipſi accepta, & placita. Quid nobis proderit illa offerre, ſi Deus ob culpas noſtras Sacrificia ipſa noluerit acceptare? Oremus igitur, ut taliter à nobis offerantur, quòd à Domino acceptentur. Deus ipſe dixit aliquando: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Ad Cain, & ad munera illius non reſpexit Dominus. Quarè? Quia, juxta Sanctum Joannem Euangeliſtam, *Cain ex maligno erat. Opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta.* Sacrificia, quæ hodie petimus eſſe Domino noſtro dicata, ſunt illa Sacrificia, quæ Deus ipſe ſic ad honorem nominis ſui deferri tribuit, ut eadem remedia fieri noſtra præſtaret. O Deus, & Domine, verè pie, verè miſericors! Sacrificia ad tui honorem inſtituiſti, atque ſanxiſti; & illa in Eccleſia tua Catholica Romana tibi offerri voluiſti; ac in eis ipſis remedia noſtra paraſti. Paraſti quidem in conſpectu noſtro menſam adverſus eos, qui tribulant nos. Impinguaſti in oleo caput noſtrum: & calix noſter inebrians quàm præclarus eſt! Et miſericordia tua ſubſequetur nos omnibus diebus vitæ noſtræ. Et ut inhabitemus in domo tua in longitudinem dierum. Noluiſti, quòd iſta Sacrificia offerrentur tantùm ad tuum honorem, ſed quòd etiam tibi dedicarentur ad noſtram utilitatem. Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Jungis noſtram utilitatem tuæ celſitudini. Aſpexiſti, & conſideraſti, quoniam facti ſumus viles (velut olim Jeruſalem) per peccatum noſtrum: & ideò ad noſtram elevationem vis noſtrum eſſe remedium, ipſum tuum Sacrificium. Tu (qui es Deus noſter, & omnia) vocas ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt. Iſaias dixit: *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Omnes gentes quaſi non ſint,*

ſic

ſic ſunt coram Domino, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. Et tamen tu Deus, & Dominus magnus, & laudabilis nimis, ſic Sacrificia Altaris ad honorem nominis, tui deferenda tribuiſti, ut eadem remedia fieri noſtra præſtares. Ob hanc dignationem, & benignitatem erga nos laudent te cœli, & terra, mare, & omnia reptilia in in eis. Faxit tua Majeſtas, & bonitas, ut quod immeritis contuliſti, propitius exequaris: & ſic fragilitas noſtra ſubſiſtet miſericordiæ tuæ remediis: ac, quæ ſua conditione atteritur, tua clementia reparabitur.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Simon de Caſſia ait: *Dominus, cùm Job vellet reprimere, dixit: Et, ſi habes brachium ſicut Deus? Brachium Dei, ejus eſt Filius: æternus ex Patre, temporalis ex Matre: quod brachium non Job, & nemo hominum habet, ut magna, ſicut Deus, poſſit efficere. Magna in iſto brachio Virgo Deum feciſſe, decantat: quod David antè præviderat, dicens: Redemiſti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, & Joſeph. In quo redemit populum, niſi in Filio ſuo? Quid igitur brachium ejus, niſi humanatus Filius ejus? Quæ hac magnitudine major, quàm redimere populum diabolo ſubjugatum, criminibus abſtractum, per Filium in Cruce ſuſpenſum? Redemit igitur in brachio populum omnium nationum, filios Jacob, aut filios circumciſionis, & filios Joſeph, videlicèt, Gentiles, pro eò, quòd nati ſunt in Ægypto. Filii Joſeph filii ſunt augmenti, qui pertinent ex ſignificatione ad alias nationes, cum magìs ex eis, quàm ex Judæis, ſit Eccleſia dilatata*. Cornelius dicit: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Vel diſperſit, diſjecit, & avertit Pharaonem, Nabuchodonoſor, Arphaxad, Salmanaſar, Baltaſſar, Antiochum, &c. Nota: Tò: Sui, nonnulli ad cor Dei referunt: quaſi diceret: Deus ſuo corde, id eſt, voluntate, & decreto diſperſit ſuperbos. Ita Sanctus Auguſtinus hic: Et hoc, inquit, mente cordis ſui, id eſt, in profundo conſilio ſuo diſperſit eos. Profundum conſilium fuit, ut pro me Deus fieret homo, & innocens pateretur, ut redimeretur nocens; & in his erat conſilium, nec poterat illud diabolus prævidere, ſed captus hamo Leviathan. Hanc expoſitionem ſequitur Carthuſianus: Mente, inquit, id eſt, intentione, & libito cordis, id eſt, intellectus ſui, quo cuncta diſcernit, judicat, & diſponit. Verùm ex Græco liquet, tò: Sui, referendum eſſe, non ad cor Dei, ſed ad cor ſuperborum: Græcè enim eſt: Cordis ipſorum, uti vertit Syrus, & Arabicus. Unde Euthymius: Deus, inquit, diſperſit eos, qui corde ſuo erant ſuperbi. Alii ſignificantiùs tò: Sui, referunt ad: Diſperſit: quaſi diceret: Deus ſuperbos diſperſit mente, id eſt, per mentem, aut, ut Græcè eſt, per cogitationem cordis ipſorum; quia, ſcilicèt, ſuperba eorum conſilia, & machinationes in ipſorummet exitium retorquet, ut eos diſpergat, juxta illud Job 5. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, uti fecit Pharaoni inſequenti Hebræos per mare rubrum, illum in eodem mari cum omnibus ſuis ſubmergendo, & fratribus Joſephi, qui eum vendiderunt, ut perderent, ſed Deus per hoc Joſephum ſublimavit, fratreſque ipſum adorare coegit*. Didacus Baeza inquit: *Fecit potentiam, &c. Cùm ab extenta Dei manu, vel à ſolo ejus digito ſuperbiſſimos Ægyptios noverim diſſipatos, imò ſuperbiæ omnigenæ patrem Luciferum e cœlo deturbatum, & terræ viſceribus ſepultum: quæ erit iſta laus brachii Dei fortiſſimi, quòd ſuperbos ſupplantet? Adde, in præſenti brachium Dei eſſe Filium Dei, qui fortiſſimum Dei brachium frequenter in Sacra Pagina appellatur, quod Incarnatione extentum aereas poteſtates debellavit. Quis ergo ex ſuperbis triumphus decebit magìs Divinum brachium, nempe, Filium Dei hominem*

minem factum? An, quòd verè, & propriè ab illo ſuperbiſſimi tyranni fuerint enecti, mari, terræque ſepulti, ignibus addicti immortalibus? Sanè ad hæc perpetranda non deſiderabatur potentia tanti brachii, quando vel ſpiritu oris ſui interficiet impium, & tyrannorum maximum. Ubi autem fecit potentiam in brachio ſuo, quid majus ſperatur? Nimirùm, quòd diſperſerit ſuperbos mente cordis ſui. Hoc eſt, quòd ſuperborum mentes ſalubri contritione tranſmutaverit in humilitatem. In hoc maximè eluxit potentia Filii Dei, hoc fuit illius opus, hic labor totius Incarnati Dei œconomiæ. Huc ſpectavit Pſalmo 28. Vox Domini confringentis cedros, & comminuet eas, tamquàm vitulum Libani. Cujus explicationem libenter capio à Richardo Victorino dicente: Verè hæc mutatio dexteræ Excelſi, rigorem cedri conterere, & ad ſimilitudinem vituli Libani, id eſt, quælibet tumida corda inclinare ad imaginem humilitatis Chriſti, qui attritus eſt propter ſcelera noſtra, non propter peccata ſua. Hæc, inquam, eſt mutatio dexteræ Excelſi: hoc opus dignum laudatiſſimi brachii Dei, quòd proceræ illæ arbores, quòd ſuperbi, & elati homines, avidè, & enixè ament neſciri, & pro nihilo reputari: a Domino factum eſt iſtud. Quam Divini brachii potentiam oſtendit illud de Chriſto Domino à Jacobo Geneſ. 39. decantatum, ſcilicèt: Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus. De quo pulchrè Tertullianus lib. 3. in Marcionem ait: Taurus ob utramque diſpoſitionem, aliis ferus, ut Judex; aliis manſuetus, ut Salvator, cujus cornua eſſent Crucis extrema. Hac denique virtute Crucis, & hoc more cornutus, univerſas gentes & nunc ventilat, per fidem auferens a terra in cœlum, & tunc per Judicium ventilabit, auferens à cœlo in terram. Hæc ille de mira Chriſti fortitudine in convertendis, ſive evertendis ſuperbis. Ubi expende, quàm facilè evertat Deus ſuperbiſſimos quoſque, nimirum, qua facilitate quis grave aliquid à cœlo in terram dimittit; at, ut ad meliorem frugem convertat, ingenti fortitudine eget, quia graviſſima corda deorſum vergentia, & renitentia, à terra in cœlum ventilanda ſunt. Hinc Divus Leo ſerm. 8. de Paſſione ait: O admirabilis potentia Crucis! in qua & tribunal Judicis, & judicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi. Traxiſti enim omnia ad te, & cùm expandiſſes tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ majeſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Proh extenti Divini brachii poteſtas, quæ graviſſimas renitentium mentes, ad ſuperos uſque facis evolare! Sic Græcus apud Catenam explicat illud: Fecit potentiam in brachio ſuo: nimirùm, nec quoquam alio mediante, niſi in proprio brachio, triumphum docuit. Hucuſque Didacus de Baeza cap. 9. de Mariæ Cantu, §. 9. & 10. Barradas ſic loquitur: *Fecit potentiam, &c. Dixerat Diva Virgo, Deum reſpexiſſe humilitatem ancillæ ſuæ, nunc potentiam Dei canit, quam per Filii Incarnationem, adverſus ſuperbos, tum dæmones, tum Judæos exercuit. Præterito tempore utitur pro futuro: nempe, Propheti ſſa erat, cui ante oculos futura obverſabantur.*

Pro: *Benedictus.*

SYlveira dicit: *Et tu puer, &c. Ecce Cantici ſecunda pars: & ad filium convertit ſermonem: & eſt ſatis elegans apoſtrophe; & non ſibi gratulatur Zacharias de tali filio, quòd munere Divino ſibi ſit datus in ſenectute, ad illius levamen, tamquàm baculus, & ut ſit hæres bonorum, ac ad ſuſcitandum ſemen in Iſrael; ſed omnium privatarum utilitatum oblitus, ad communem libertatem populi attollit oculos. Et tu puer, ſeu puelle. Nota illam conjunctionem: Et; acſi dicat: Tu puer, non ſolùm in ſanctitate, & juſtitia eris coram ipſo, ſed etiam eris Propheta Altiſſimi: quia excellentiori modo extitit Propheta, ut Chriſtum digito oſtenderet, ac populos ad ipſum adduceret. Altiſſimi nomine ſatis accommodatè Chriſtum Dominum intelligunt Divus Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ, num. 22. ad finem, Divus Ambroſius lib. 3. de Fide, cap. 2. Divus Chryſoſtomus homil. 2. in Matthæum, Divus Proſper de Prædictionibus Dei, part. 2. cap. 14. & Beda hîc.* Toletus inquit: *Et tu puer, &c. Eris Propheta Altiſſimi, qui ad Filium Altiſſimi virtute conceptum, & ei conſubſtantialem, annuntiandum mitteris, hocque nomine celebraberis, & voce publica nominaberis.*

beris : Græcè puer diminutivum eſt : Tu puerule, & leporem habet ſermo, & energiam Prophetæ indicat : Qui nunc es parvulus, & infans, Propheta eris ſingularis Altiſſimi. Barradas hæc habet : *Et tu puer, &c. Hæc eſt ſecunda hujus Cantici pars. Alloquitur Zacharias infantem, & natum : quorſum in lucem editus ſit, prædicit. Tu, inquit, fili, feliciter natus es, ut Propheta ſis Altiſſimi Dei. Præibis enim ante faciem Domini Dei Meſſiæ, & Præcurſor illius eris. Præibis, inquam, parare vias ejus, id eſt, ut iter illi in animos hominum, per pœnitentiam, & baptiſmum præpares. Unde illa vox Joannis cap. 3. Lucæ: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus, omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.*

Pro: *Nunc dimittis*.

VIncentius Regius ait : *Quod paraſti, &c. Illud: Quod, refertur ad: Salutare; per quod ſignificat, ſalutem adveniſſe, hoc eſt, mundi Salvatorem. Et nota, prædici hîc Gentium converſionem; neque enim tantùm Judæorum, ſed etiam Gentium Salvatorem Chriſtum prædicat : ſicut enim ſolem omnes aſpiciunt, qui volunt, ubi dies illuxerit, ita & ſe Chriſtus omnibus communicavit, ut lucem inferat Gentibus, & infidelium diſcutiat caliginem, Joan. 8. Ego ſum lux mundi : lumen autem tenebris opponitur, ut fides infidelitati, religio impietati, & cognitio cæcitati; imò & tenebræ ſunt ſapientia mundi, prudentia carnis, & omnia peccata, de quibus Colloſſ. 3. Epheſ. 5. 1. ad Corinth. 6.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

CAntavit Beata Dei Genitrix Virgo Maria, & docuit nos cantare Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (dum fecit Deiparæ magna qui potens eſt) & ſalvavit eidem Domino dextera ejus, & brachium ſanctum ejus, dum fecit potentiam in brachio ſuo. Præivit Joannes ante faciem Domini parare vias ejus, quando per eumdem Joannem notum fecit Dominus Salutare ſuum (quia fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.) In conſpectu gentium revelavit Dominus juſtitiam ſuam, quando Jeſum Chriſtum juſtum paravit ante faciem omnium populorum, ut nobis prædicavit ſenex Simeon. Novum debet eſſe canticum ob brachium Domini ad redimendum extentum: ob Chriſtum à Sancto Præcurſore oſtenſum : & ob eumdem Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum, ut dixit Simeon, paratum ante faciem omnium populorum. Ideò non ſola Deipara cantavit Domino canticum novum; ſed, ipſa præcinente, cantavit, illam ſequens, Sanctus Zacharias novum canticum: cantavit quoque ſequens Beatam Mariam, & Zachariam, Sanctus Simeon canticum novum. Similiter nunc pange lingua glorioſi Corporis Myſterium, Sanguiniſque pretioſi, quem in mundi pretium fructus ventris generoſi Rex effudit Gentium. Laudis thema ſpecialis, panis vivus, & vitalis hodie proponitur: quem in ſacræ menſa cœuę turbę fratrum duodenę datum non ambigitur. Cantemus canticum novum, qui de Altari accipimus Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum : canticum, inquam, novum etiam ob brachium Dei faciens potenter mirabilia: etiam ob Chriſtum oſtenſum : & ob Salutare quoq; Dei paratum ante faciem omnium populorum : quia in Euchariſtia per brachium ſuum facit magnalia Dominus: in Euchariſtia oſtenditur patens fidei oculis Jeſus Chriſtus : & in Euchariſtia etiam eſt Salvator noſter ante faciem totius mundi paratus. Facit Deus in Divino Altaris Sacramento mirabilia, ut nos honoret: oſtenditur Chriſtus oculis Catholici cordis patens ibidem, ut nos recreet: & eſt quoque in Euchariſtia coram omnibus paratus, ut nos magnoperé obliget. Nos in Altari honorat, ut ad nos veniat : oſtenditur recreans nos, ut nos attrahat : & eſt paratus coram omnibus populis, mundum

obligans, ut eum perfectè diligat. Vult venire ad nos, ut ditet: nos attrahit, ut ſuſtentet: & obligat ad amandum, ut nos perenniter beatificet. Cantemus igitur canticum novum Domino in Diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento: Domino, ſcilicet, volenti nos per Communionem divites efficere; volenti in ſuo ſancto ſervitio nos potenter confirmare; volenti quoque nos gloriæ pignore imbuere. Freti tanti Domini patrocinio, eum humiliter adoremus, ac ſequentem Orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

QUæſumus, Domine Deus noſter: ut quos divinis reparare non deſinis Sacramentis, tuis non deſtituas benignus auxiliis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

QUæ quotidie ruunt, quotidie opus eſt, ut reparentur: & neceſſarium quoque eſt, quòd non deſinat eſſe fulcimentum, ad ſuſtentanda ea, quæ jugiter, & ſine ceſſatione deficiunt. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Homo, ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet. Sed quomodò miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus. Quia miſeriæ, quia inconſtantiæ, quia defectus, & ruinæ obveniunt nobis, Deus noſter non deſinit Divinis nos reparare Sacramentis. Docuit nos Chriſtus orare, & ab Æterno Patre panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, juxta Sancti Marci Euangelium, depoſcere. Eſt Divinum Euchariſtiæ Sacramentum panis noſter, quia Deus Pater panem cœli dedit nobis: & Chriſtus Deus, & homo eſt hic panis: quia eſt panis vivus, qui de cœlo deſcendit: quandoquidem fuit Jeſus nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine, quæ facta eſt quaſi navis inſtitoris, de longè portans panem ſuum. Qui ſe naſcens dedit nobis ſocium, conveſcens dedit ſe in edulium, ut ait Sanctus Thomas Doctor Angelicus, ac cibum turbæ duodenæ ſe dedit ſuis manibus. Eſt etiam Diviniſſima Euchariſtia panis quotidianus pro reparandis quotidie nobis; qui quotidie ruimus, quotidie labimur, labefactamur, atque miſerè deficimus. Eſt demùm Sacra Communio panis ſuperſubſtantialis: quia Chriſtus in mortem à diſcipulo ſuis tradendus æmulis priùs in vitæ ferculo ſe tradidit diſcipulis: quibus ſub bina ſpecie carnem dedit, & ſanguinem, ut duplicis ſubſtantiæ totum cibaret hominem: eſt quidem panis ſuperſubſtantialis, ut iſte panis cor hominis confirmet, ſicut eſt panis Angelorum, quem manducat homo; quatenus, ſcilicet, homo per naturam labilis, per panem Angelorum ſuperſubſtantialem reddatur Angelus fortis. Faxit ipſe Deus benignus, ut non deſtituat ſuis auxiliis nos, quos Divinis non deſinit reparare Sacramentis: nam ille homo, qui dixit in abundantia ſua: *Non movebor in æternum*, avertente faciem ſuam Domino ab eo, factus eſt conturbatus: &, ſi, aperiente Domino manum ſuam, omnia implentur bonitate; avertente autem illo faciem, turbabuntur, auferet ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Abſque Divinis auxiliis carentes gratia ſanctificante, erimus impii, & tamquàm pulvis, quem projicit ventus à facie terræ: & ſicut impii, non reſurgemus in judicio, ac veluti peccatores, non reſurgemus in concilio juſtorum: quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit. Propter eà levemus oculos noſtros in montes, unde veniet auxilium nobis. Auxilium noſtrum à Domino, qui fecit cœlum, & terram: non dabit in commotionem pedem noſtrum, neque dormitabit qui cuſtodit nos. Ipſe Dominus eſt Deus auxilii noſtri, & ſpes noſtra in Deo eſt. Revelemus Domino viam noſtram, & ſperemus in eo, & ipſe faciet, quòd nos, quos Divinis reparare non deſinit Sacramentis, ſuis non deſtituat benignus auxiliis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TRIGESIMUMNONUM

Pro Dominica undecima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ undecimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Qui dicebant vobis, in fine temporum venturos, qui irriderent.* Arabicus: *Venient luſores irridentes.* Æthiopicus: *Advenient ſeductores.* Hebraicus: *Venient illuſores, denſores.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Qui dicebant vobis, illuminati Spiritu Sancto, quoniam tempore Anti-Chriſti, cujus iſti jam ſunt præambuli, non miſſi à Deo, venient illuſores veritatis.* Hugo Cardinalis: *Qui dicebant, quoniam in noviſſimis temporibus venient illuſores. Venient à ſe ipſis, non à Domino miſſi. Joann. 10. 6. Quotquot venerunt fures ſunt, & latrones. Illuſores, veritatis Fidei, & Fidelibus illudentes, ſicut Judæi Chriſto Unde & rectè Anti-Chriſti dicti ſunt. 1. Joan. 12. c. Nunc autem Anti-Chriſti multi facti ſunt.* Nicolaus de Lyra: *Qui dicebant vobis. Ad cautelam contra falſos doctores. Quoniam in noviſſimo tempore, &c. Per doctrinam erroris. Licèt enim à principio Eccleſiæ aliqui venerint, tamen imminente Anti-Chriſti tempore plures venient, qui erunt ejus nuntii de propinquo.* Eſtius: *Qui dicebant vobis. Græcè: Quòd dicebant vobis. Memores, inquit, eſtote verborum Apoſtolicorum, nempè, quòd dixerint vobis id, quod ſequitur. Intellige, ſeu verbo, ſeu ſcripto. Non tamen ſcriptorum meminit: quia nec omnes Apoſtoli ſcripſerant; & qui ſcripſerunt, eadem verbo ſæpiùs, & copioſiùs inculcarunt. Quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores. Ita Petrus: Quòd venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores. Qui dicantur illuſores ab utroque Apoſtolo, & quod noviſſimum tempus, ex ejuſdem Petri Commentario petatur. Non enim intelligunt tempus valdè remotum, & extremo Judicio vicinum, ſed tempus ſequens, ac futurum; ſive longiùs abſit, ſive propiùs.* Menochius: *Illuſores. Qui omnia ſacra, & prophana irrident, & qui Fidelibus ſimplicibus illudunt: eos in errorem inducentes.* Tirinus: *Illuſores, qui omnia Divina, & humana petulantiſſimè irrident, qui ſua hypocriſi ſimplices decipiunt, inquit Dionyſius.* Cornelius à Lapide: *Illuſores. Hebraicè: Leſim, id eſt, illuſores, denſores, vocantur homines peſſimi, qui omnia Divina, & humana irrident, uti faciunt hæretici. Hugo: Qui Fidelibus illudunt, ſicut illudebant Judæi Chriſto, ut jurè Anti-Chriſti vocari poſſint. Dionyſius: Qui ſimplices decipiunt per dulces ſermones, per hypocriſim, & ſimulationem pietatis. Maximè verò Gnoſtici illudebant Dei providentiam, & judicium, ut ſine metu ſuis indulgerent libidinibus: unde illudendo dicebant: Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? 2. Petri 34.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

IN Proverbiis Salomonis dicit ſic Sacer Textus: *Nè æmuleris hominem injuſtum, nec imiteris vias ejus: quia abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Egeſtas à Domina in domo impii: holocauſta autem juſtorum benedicentur. Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Gloriam ſapientes poſſi-*

debunt:ſtultorum exaltatio,ignominia. Prædicebant Apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ait Sanctus Thaddæus, quòd in noviſſimo tempore venturi erant illuſores. O infelicia tempora, in quibus ob adventum illuſorum, taliter regnant mendacia! Sed perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus. Prædixit Chriſtus, quòd, quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. In noviſſimo tempore venient illuſores. Væ illis, quia inipſis iniquitas mendaciorum, illuſionumque abundabit, & ideò refrigeſcet eorum charitas, quoniam in eiſdem jam concaluit iniquitas. Hac concalente, & illa refrigeſcente,erit noviſſimum mundi tempus; quia mundus in vitiis enutritus, in ipſiſque inveteratus, quò ſenior, tantò magis abundabit iniquitate: & quò plùs laboraverit,iniquitate abundante, eò pejus ſe habebit, charitate deficiente. Deficiet, dum refrigeſcet charitas. Ergo nè deficiat, curemus, quòd illa non refrigeſcat; nàm evaneſcet, ſi refriguerit, deerit, ſi non accenſa permanſerit. Qui non diligit, manet in morte. Ploremus tot illuſores mortuos, quia non diligunt: & quia etiam in fide deficientes, fidei veritatibus illudere non verentur; æternaliter peribunt iſti, qui neglexerunt vitam accenſi amoris habere. Abominatio Domini eſt omnis illuſor.Utinam in eo iniquitas non abundaſſet: neutiquam, charitate à ſe exploſa, frigeſceret, nec Dei abominationem adeò miserè incurreret. Ruinæ minas jam non evadet, quia ob abundantiam iniquitatis charitatem à ſe exploſit. Sed quid eſt, quòd dicitur: *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus*; dicitur quoque: *Abominatio Domini eſt omnis illuſor?* Ille ſentiet ſuper ſe pœnam concretam, dum Dominus ipſum abominabitur:hic verò illuſor ita à Domino plectetur ſupplicio, ut iſtud habeat etiam in abſtracto. Abominatio facit abominatione punitos, ſicut albedo quos afficit, & delinit, facit albos. O miſera illuſorum conditio! Furor Dei, qui multos punire poteſt, ad vindicandum ſe contra illuſores, congregat ſe, & plenus ad illuſores abominandos concurrit: ut qui per ſuam iniquitatem decrevit in charitate frigeſcere, & hominibus, imò & Deo illudere, fiat Domini ipſa totalis abominatio;abundans poena, quoniam abundavit culpa. Illuſores igitur nolite errare, Deus non irridetur:ſed potiùs,ut ait citatusProverbiorum Textus, deludet illuſores; qui ſerò ſe plorabunt à Deo deluſos, quoniam noluerunt Deo ſe præſentare emendatos.His miſeris ad exemplum Dei vindictæ relictis, Deum ob noſtra peccata iratum adeamus, & ad placandum ipſum ſequentes duas Orationes recitemus.

Oratio Officii Dominicæ undecimæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis, & vota: effunde ſuper nos miſericordiam tuam: ut dimittas quæ conſcientia metuit, & adjicias, quod oratio non præſumit. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

FInita ſunt, & limitata noſtra merita: quia, quamvis, Deo dante, fuerint multa, & bona; tamen ſub certis numero, & termino, vel ſphæra ſunt comprehenſa, & clauſa: ſimiliter quoque limitata ſunt, & finita noſtra deſideria, aut vota, quamvis ad multa verè dirigantur, ſive extendantur proficua. Plùs valet Deus concedere, quàm nos mereri, & optare. Itaque, quia abundantia pietatis Dei eſt infinita, atque immenſa, præ iſta pietatis ſuæ abundantia, Omnipotens ſempiternus Deus & merita ſupplicum excedit, & vota. Ex hoc poſſumus cognoſcere, quòd debemus exaltare Deum noſtrum Regem, & benedicere nomini ſuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi: quòd magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis: & quòd propterea generatio, & generatio laudabit opera ejus, & potentiam ſuam pronuntiabunt: magnificentiam gloriæ ſanctitatis ſuæ loquen-

quentur, & mirabilia ſua narrabunt: memoriam abundantiæ ſuavitatis ſuæ eructabunt. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Quia ſatiavit animam inanem, & animam eſurientem ſatiavit bonis: (inanem quidem animam, cujus excedit merita Deus præ ſuæ pietatis abundantia: & animam eſurientem, cujus vota excedit quoque millies præ abundantia ejuſdem ſuæ Divinæ pietatis. Utramque animam inanem, & eſurientem ſatiavit, qui abundantia pietatis ſuæ & merita, & vota ſupplicum valdè, imò infinitè, excedit. Ergo, quando ab illo ipſo Domino (qui effundit ſuper malos iram ſuam, & furor iræ ſuæ comprehendit eos) ſuppliciter exorantes veniam, & gratiam, petimus hodie, quòd effundat ſuper nos miſericordiam ſuam, ut dimittat quod conſcientia metuit, & adjiciat quod oratio non præſumit; ſperare valemus, quòd faciet juxta à nobis petita ille, qui abundantia pietatis ſuæ & merita ſupplicum excedit, & vota. *Speciosa miſericordia Dei, quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis*, ait Eccleſiaſticus: itaque ſpecie ſua, & pulchritudine ſua intendit, proſperè procedit, & regnat Pater cœleſtis, qui pluit ſuper Juſtos, & injuſtos. Anima noſtra ſicut terra ſine aqua Deo, & aruit tamquam teſta virtus noſtra. Utinam noſter Dominus paret terræ noſtrorum cordium pluviam, ſiquidem ipſe eſt, qui producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum; quia, ſi Dominus dederit benignitatem, terra noſtra dabit fructum ſuum. Pluviam voluntariam (quia non noſtris meritis obtentam) ſegregabit Deus hæreditati ſuæ; & infirmata eſt, ipſe verò perfecit eam. Hodie effundimus in conſpectu Dei orationem noſtram, & tribulationem noſtram ante ipſum pronuntiamus; ut effundat ſuper nos miſericordiam ſuam Omnipotens ſempiternus noſter Dominus. Si hanc ſuam miſericordiam effuderit, dimittet quæ conſcientia metuit, & adjiciet quod oratio non præſumit; quando conſcientia noſtra metuit, quia vel nulla, vel parva habemus merita; & quando oratio parùm petens (pauca vota, ſive deſideria habens) non præſumit multa, & magna conſequi; non præſumit omnia illa, quibus egere noſcimus, obtinere. Dimittet quæ metuit conſcientia, & adjiciet quod oratio non præſumit, ille Deus, qui pietatis ſuæ abundantia & merita ſupplicum excedit, & vota: quia dimittentur nobis noſtra peccata (quamvis ad hanc peccatorum noſtrorum dimiſſionem nos non habeamus merita:) & adjiciet quod oratio non præſumit idem piiſſimus Dominus (quia plùs dabit nobis orantibus, quàm petierimus, & magis nobis concedet, quàm poſcere cogitavimus:) ut, cùm per effuſionem miſericordiæ ſuæ noſter Dominus, ea quæ metuit conſcientia dimiſerit, & illa, quæ non præſumit oratio noſtra, adjecerit; firmetur noſtra fides, ſtabiliatur noſtra ſpes, & accendatur noſtra charitas erga eum ſempiternum Omnipotentem Dominum noſtrum, qui pietatis ſuæ abundantia infinita & merita ſupplicum excedit, & vota. Eja igitur confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum: qui ſuſcepit eos de via iniquitatis eorum, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum: & ſacrificent ſacrificium laudis, & annuntient opera ejus in exultatione. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum: & exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.

ORATIO SECRETA.

Reſpice, Domine quæſumus, noſtram propitius ſervitutem: ut quod offerimus ſit tibi munus acceptum, & ſit noſtræ fragilitatis ſubſidium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Servi inutiles ſumus; ſed ſperare debemus, quòd Deus ob ſuam pietatem reſpiciet noſtram propitius ſervitutem. Qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem; ſed ille, qui dixit: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* ac, ut

ut hi eſſent ſui operarii, miſit eos vineam ſuam, & acceperunt ſingulos denarios: ille ipſe, inquam, qui etiam omne debitum dimiſit ſervo, quoniam rogavit eum; dimittet nobis debita noſtra, & denario æternæ remunerationis reſpiciet noſtram propitius ſervitutem, ſi humiliter ei obedientes exoraverimus ſuam immenſam benignitatem. Scimus quidem, quòd, ſi noſtram Deus ſervitutem dignatus fuerit propitius reſpicere, fiet, ut quod in Altari offerimus ſit ipſi munus acceptum, & ſit quoque noſtræ fragilitatis ſubſidium. Regina Saba dixit Salomoni: *Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper*; quia viderat habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum. Plùs, quam Salomon, eſt noſter Dominus Deus: ergo erimus beati, ſi ipſe ſervitutem noſtram dignatus fuerit reſpicere, & in domo ſua ad æternitatem gloriæ voluerit nos accipere, & conſervare, ut exultemus in ejus conſpectu, & delectemur in lætitia, ſtantes in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri; quia ſunt beati, qui habitant in domo Domini hujus, in ſæcula ſæculorum laudabunt eum. Si in conſpectu Salomonis erant ordines miniſtrantium;nos in hac vita temporali (conſiderantes Deum ubique præſentem, cui domeſtici Eccleſiæ militantis ſervimus)ambulemus,velut Abraham, coram Deo, & ſimus perfecti: ordinatè miniſtremus, & ſerviamus Domino Deo noſtro, laudantes illum; quia ſtellæ (id eſt juſti) manentes in ordine,& curſu ſuo adverſus Siſaram (dæmonem) pugnaverunt, & ideò habet Deus in manu ſua ſtellas ſeptem: nam juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace. Itaque eamus cautè, & ordinatè, meliùs quàm exercitus regis Antiochi Eupatoris, quia qui ordinatè Deo ſerviunt, ipſi ſunt qui ambulant, imo, & currunt, & pugnant contra diabolum. Si hæc fecerimus, quomodò Deus propitius non reſpiciet noſtram ſervitutem, ut quod offerimus ſit ipſi munus acceptum, & ſit noſtræ fragilitatis ſubſidium?

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

*F*ecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Captus eſt hamo Leviathan, & prudentia Dei percuſſit ſuperbum. Myſterii (inquit Apoſtolus) æternis temporibus taciti, ſoli Deo cogniti, quod nemo principum hujus ſæculi agnovit: quia ſi cognoviſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. Hoc eſt, mente cordis ſui, hoc in corde ſuo Deus volvebat, immò non volvebat, ſed habebat, & diabolus neſciebat. Stulti principes Thaneos, ſapientes conſiliarì Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Ubi ſunt nunc ſapientes tui? Annuntient tibi, & indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper Ægyptum. Stulti facti ſunt principes Thaneos, emarcuerunt principes Mempheos: deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus. Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis. Iſaiæ 19. Et ibi diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: & fecit potentiam in brachio ſuo. Quia per Incarnationem Filii ſui & potenter dæmones vicit, & prudenter ſupplantavit.* Vincentius Regius dicit: *Fecit potentiam in brachio ſuo. Antequàm Dei Filius carne velaretur, veluti brachium, intra ſinum Patris abſconditus erat; & carni unitus, tunc veluti brachio extenſo ſimilis fuit. Porrò Redemptionis opus per brachium rectè ſignificatur, vel etiam brachio tribuitur, ut ejus declaretur difficultas: majus enim quid fuit redimere, quàm creare mundum, & hinc eſt, quòd opus creationis digito tribuitur, Pſalm.8. Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Quomodò*

igi-

igitur quæ facilia ſunt, digito nos facturos dicimus, meritò Redemptionis opus brachio tribuitur, quod inter opera difficiliora referimus, utimur enim brachio, illudque extendimus, cùm difficiliora aggredimur. Cùm Deus creavit orbem, dicitur, tantùm dixiſſe, & facta eſſe cuncta; at, ut hominem redimeret, ſe ipſum impendit, plurima indignè paſſus. Hoc certè Divinum brachium tunc apprehendit in ſe ſcutum noſtræ humilitatis, cùm naturam induit humanam, objecitque illud hoſti; quo factum eſt, ut ſæviſſimi hoſtis ſagittas hoc ſcuto contectus exciperet. Cajetanus eleganter, Dei brachium Humanitatem ipſam eſſe, interpretatur, nimirùm, tamquàm organum conjunctum Filii Dei. Hæc quidem rectè myſtico ſenſu dicta ſunt. Ergo brachium Dei potentiam, & virtutem intellige. Neque verò allucineris velim, arbitratus, Deo membra ineſſe: per metaphoram enim hæc illi tribuuntur. Habet oculos, quia omnia noſcit: aures, quia audit preces, & querimonias, blaſphemias; os, quia ſe manifeſtat, & aperit: pedes, quia ubique præſens adeſt nulla ſui mutatione, vel novitate: ergo brachia, & manus habet, quia operatur, percutit, punit. Probabiliſſima omnium expoſitio ea mihi videtur, ut laudare hic velit Beata Virgo Deum à rebus potenter, & mirabiliter factis: quaſi diceret: Fecit potenter brachio ſuo; ſeu: Declaravit, quàm potens eſſet brachium ſuum; vel: Roboravit brachium ſuum, id eſt, fortitudinem ſuam. Loqui autem videtur de omnibus, quæ Deus facere conſuevit; quamvìs præſertim ad ea reſpiciat, & alludat, quæ egit cum populo ſuo, & Patribus Hebræorum. Hæc quidem præterita: Fecit, depoſuit, exaltavit, implevit, dimiſit, ſignificant, quid fecerit olim Deus, ſed prætereà etiam innuunt, quid ſoleat, & poſſit facere: verbi gratia: Implevit bonis, innuit, quòd poſſit, & ſoleat implere. Ceterùm ob illas duas virtutes potentiam, & miſericordiam (quarum partim hic, & verſ. 12. partim ſuperius, verſ. 11. meminit, dum dixit: Potens eſt, & ſanctum nomen ejus) Deus igni ſimilis dicitur, Deuteronom. 4. Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt: & jurè; ignis enim ſphæra altiſſima eſt, & omnia complectitur ſub cælo: Deus verò ſphæra altiſſima eſt, cujus (juxta illud Triſmegiſti) centrum eſt ubique, & circumferentia nuſquam: omnia ſub ſe continens: & hoc potentiam declarat. Iterum, ignis in ſe ſub viſum non cadit, niſi dum materiam craſſiorem invadit, deſcenditque terram verſus: Deus verò cerni oculis nequit, ſed ſub aſpectum tamen, oculoſque venit carni unitus: quod bonitatem oſtendit. Habet ignis calorem, quo maximè agit, & ſiccitatem, qua maximè cedit, minimæque eſt reſiſtentiæ: ita Deus, quamvìs potentiſſimus ſit virtute, ac inſuperabilis robore, uno tamen verbo: Peccavi, & una ſæpè lacrymula, per miſericordiam ſtatim cedit. Hæc ſunt verba Vincentii Regii. Cornelius inquit: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Lepidum eſt, quod Sanctus Antoninus part. 2. tit. 3. cap. 2. narrat de quodam Tyranno, qui radi de libris imperavit ex Mariæ Cantico: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles; quòd ſe de ſua ſede poſſe deponi negaret. Cùm ſemel poſt balneum, inquit, veſtes illius Angelus ipſum referens induiſſet, ac domum eum Aulicis veniſſet, ille verò laceras, vileſque ſumere coactus, illuc reverſus in Aulicos diras, & minas jactaret, pro ſtolido habitus ad Angelum deductus eſt, qui verus Princeps habebatur, à quo, poſtquàm eum Aulici effusè riſiſſent, in penetrale admiſſus, deque modeſtia monitus, proprias veſtes induit, ac deinceps in honore, tamquàm legitimus herus, habitus eſt. Aliud exemplum huic ſimile de Clerico ridente ſententiam Chriſti: Qui ſe humiliat, exaltabitur, ex Beato Petro Damiano recenſui Matthæi 23. 12. Superbos. Horum vim majori vi conſilii ſui diſperſit Deus. Albertus hic notat, mentem à metiendo dici; quoniam ea, quæ corde revolvimus, & tractamus, mente menſurantur. Superborum verò mens eſt eorum menſura; quatenùs faſtum, & altitudinem, quam corde tractant, ad effectum perducant: à mente autem cordis diſperguntur, quando iniquè conceptum, & tractatum perficere non poſſunt, juxta illud Iſaiæ* 8. *Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet.* Simon de Caſſia ſic loquitur: *Fecit potentiam in brachio ſuo, cùm diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et in Pſalmo ſcriptum eſt: Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum; in brachio*

virtu-

virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Qui autem inimici Dei, niſi dæmones ſuperbi, ac etiam homines, qui ejus mandata contemnunt, qui ejus Imperium parvipendunt? Dæmones diſperſit eripiendo prædam, ſuperbos autem homines humiliat, aut damnat. Hoc eſt brachium, quod ſpicas, ſcilicèt, animas electorum, legit: brachium, quod omnibus dominatur: brachium, quod difficulter per fidem, & mortem, & ſanguinem, & in multis miraculis revelatum eſt.

Pro: Benedictus.

MAldonatus ait: Quod dicit: Propheta Altiſſimi vocaberis, perinde eſt, atque ſi dicat: Eris, Hebræorum proprietate. Putat Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum, Altiſſimum hoc loco Dei Filium appellari: quaſi dicat Zacharias: Propheta Chriſti vocaberis. Hinc etiam probat adverſus Arianos, non ſolum Patrem, ſed etiam Filium in Litteris Sacris Altiſſimum dici. Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Dominum vocat Chriſtum, ante cujus faciem præceſſit Joannes, cujuſque præparavit vias. Itaque manifeſtum hoc eſt teſtimonium ad probandam Chriſti Divinitatem. Sed hæc omnia verſ. 17. explicata à nobis ſunt. Hìc tantùm notandum, compulſum Zachariam à Spiritu Sancto canere, ut dicunt, palinodiam. Nam, cùm hoc ipſum de naſcituro Joanne prædicenti Angelo non credidiſſet, poſtquàm, ut verſ. 67. dictum eſt, repletus eſt Spiritu Sancto, tenere ſe non poteſt, quin id clara voce profiteatur, ac prædicet. Juvat aliquando mutum fuiſſe, juvat fuiſſe peccatorem. Surgit fortior aliquando virtus ex pœnitentia; & majore contentione miles pugnat, qui proſtratus ſurrexit. Toletus dicit: Et tu puer, &c. Illud: Propheta Altiſsimi, non qualemcumque Prophetam ſignificat. Erant quippe omnes, qui præceſſerunt, Altiſſimi Prophetæ, quia à Deo miſſi ſunt, & quidem ad prænuntiandum Filium Dei venturum; Joannes verò ſingulari quodam modo Altiſsimi dicitur Propheta, quia, nimirum, ad Filium Dei advenientem oſtendendum, & ad populos, ut eum agnoſcerent, diſponendum, miſſus eſt: quod ipſe Chriſtus Matth. 11. declarans dixit: Quid exiſtis videre? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Illud autem: Vocaberis, ut ſuprà annotavimus, Hebræa quædam eſt phraſis, id eſt: Eris: quamvis etiam hoc in loco ampliùs aliquid ſignificet, nimirum, celebrandum à populis eſſe nomine Præcurſoris, & Prophetæ Prænuntii Chriſti: quod quidem, etiamſi non ſit perfectè impletum, quandiu vixit, propter Judæorum incredulitatem, qui nec Chriſtum, nec eum receperunt, adimpletum eſt tanten poſtea perfectiſsimè in Eccleſia, in qua voce Fidelium communi Propheta Dei, Præcurſor, & plùſquàm Propheta vocatur. Sylveira inquit: Aliqui verò Recentiores aptè etiam per Altiſſimum Æternum Patrem interpretantur, & videtur convenientior cum ſequentibus verbis: Præibis parare vias Domini; & cum Malachiæ 3. n. 1. ubi Pater Filio loquitur: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Vocaberis, id eſt: Eris, juxta phraſim Hebræorum; nam, ſuppoſito, quòd aliquid in ſe ita eſt, rectè taliter vocatur. Parare vias ejus, animæ interpretantur à Theophylacto, in quibus habitat Dominus. Communiter tamen per vias intelliguntur virtutes, Fides, Spes, Charitas, quia per illas excluditur peccatum, & anima tendit ad Dominum; & ideò ait: Parare vias, in plurali, non domum: nam hæc erit tantùm in Patria; quandiu autem ſumus in hoc ſæculo, tamquam viatores peregrinamur. Simon de Caſſia ſic loquitur: Et tu puer, &c. Acceperat Zacharias in templo per oraculum ab Angelo, qualis eſſet iſte futurus, & quòd præiturus eſſet Dominum in ſpiritu, & virtute Eliæ: unde hoc, quod de puero nato die octava dicit, ſoluto vinculo linguæ, magìs eſt patefactio ſuſcepti oraculi, quàm Canticum prophetiæ, quamquam ipſe ſpiritu prophetico loqueretur. Puer vocandus erat Joannes, quando hoc promebatur à patre, qui vocandus eſſet Propheta Altiſſimi. Sed parum erat, quòd vocandus erat, niſi evidens, & Index Propheta fuiſſet. Qui etiam, ut Angelus dixit, parare viam Chriſto in cordibus hominum, baptizando, & prædicando præivit. Laudatur omnino præire ad honorem, & præparationem Domini ſubſequentis. Vitatur autem qui propria directione perambulat. Subſequitur Dominus quos ipſe præmittit;

Digitized by Google

mittit; & prædicatores, qui viam Chriſto parare omni virtute contendunt, fovendo proſpergat.

Pro: *Nunc dimittis*.

SYlveira dicit: *Quod paraſti, &c. Et ait Simeon: Paraſti, ut notat Hugo. Sicut miles paratur ad bellum, ita, ſcilicèt, carne, quaſi armis, induiſti ad debellandum adverſarium noſtrùm. Textus: Ante faciem. Quia Chriſtus, ejuſque doctrinæ veritas occultos angulos non quærit, ut hæreſis facit, ſed publica, & manifeſta loca.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

FEciſſe Deum potenter jurè dicitur; quando ſuperbos mente cordis ſui diſperſiſſe idem Dominus cognoſcitur. Joannes vias Dei parat, quia in conſpectu Domini alios præit ſanctitate, ut fiat dignus Præcurſoris Domini ejuſdem nomine. Paravit Pater Æternus Salutare ſuum Chriſtum ante faciem omnium populorum, ut Salvator det populis, & præſidium, & exemplum. His docemur, ut rectiſſimè operemur: hiſce inſtruimur, ut Chriſtianam perfectionem aſſequamur. Facit potenter, qui ſuperbos motus vincit. Præit alios, qui æmulans chariſmata meliora, magis placere Domino ſatagit. Dat præſidium ſuo exemplo quiſquis proximo lumen bonæ operationis intentione recta oſtendit. Laudatur Dominus per diſperſionem ſuperborum potenter faciens: laude fit dignus Sanctus Præcurſor Joannes ſanctitate inter homines excellens, & quamvis non dignitate, ſed tempore nativitatis, & prædicationis, noſtrum Redemptorem præcedens; omnes tamen natos de mulieribus meritis perfectæ vitæ præiens: celebraturque noſter Salvator, nos ſuo patrocinio defendens, & ſuis exemplis inſtruens. Diſcamus facere potenter in abjiciendo jactantiam: erudiamur aviditate ſanctæ gratiæ, & meritorum noſtram meliorare vitam: & edoceamur mundo prodeſſe per vitam verè Chriſtianam. Sed heu! Potiùs ſtudemus ſuperbiæ, quàm humilitati; non verecundiam habentes, quando noſtram debilitatem oſtendimus, qui à parvis hoſtibus vincimur. Volumus alios præire ſede, non perfectione: loco, non merito: dignitate, non virtute: applauſu, non vero animæ profectu: & hominum appretiatione, non operum, laude dignorum, congerie. Pudeat jam nos, quòd debilitatem pro potentia perferimus: erubeſcamus, qui gloriam hominum exercitio veræ virtutis præponimus: & verecundia afficiamur, dum videmus, quòd nec ſubſidio, nec exemplo proximis noſtris proficimus. Fecit Deus potentiam in brachio ſuo, ſuperbos diſperdens, & ſimul noſtræ æternæ ſaluti providens. Anteivit Sanctus Baptiſta Dominum prædicatione, & anteivit puros homines tum perfectione, tum gloriæ merito; ut per Joannem diſceremus Dei vias (vel eam, quam debemus ambulare, ut ad noſtrum liceat Conditorem, ac Redemptorem properare, & accedere; vel illam, quam debemus parare, ut Redemptori eidem noſtro libeat ad nos gratanter venire.) Coràm omnibus populis eſt Chriſtus à Patre Æterno paratus, ut omnibus pateat ad ipſum aditus, & conſequenter (quia ille eſt oſtium) ad vitam veram introitus. Omnia hæc bona nobis præparata perdimus, ſi à ſuperbia debiles vincimur; ſi tepidi, perfectioni Chriſtianæ capiendæ non inhiamus; & ſi acceſſum ad Chriſtum, ingrati, totis viribus non quærimus. Humilis Deus homo, utpote Verbum abbreviatum, in Euchariſtia nos ad potenter vincendam ſuperbiam incitat: idem, ſua Sacramentali præſentia, ut vias ejus ſolicitè præparare toto conatu curemus, ardenter provocat: & paratus ad noſtram ſalutem in eodem Sanctiſſimo Sacramento, ad cœlum benignè invitat. Dicamus diligentes nos vocantem, devotè hanc Orationem ſequentem.

Oratio poſt Communionem.

Sentiamus, quæſumus Domine, tui perceptione Sacramenti, ſubſidium mentis, & corporis: ut in utroque ſalvati, cæleſtis remedii plenitudine gloriemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Mentis, & corporis ſubſidio, petimus à Deo, frui per Divini perceptionem Sacramenti: quia ea eſt Dei Sacramenti virtus, ut poſſimus experiri per illam bonum ſubſidii mentis, & utilitatem ſubſidii etiam noſtri corporis; mentis quidem remedium per gratiam nos in via Dei fulcientem; & corporis fulcimentum per incolumitatem, & corporalem ſalutem. Ergo homo binam habens (ſive duplicem) ſubſtantiam (dum habet ſubſtantiam ſpiritualem, nempe rationalem animam immortalem,& habet etiam ſubſtantiam corpoream corruptioni, ac morti ſubditam) totus per Divinum Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto cibatur, & in corpore, atque etiam in anima melioratur: quia,& anima in Dei ſervitio per ſubſidium Dei Sacramenti firmatur; & corpus quoque per ſubſidium Sacramenti ejuſdem in ſalute temporali ſtabilitur. Itaque, ſi perceptione Divini Sacramenti ſentierimus, ſeu experti fuerimus (vel ad minùs, quin ſciamus, receperimus) mentis, & corporis ſubſidium; nihil deerit pro hoc vitæ noſtræ temporalis termino, ſive duratione, deſiderandum, cùm in hoc cibo Sacramentali invenerimus vitæ ſpiritualis, & corporalis remedium. O ſacrum Convivium, in quo futuræ gloriæ nobis pignus datur! Et, quia in beatitudine æterna, cujus Sacra Euchariſtia eſt pignus, ſperamus, nos fore mente, & corpore glorificandos; hoc pignus noſtræ gloriæ eſt mentis ſubſidium, dans animabus ſanitatem; & eſt quoque corporis ſubſidium, corporibus multoties mirabilem largiens, & communicans ſalutem. Sic in utroque ſalvati (id eſt, ſani & mente, & corpore per Euchariſtiam effecti, ac per eamdem Euchariſtiæ virtutem ad vitam ſempiternam animæ, & corporis præparati) ſperamus, quòd cœleſtis hujus remedii in æterna Patria gloriabimur plenitudine.

CAPUT QUADRAGESIMUM

Pro Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ,& ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ duodecimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Secundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

Syriacus Textus eſt hic: *Qui ſecundùm libidines ſuas impietatem ſequuntur*. OEcumenius legit: *Quia juxta impias ſuas cupiditates ambularent*. Æthiopicus: *Qui docebunt ſecundùm concupiſcentiam cordis eorum, & ſeducent per peccata ſua*. Syriacus alter: *Qui ſecundùm concupiſcentias ſuas ambulant poſt impietatem*. Arabicus: *Currunt in ſuis deſideriis impudicitiæ*. Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Secundùm deſideria ſua ambulantes (quos tali ſigno poteſtis cognoſcere, quòd guloſi, avari) in impietatibus. Vel ſecundùm deſideria impietatum*. Hugo Cardinalis: *Secundùm deſideria ſua ambulantes, quia guloſi, avari, & hujuſmodi. Non in pietate cultus Divini. Et hoc ſigno poterunt cognoſci. 2. ad Timoth. 2. a. Hoc autem ſcitote, quòd in noviſ-* ſimis

Digitized by Google

ſimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores pluſquàm Dei. Nicolaus de Lyra: *Secundùm deſideria ſua ambulantes. Id eſt, carnaliter viventes, & hanc vitam hominibus laxantes, ad quam ſunt proni. In impietatibus. Id eſt, ut per hoc avertant eos à vero cultu Divino, qui pietas nominatur.* Eſtius: *Secundùm deſideria ſua, &c. Id ipſum jam ſuprà dixerat verſ. 16. ſed hîc repetit, tamquàm verbis Apoſtolorum, qui hoc prædixerant. Sunt enim verba Beati Petri proximè poſt ſuperiora: Juxta proprias concupiſcentias ambulantes. Quod idem eſt in Græco. Et in iiſdem locis, pro: Ambulantes, legitur: Incedentes, euntes; Hebraiſmo ſignificante quotidianam vitæ conſuetudinem. Quod additur hoc loco: Impietatibus, vel, ut alii quidam Codices habent, in impietate, Græcè eſt: Impietatum; ſicut & in Latinis quibuſdam antiquis legitur; ut referatur ad: Deſideria, ſeu cupiditates, ſitque ſenſus, quem reddit quædam Verſio: Quòd ambulaturi ſint juxta ſuas impias cupiditates, id eſt, cum impietate conjunctas. Quem ſenſum ſatis probant myſteria Gnoſticorum, apud Epiphanium.* Menochius: *In impietatibus. Græcè eſt: Impietatum. Quaſi dicat: Deſideria eorum ſunt deſideria impietatum, id eſt, impiiſſima.* Cornelius: *Secundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Quaſi diceret: Deſideria eorum ſunt deſideria impietatum; id eſt, rerum impiarum, & impiiſſima. Syrus: Qui ſecundùm concupiſcentias ſuas ambulant poſt impietatem. Arabicus: Currunt in ſuis deſideriis impudicitiæ.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Si ſecundùm carnem vixerimus, moriemur; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus. Itaque debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Adæ debitum in corporali morte omnes ſumus ſoluturi: ergo curemus mortis meditatione ſic vivere, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, & ad hoc (quia juſtitiæ Domini rectæ, & quia Deus judicat ſecundùm uniuſcujuſque opus) memoremur juſtitiæ Dei ſolius. Juſtitiæ hujus rigori ſe ſubjicientes, & illam oblivisſcentes, homines peſſimi, de quibus hic loquitur Sanctus Judas, peccabant effrænes, & laxatis habenis ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Quid mirum, quòd incurrerint æternum præcipitium, deſcendentes in profundum, quaſi lapides? Peccantes contra Deum ambulaverunt vias difficiles, & venerunt ad pœnas difficiliores: nam quis poterit habitare de nobis cum igne devorante? Quis habitabit ex nobis cum ardoribus ſempiternis? Laſſati ſunt illi miſeri in via iniquitatis; & in captivitate æterna diaboli, laſſis non dabitur requies. Cùm hæc ita ſint, tamen Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum. Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem? O quomodò Chriſtus videns tot civitates, tot animas ſeductas, piis lachrymis flet ſuper illas, & dicit cuique: *Quia ſi cognoviſſes & tu:* quaſi dicat, ait Sanctus Gregorius Magnus: *Quia neſcis quod imminet, exultas.* Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite, quòd deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde. Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: *Quid feci?* Scito, (peccator) & vide, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te. Exacerbavit Dominum peccator. Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum. Propter quid irritavit impius Deum? Propter quid? cùm ſint univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus? Gu-

ſtant peccatores paululum mellis, & ecce moriuntur. Adhuc eſcæ eorum ſunt in ore ipſorum,& ira Dei aſcendit ſuper eos.Sicut piſces capiuntur hamo, ita peccatores in tempore malo. *Piſces ſunt, qui hanc enavigant vitam*, ait Sanctus Ambroſius: ergo piſcis, qui, in aquis dulcibus fluminis currentis ad mare, conatur contra fluentem aquam ambulare, noſcitur eſſe vivus; & qui portatur à profluente dulci verſus mare amarum, eſt mortuus. Noli dicere: *Nolo me conſuetudini aliorum coętaneorum, vicinorum, ſeu ſociorum opponere: volo ſicut ipſi ambulant, per ſæculi delicias voluptateſque ambulare*: quia, ſi à talibus duceris, per dulcedines vitiorum fallaces, & falſas ad mare amarum, & mortem ſecundam æternæ condemnationis properas; non volens malæ conſuetudini reſiſtere, & contra illam agere, ut à condemnatione diſcedas, & cognoſci poſſit, quòd vita gratiæ vivas. Vel inter tenebras ſuæ infidelitatis plangebat Seneca dicens:*Omnes imus, non quò eundum, ſed quò itur*. Si eſt conſuetudo malè operandi, eſt etiam conſuetudo, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, propter malam vitam cadendi in damnationem gehennæ. Eja, vel vaccas illas portantes arcam Teſtamenti, quamvis eſſent irrationales, imitemur: quia, licèt eſſent animalia bruta, ibant in directum vaccæ per viam,quę ducit Bethſames pergentes, & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: & quia juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei; eamus in directum (non ſecundùm torva deſideria noſtra ambulantes in impietatibus) pondus legis portantes, pergentes, quamvis mugientes: ſentientes quidem dolorem mortificationis affectuum, & carnalium appetituum, quod eſt mugire; ſed tamen pergentes, hoc eſt, à recta via Chriſtiana, & cœli, non declinantes. His intenti, curemus Deo, & Domino noſtro ore ſupplici, & corde has duas Orationes dicere.

Oratio Officii Dominicæ duodecimæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

OMnipotens ſempiterne Deus, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè, & laudabiliter ſerviatur: tribue, quæſumus, nobis: ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

IN *multis offendimus omnes*, ait Sanctus Apoſtolus Jacobus; ſed per auxilium Dei gratiæ conſequi poſſumus, ut ad promiſſiones Dei ipſius ſine offenſione curramus. Docet nos Sacer Textus, quòd ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & quòd qui feſtinus eſt pedibus, offendet: quòd ſtultitia hominis ſupplantat greſſus ejus, & contra Deum fervet animo ſuo: quòd ſunt multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit: quòdque timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſima. Ex hac doctrina Sacri libri Proverbiorum debemus diſcere caſus, & offenſiones in via Dei vitare: ut, ſecundùm Sanctum Gregorium Magnum, in via vitæ boni operis greſſus ponamus, & per perſeverantiam in bono incœpto uſque ad mortem, benè in eadem via pedes figamus:at ſic ad promiſſiones Dei ſine offenſione poſſimus currere cum omni ſecuritate. Chriſtus Dominus dixit: *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: ſi autem ambulaverit in nocte, offendet, quia lux non eſt in eo. Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.* Juxta Eccleſiaſticum,multi dati ſunt in auri caſus,& facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum. Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium: væ illis, qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiit in illo. Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit,

abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna. Ex his verbis Chriſti Domini, & Eccleſiaſtici datur intelligi, quòd ſine luce gratiæ non poſſumus ad Dei promiſſiones currere: & quòd inimici animarum noſtrarum cogitaverunt ſupplantare greſſus noſtros: abſconderunt ſuperbi laqueum nobis: & funes extenderunt in laqueum: juxta iter ſcandalum poſuerunt nobis. Utinam cuſtodiat nos Dominus à laqueo, quem abſconderunt nobis, & à ſcandalis operantium iniquitatem; nè fortè in curſu ad Dei promiſſiones, offenſionibus noſtris impediti, & detenti, non ad cœlum properemus, & accedamus; & nobis claudatur cœli janua in æternum, veluti fatuis virginibus. Ergo voce noſtra ad Dominum clamemus, voce noſtra ad Dominum deprecemur, ut liberet nos à perſequentibus nos, quia confortati ſunt ſuper nos: & ut educat de cuſtodia animas noſtras ad confitendum nomini ſuo, dum nos expectant juſti, donec retribuat nobis ille, qui cognovit ſemitas noſtras, & poteſt nos liberare de laqueo venantium, & facere, quòd nemo noſtrûm fortè offendat ad lapidem pedem ſuum. Faxit Deus ipſe, ut ad promiſſiones ſuas ſine offenſione curramus; & ad hoc tribuat gratiæ ſuæ adjutorium, ut ad illas currere ſine offenſione poſſimus: quia ille eſt Omnipotens Deus, de cujus munere venit, ut ſibi à fidelibus ſuis dignè, & laudabiliter ſerviatur; & conſequenter ad ſuas promiſſiones currere ſine offenſione, venit quoque de gratiæ ipſius munere. Si per Dei munus obtinuerimus ipſi Deo dignè, & laudabiliter ſervire (dignè quidem quoad Deum, laudabiliter quoad debitum proximis noſtris exemplum) ad promiſſiones Domini ejuſdem poterimus currere abſque caſu in peccatum, ac ſic ſine offenſione: & etiam quando ad promiſſiones ſuas ſine offenſione per gratiam ipſius cucurrerimus, tunc etiam per ſuam gratiam illi dignè, & laudabiliter ſervire ab omnibus dignoſcemur.

ORATIO SECRETA.

Hoſtias, quæſumus Domine, propitius intende, quas ſacris altaribus exhibemus: ut nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Hoſtias, quas ſacris Altaribus exhibemus, intendi à Deo propitio deſideramus, & hoc ab eo depoſcimus. Quid nobis non veniet boni, ſi hoſtias Altaribus ſacris exhibitas Dominus velit intendere? Veniet utique totum nobis pro hac vita deſiderabile; ſiquidem nihil in hac vita melius optare poſſumus, quàm Dei honorem, & noſtram utilitatem. Omnia hæc conſequemur, ſi hoſtias, quas ſacris exhibemus Altaribus, intenderit propitius noſter Deus, qui ſimul eſt noſter Dominus: quia hoſtiæ ab eo intentæ, nobis indulgentiam largiendo, honorem nomini Domini ipſius noſtri dabunt; & proficient ad Domini ejuſdem gloriam; quando largitæ fuerint nobis indulgentiam ſaluti noſtræ proficuam. Indulgentiam quidem nobis proficuam largientur, quandoquidem ſimul honorem nomini Dei dabunt (cùm verum ſit illud: *Propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum*: & illud etiam ex Textu Sacro: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo*:) & nihil nobis magis proficuum, quàm quòd veniat nobis remiſſio peccatorum noſtrorum, dum Deus ſimul ex eorum remiſſione habet ſuæ gloriæ accidentale incrementum. Largiendo nobis prædictæ hoſtiæ indulgentiam, Dei nomen afficient honore, ad laudandam ejus Majeſtatem Divinam. Largiantur ergo hoſtiæ Sacris Altaribus exhibitæ, & à Deo intentæ, nobis indulgentiam: & indulgentiam nobis largiendo, dent honorem nomini Divino; quò enim major fuerit, & amplior noſtrorum delictorum venia, eò magis honorabitur Dei nomen; ut Majeſtas Dei per hoc plùs, & plùs laudetur: & ampliùs, ampliùſque illius benigniſſima bonitas benedicatur.

Tex-

Digitized by Google

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

FEcit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

SYlveira ait: *Fecit potentiam, &c. Fecit potentiam, ait: quæ in multis reſplendet in Incarnatione; ut duæ naturæ diſtantiſſimæ, humana, & Divina, eſſent conjunctæ in eodem ſuppoſito. Quod fuit opus ſummæ potentiæ Dei, ut latè explicat Divus Thomas Opuſc. 50. art. 1. Et tandem in natura aſſumpta fecit potentiam, ſeu robur fortitudinis, & operis, & ſermonis, ac univerſalis dominii, & totius juſtitiæ, & gratiæ. Diſperſit ſuperbos, ſeu: Diſſipavit ſuperbos, id eſt, dæmones. Ita Divus Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici, Divus Bonaventura, Hugo Victorinus. Vel intelligit Judæos. Ita idem Auguſtinus, Theophylactus. Tamen Joannes Cartagena lib. 6. homil. 22. de hæreticis eſſe ſermonem opinatur. Tandem per ſuperbos intelligunt peccatores hujus ſæculi, Divus Bonaventura, Carthuſianus, & Auctor Græcus in Catena. Hos enim omnes virtus, ac potentia Chriſti diſſipavit, ac de eis omnibus reportavit victoriam. Superbos, ait. Quia, ut inquit Cajetanus, cùm cetera vitia fugiant, ſola ſuperbia ſe opponit Deo, & propterea actio Jeſu Chriſti in totum genus perſeverantium in iniquitate, deſcribitur à capitibus eorum ſuperbis. Textus: Mente cordis ſui. Divus Auguſtinus in expoſitione Cantici illud reciprocum: Sui, ad Deum refert, id eſt, alto conſilio ſuo illos diſſipavit. Sed obſtat lectio Græca, quæ habet: Cordis ipſorum. Communis ſententia eſt, quòd iſtos peccatores tumentes diſſipavit à cogitationibus ſuis, dum diverſum exitum habuerunt ab eo, quem ipſi putabant. Beatiſſima Virgo Maria ſolùm in principio hujus Cantici Deum nominavit: In Deo ſalutari meo, & in toto progreſſu uſque in finem illum ſubticuit, & in unoquoque carmine ſemper illum ſubintellexit, ſemel, & iterùm: Fecit mihi magna; Fecit potentiam in brachio ſuo, id eſt: Deus fecit mihi magnam: Deus fecit potentiam. In principio Deum nominavit, ut eſſet evidenter notum, quòd de illo loquebatur; in reliquis omnibus nomen Dei non expreſſit, ſed ſubintellexit, ob ſuam profundam humilitatem, & magnam erga nomen illud reverentiam; quia ſe reputabat indignam, ut ipſum Dei nomen frequenter ore tractaret. Conſidera ex hoc, quanta puritas tibi ſit neceſſaria, qui ad Euchariſtiam accedis, ubi non Dei nomen, ſed ipſum realiter ore ſumis. Notat Genebrardus ad initium explanationis capitis primi Cantici Canticorum, quòd in toto Canticorum libro nomen Dei non ponitur. Dico ad rem noſtram, quod dilecta anima tantam puritatem, ac reverentiam agnoſcebat in ſanctiſſimo Dei nomine, ut nec ore illud aſſumere, ac pronuntiare auderet; tu autem, qui accedis, non ſolùm ad nomen Dei dicendum, ſed etiam ad ejus ſacratiſſimam carnem guſtandam, conſidera, quanta præparatione, ac puritate debes accedere. Quæritur, quarè, dum eſt ſermo de miſericordia Dei erga timentes eum, ſuperiori verſu nulla ſit mentio potentiæ, vel roboris, maximè verò, dum agitur de ſupplicio peccatorum in hoc carmine? Reſpondetur, quòd, ut Chriſtus Dominus ſuis timentibus diffundat divitias miſericordiæ, ſpontè, ac naturali propenſione volat; ad peccatores autem diſpergendos, ac ſupplicio mulctandos, quodammodò invitus pertrahitur, ita, ut opus fuerit, ut Æternus Pater brachio ſuo, id eſt, Filio ſuo potentiam, robur, ac vim inferret. Divus Hieronymus in Gloſſa: Opus proprium Dei eſt miſereri, parcere, condonare; non ſuum, ſed alienum eſt iraſci, punire.* Hugo Victorinus dicit: *Fecit potentiam in brachio ſuo: & diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Poſſumus etiam non inconvenienter ſuperbos Judæos intelligere, qui gloriabantur, ſe eſſe de genere Abraham, & in ſua juſtitia præſumebant: & propterea juſtitiæ Dei non erant ſubjecti. Iſtos ergo ſuperbos, facta potentia in brachio*

ſuo,

Digitized by Google

ſuo, diſperſit Deus mente cordis ſui; quia per Filium ſuum in carne venientem ex operibus legis neminem juſtificari poſſe docuit, ſed per fidem, quæ ex Deo eſt. Judæos autem, qui opera legis contra Dei juſtitiam defendere couati ſunt, & humilem Chriſti adventum ſuperbè contempſerunt, à gratia ſua, in qua ſtare videbantur, abjecit: & Gentes peccata ſua humiliter confitentes, Deique juſtitiam præferentes, aſſumpſit. Unde convenienter adjungitur: Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles. Vincentius Regius inquit: *Adverte, juſtam ſatis, ac dignam, & propriam ſuperborum eſſe pœnam, ut diſperdantur, ac inſtar aquæ effundantur: ſicut enim ſparſa in terram aqua, primùm quidem reparari, vel colligi nequit: deinde à ſitiente terra abſorbetur; denique in vapores evaneſcit: ita nullum eſt vitium, cui difficiliùs curatio adhiberi poſſit, atque eſt ſuperbia: deinde mentem ita abſòrbet, ut ad cœleſtia nequeat aſſurgere; poſtremò in nihilum quodammodò redigit ſtudia, cogitationes, denique hominem ipſum: cujus memoria cum ſonitu perit. Et verò, ſicut pulvis raptatur à vento; ſimiliter & fumus: ita homo pulveri, ac fumo adſimilis, non mirum, ſi à rapidiſſimo vento ſuperbiæ rapiatur, diſpergatur, diſſipetur.* Maldonatus ſic loquitur: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: pro: Diſperſit cogitationes cordis ſuperborum, id eſt, ipſorum conſilia, & machinationes. Diſperguntur autem, & diſſipantur conſilia, & cogitationes ſuperborum, cùm in diverſum evadunt exitum, quàm ipſi putabant. Superborum dixit potiùs, quàm impiorum, aut iniquorum, quia, quamvis omnes iniqui, & impii intelligantur, tamen ſignificantiùs hoc loco ſuperbi, quàm impii, aut iniqui vocantur. Quia ſuperborum conſuetudo eſt multa, & varia agitare conſilia, quibus eorum ambitio nutriri ſolet. Simile quiddam de avaris Jacobus ſcribit cap.3. 13. Ecce nunc, qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in craſtino.*

Pro: *Benedictus*.

TOletus ait: *Et tu puer, &c. Altiſſimi Propheta vocaberis: parabis enim vias Domini, id eſt, Chriſti, qui Filius eſt Altìſſimi: ad hoc enim ſolùm Joannes miſſus eſt: priores quidem Prophetæ ad alia etiam munera miſſi ſunt, Joannes verò ad Chriſtum oſtendendum. Gregorius lib. 2. in libros Regum ſic inquit: Præcurſori Redemptoris, paterni oraculi laude promittitur: Tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ante faciem quidem Domini præire deſcribitur, qui in miniſterio ſuo non erat ſecuturus arbitrium ſuperioris hominis, ſed inſpirationem Divinitatis.* Sylveirà, *interrogans, quare octo dierum infantem alloquatur Zacharias? ait: Reſpondeo primo cum Origine homil.10. in Lucam, Divo Ambroſio, Theophylacto, Beda, Carthuſiano, & Divo Bonaventura, uſum rationis datum fuiſſe Joanni in utero matris. Potuit enim, ut ait Divus Ambroſius, vocem patris natus audire, qui Mariæ ſalutationem, antequàm naſceretur, audivit. Secundò: Reſpondent aliqui, eſſe valdè uſitatum in Sacra Scriptura loqui ad res carentes ratione, & inanimatas. 2. Reg.1. n.21. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat ſuper vos. Joſue 1. n. 12. Sol, nè movearis. Tertiò. Beda, Zacharias Epiſcopus, Brononius in Commentar. hujus Cantici: Niſi fortè, ait Beda, putandus eſt Zacharias propter eos, qui aderant, potius inſtruendos, futura ſui filii munera, quæ dudum per Angelum didicerat, mox ut loqui potuit, prædicare voluiſſe. Zacharias, qui Angelo non credendo mutus factus eſt, mox ut habuit loquendi poteſtatem, non potuit ſe cohibere, quin prædicaret quæ ab Angelo audierat, ut magnalia filii ſui omnibus eſſent nota. Quartò. Origines homil.10. in Lucam. Ideo, ait, reor, Zachariam feſtinaſſe, ut loqueretur ad parvulum, quia ſciebat, cum poſt paululùm in eremo moraturum, nec ſe ejus poſſe præſentiam habere. Tam recenter natus Joannes jam ſuſpirabat deſertum, & magno affectu ad ipſum ferebatur, ut delicias mundi fugeret, & tamquàm vox clamaret; ideò patri fuit feſtinandum, nè totaliter ejus colloquio pri-*

privaretur. Similia habet hìc Theophylactus in præſenti.

Pro: *Nunc dimittis.*

MAldonatus ait: *Quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Sed nimirum non ſuopte ingenio myſterium iſtud cognovit, & credidit Simeon, ſed Divina id, ſicut Apoſtoli poſteà, conſecutus eſt gratia. Quæ cur Simeoni tam citò, Apoſtolis tam ſerò myſterium revelaverit, Divino judicio relinquendum. Si quid tamen humana in Divinis ſcrutandis conſiliis conjectura poteſt, veroſimile eſt, ideò Simeoni revelatum, quia conveniebat, ut is, qui tanto tenebatur deſiderio Judæorum videndi Salvatorem, Salvatorem etiam videret Gentium, cognoſceretque, majus ſe, quàm expectabat, beneficium accepiſſe, quemadmodum & Græcus ille in Catena Divi Thomæ Auctor admonuit; ideò Apoſtolis ante Aſcenſionem in cœlum Chriſti non revelatum, quia conveniebat, ut myſterium quod ante id tempus prædicaturi non erant, ignorarent. Prius enim, quàm Spiritus Sanctus in illos mitteretur, prohibiti ſunt extra Judæam prædicare. In viam, inquit, gentium nè abieritis, & in civitates Samaritanorum nè introjeritis, Matthæi 10.5.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

C*Ontra folium, quod vento rapitur,* (ajebat Deo Sanctus Job) *oſtendis potentiam tuam? & ſtipulam ſiccam perſequeris? Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Si ita oſtendebat Deus ſuam potentiam contra Job juſtum, & timentem Deum; quomodò non oſtendet potentiam ſuam brachio ſuo ſuperbos puniens, & eos mente cordis ſui, ſicut merentur, diſpergens? Sunt ſuperbi folia, quæ à vento ſuæ vanitatis rapiuntur, ſunt quoque ſtipulæ, quæ ab omni humore veræ virtutis ſunt ſiccæ. Ergo oſtendat Deus ſuam potentiam, & eam faciat in brachio ſuo, peccatores elevatos dejiciens, & ſiccos virtute perſequens, dum eos diſpergit mente cordis ſui: ut qui debebant jacere humiles, ac habere viriditatem bonæ operationis, & non ſic faciunt; potentiam Dei ſuper ſe videant, & punitionem juſtam ſuorum ſcelerum ſentiant. Propheta Altiſſimi appellandus prædicitur Sanctus Joannes à Zacharia ejus Patre, illum paraturum vias Dei præſagiente. Ergo, quia Deus diligit miſericordiam, & judicium, per judicium ſuperbos puniens, & per miſericordiam humilibus favens (cùm verum ſit, quòd eſt magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Suſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores uſque ad terram:) potens quando diſpergit ſuperbos deſcribitur, & Altiſſimus, quando miſericorditer mittit Joannem, ut omnes credant per illum, & paret vias Chriſti ad hominum ſalvationem, appellatur. Salutare populis paratum nuncupat Sanctus Simeon Chriſtum Dominum, quia miſit Deus Filium ſuum, ut ſalvetur mundus per ipſum; nè poſſint homines, qui æternaliter pereunt, excuſari, dicentes, quòd incidunt in æternam damnationem ob non paratam ſalutem. Etiam ſic judicium Deus noſcitur diligere, quando ante faciem omnium populorum parat ſuum Salutare: & pavere debemus etiam Deum miſericordem nobis parantem Salvatorem, & ſalutem: cùm fundanda ſit in judicio contra nos major pœnarum animadverſio ſuper miſericordia Salvatorem mundo mittente, & ſalutem ante faciem omnium populorum parante. Qui igitur audimus Dominum forti, ac potenti brachio ſuperbis ingerentem ſupplicia: qui ſcimus Altiſſimum eſſe uſum ſua magna miſericordia, mittendo Divinum Præcurſorem Chriſti, qui iſtius Dei Hominis vias pararet, ut populus ejus notitiam, & ſalutem obtineret: quique novimus etiam à Dei clementia fuiſſe Salvatorem paratum ante faciem omnium populorum; paveamus abſorpti præ timore Dei juſtitiæ, etiam quando gaudemus pro obtentis beneficiis ſuæ miſericordiæ, & clementiæ: nam, duplex mittendi Joannem,

& pa-

& parandi Salvatorem miſericors Domini operatio, altam faciet videri Dei ipſius juſtitiam contra ingratos in judicio. Memores igitur Dei judicii, ac ſimul illius miſericordiæ; ut per hanc in die judicii liberemur, ſequentem Orationem poſt Communionem ſupplici affectu dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Viviſicet nos, quæſumus Domine, hujus participatio ſancta myſterii: & pariter nobis expiationem tribuat, & munimen. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

POſſumus, & debemus ſperare, quòd nos viviſicabit participatio ſancta myſterii Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, quia hæc, ut ait Sanctus Auguſtinus, eſt cibus, & potus, qui, eos à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit: & ideò viviſicationem depoſcimus, quando participes facti hujus Sanctiſſimi Myſterii, accepimus in Altari, ſeu de Altari, Corpus, & Sanguinem Chriſti. Qui viviſicationem hodie flagitamus, expiationem quoque à Deo per Myſterii ejuſdem participationem poſtulamus, ſimulque munimen per talem participationem petimus. Poſcimus itaque viviſicari; & pariter expiari, atque muniri. Benè nos poterit tanti boni participatio expiare, atque munire, quando valet nos ipſa viviſicare. Quos participatio talis vitæ reddiderit, de myſterii Altaris participantes viviſicans; eos non relinquet ſordidos, nec deſeret immunitos. Defendet quidem illos, quos viviſicans etiam expiaverit; quia quibus datum fuerit per Sacram Euchariſtiam conſequi viviſicationem expiantem, concedetur etiam obtinere per Euchariſtiam eamdem, munimen, & defenſionem. Noſcatur igitur Divinum Sacramentum expians, & muniens, dum cognitum fuerit viviſicans; ut Deo pro tali copia beneficiorum jugiter reddamus gratias. Certùm eſt, quòd Myſterium Sacræ Euchariſtiæ (utpote Sacramentum vivorum) ut licitè recipiatur, & ſuos effectus mirabiles operetur; præſupponit gratiam in Sacramento Baptiſmi, vel Pœnitentiæ acceptam, vel ſaltem in Baptizato gratiam provenientem (ſi ille habebat grave peccatum) à perfecta contritione (dum non eſt copia Confeſſarii, & neceſſitas celebrandi, aut communicandi urget) cum voto Sacramenti Pœnitentiæ. Quam ergo confert viviſicationem Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti? Eam ſanè, quæ facit Fidem vivaciorem, Spem firmiorem, & accenſiorem Dei, & proximi Charitatem. Eam etiam viviſicationem præſervativam tribuit Euchariſtia, quæ mori nos morte ſpirituali facilè non ſinat, & à morte peccati gravis præſervet, atque cuſtodiat. Magna quidem viviſicatio eſt iſta, quæ taliter à nobis pecccatum arcet, ut expiationem nobis ſimul tribuat, & munimen; expiationem profectò, qua per augmentum gratiæ peccata tolluntur levia: & munimen ad vitandum in poſterùm caſus, & fortiter reſiſtendum quibuſvis animæ hoſtibus, atque ad triumphandum multoties etiam de inimicis corporalibus.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM

Pro Dominica decimatertia poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimætertiæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

VErſio Syriaca eſt hæc: *Hi ſunt illi, qui ſegregati ſunt*. Arabica: *Hi ſunt, qui cruciantur*. Alia Verſio apud Bibliam Maximam: *Hi ſunt exterminatores*. Joannes deLa Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Alii* (ſupple, legunt, vel vertunt;) *Qui ſegregati ſunt, exterminantes. Senſus. Ipſi enim primùm ſeſe ab Eccleſia ſegregant, ut habet Vulgata: tum verò alios in eumdem errorem pertrahunt: & ſic non malè alii vertunt: Exterminantes*. Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos à ſorte juſtorum*. Hugo Cardinalis: *Hi ſunt, &c. id eſt, à facie hominum ſe ſeparant, ut habitantes in abditis conventicula faciant de ſanguinibus. Et propter hoc promittit eis Dominus per Pſalmum 15. Quòd nec memor erit nominum eorum per labia ſua. Vel: Segregant, id eſt, ſeorſum à grege Domini ſe agunt, id eſt, à conſortio bonorum, & communione Sanctorum, quia non ſunt in Sancta Eccleſia Catholica. Unde nec habent remiſſionem peccatorum: ſimiles diabolo, qui ſe à Sanctorum grege Angelorum ſegregavit*. Eſtius: *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos. Rurſus alias adjungit notas, quibus dignoſcantur impoſtores illi. In Græco non additur: Semetipſos; ſed noſter Interpres ſubintelligi putavit. Eſt enim hæreticorum proprium ſemetipſos ſegregare à corpore Eccleſiæ Catholicæ, ac ſeorſim conventus agere. Quò pertinet, quod Paulus ad Titum 3. ſcribit, hæreticum eſſe proprio judicio condemnatum. Etenim, dum à ſocietate Fidelium ſe ſubducit, ac ſeparat, ipſe quodammodò ſe ipſum excommunicavit. Ita quidam Calvinianæ ſectæ magiſtri, & coryphæi, ante paucos annos palàm confeſſi ſunt, & gloriati, quòd ab Eccleſia Romana ſeſe ſeparaſſent. Eodèm redit ſenſus, ſi ſegregationem intelligas à doctrina Eccleſiæ. Nam hoc ipſum eſt ſe ab Eccleſia ſeparare. Poteſt autem abſolutè ſumi participium: ſegregantes, ſive ſeparantes, ut intelligantur qui ſeparationem faciunt tam in cœtibus, quàm doctrina, ut non ſit neceſſe ſubaudiri certum quiddam pro caſu, qui regatur vi illius participii. Clemens Alexandrinus interpretatur: Segregantes Fideles à Fidelibus, id eſt, alios ab aliis. Unde OEcumenius Græcam vocem, ut pote ductam à termino: ut ſit, extra terminos Eccleſiæ quempiam educere, elicere, extrudere*. Nicolaus de Lyra: *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos: ab unitate Fidei Catholicæ*. Menochius: *Segregant ſemetipſos. Ab Eccleſia, à Chriſto, & à Deo*. Tirinus: *Qui ſemetipſos ſegregant ab Eccleſia, ut militante, ita à triumphante, & conſequenter à Chriſto, & à Deo*. Cornelius à Lapide. *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos. Ab Eccleſia, & cœtu Fidelium, ac conſequenter à Deo, Chriſto, & cœlo, faciendo ſchiſma, Eccleſiam, & ſectam propriam. Tò: Semetipſos, deeſt in Græcis. Unde OEcumenius Græcum verbum, diſtinguentes, dividentes, diſcriminantes, vertens: Exterminantes, vel potius: Diſterminantes, ſic explicat: Qui diſterminant, id eſt, qui extra Eccleſiæ terminos, hoc eſt, extra Fidem, & Sacrum Eccleſiæ tabernaculum homines abducunt, & ſeparant. Cùm enim ſua diverſoria, & col-*

legia

legia ſpeluncas latronum fecerint, ab Eccleſia rapiunt, atque ad ſe adigunt. Apoſtoli ergo primitùs ad unitatem Eccleſiæ, & ad conſocietatem Fidelium, utque meliùs omnes cognoſcere, curare, & promovere poſſent, valdè urgebant Chriſtianos, ut Eccleſias, & cætus communes frequentarent. Hinc illud *Actor. 2. 46. Quotidie perdurantes unanimi ter in Templo: & cap. 20. verſ. 7. Cùm conveniſſemus ad frangendum panem: & 1. ad Corinth. 11. 11. 20. Convenientibus ergo vobis in unum. Hebræor. 10. 15. Non deſerentes collectionem noſtram. Clemens Romanus lib. 2. Conſtitut. Apoſt. cap. 59. Convenite, ait, in Eccleſiam ſingulis diebus mane, & Veſpere ad canendos Pſalmos. Sanctus Ignatius Epiſt. 6. ad Magneſ. Omnes ad orandum in idem loci convenite, ſit una communis precatio. Et Epiſt. 11. ad Polycarpum: Crebriùs celebrentur conventus, Synodique: nominatim omnes inquire.* Hucuſque Cornelius,

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

EX patre diabolo ſunt, non generatione carnis, ſed imitatione illius iniquæ virtutis, illi, qui ſegregant ſemetipſos, removentes ſe ab æterna ſalute, dum voluntariè ſeparantur à Fidelium, & juſtorum ſocietate. Benè juxta Verſionem Arabicam legitur: *Hi ſunt qui cruciantur*, ubi apud Vulgatam legimus: *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos*: nam idem eſt voluntariè ſeparari, ac cruciari: & ideò ibunt in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus illi, qui ſegregantes ſemetipſos, peſſimè voluerunt imitari rebelles, & apoſtatas angelos ſe à bonis Angelis dividentes, & ſeparantes, vexillum ſuperbiæ contra Deum erigentes, ac per hoc ſemetipſos ab aliorum ſocietate ſegregantes. Cruciantur hi peccatores, qui ſegregant ſemetipſos; reſpondente digno ſupplicio, peſſimo eorum ſegregationis peccato. Segregati peribunt, qui benè congregati ſalvarentur. Sic ſegregati non habent emolumentum ſocietatis ſuæ. De juſtis dicitur in Pſalmo: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.* Ergo malum, & funeſtum eſt ſegregari à contubernio fidelium: quoniam ſuper ſemetipſos ſegregantes veniet maledictio Divina, & mors æterna, ac propter hanc ſegregationem Deus pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, cùm verum ſit etiam illud: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamèn fex ejus non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Chriſtus nobis dixit: *Eſtote ſimplices ſicut columbæ.* Hæc verba explicans Sanctus Auguſtinus ait: *Columbam ſecurus imitare, attende columbas in ſocietate gaudere. Ubique ſimul volant, ſimul paſcuntur, nolunt eſſe ſolæ, communione gaudent, charitatem ſervant, gemitibus amoris murmurant.* Jeſus Stetit in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis: *Pax vobis*, quando erant diſcipuli congregati: ſed illa pax pro tunc non fuit data Sancto Apoſtolo Thomæ, qui non erat cum eis, quando venit Jeſus. Quia non erat cum eis, dubitavit: & uſquequò poſt dies octo, iterùm erant diſcipuli Jeſu intùs, & Thomas cum eis, ac venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit: *Pax vobis*, ac Thomam coram aliis reprehendit; Thomas dubitationem, quam habuit ſegregatus ab aliis, non reliquit. Ecce damna ſegregationis: & ecce emolumenta bonæ, & ſanctæ ſocietatis. Illam horreamus, & hanc ſolicitè quæramus, & conſervemus; atque ad petendam gratiam Dei, qua pro omni bona operatione meritoria vitæ æternæ invenienda, & cuſtodienda, egemus; Deum attentè invocemus in duabus ſequentibus Orationibus.

Oratio Officii Dominicæ decimætertiæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

OMnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum: & ut mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Digitized by Google

EXPLICATIO.

Ejus tantùm eſt Fidei, Spei, & Charitatis augmentum dare, cujus cognoſcitur eſſe nobis Fidem, Spem, & Charitatem tribuere. Solus Deus nobis per Chriſtum Fidem, Spem, & Charitatem impertivit: ita Deus eſt ſolus, qui per Chriſtum poteſt dare nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum. Sine ullis præcedentibus meritis noſtris voluit nobis miſericors Deus noſter, & Dominus largiri Baptiſmi gratiam, & cum ea ſimul nobis infundere habitus virtutum Theologalium, ſeu Theologicarum ad agendam perfectè Chriſtianam vitam: habitum, ſcilicet, Fidei, ut poſſimus veritates Catholicas credere; habitum Spei, ut bona æterna valeamus ſperare; habitumque Charitatis, ut queamus Deum (quia hoc eſt ille dignus infinitè) in omnibus, & ſuper omnia diligere, ac proximos noſtros propter Deum (hoc eſt, quia ita ipſe vult, & nobis præcipit,) ſicut noſmetipſos amare. Utinam Deus fidelium remunerator animarum, Deus in ſe ſperantium fortitudo, & Deus largitor pacis, & amator Charitatis, qui diligentibus ſe bona inviſibilia præparavit, propitius ſit nobis propter nomen ſuum, & det nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum. Faciat idem Omnipotens ſempiternus Deus, nos amare, quod ille præcipit, ut mereamur nos aſſequi quod promittit. Per Fidem credimus Dei promiſſa: per Spem bona appetimus cœleſtia: & per Charitatem Deum diligimus, qui nobis paravit æterna dona. Si dederit nobis Dominus id amare, quod præcipit, id deſiderare quod promittit; inter mundanas varietates ibi noſtra fixa erunt corda, ubi vera ſunt gaudia. Si amaverimus quod Deus præcipit, aſſequemur quod idem promittit. Ergo benè petimus, quando hodie Domino dicimus: *Et, ut mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Deus homo factus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ille homo mandata Dei verè ſervat, ſeu cuſtodit, qui amat quod Deus præcipit. Itaque amemus Dei mandata, ut benè ſervemus ipſa, & ſic ſervantes mandata, ingrediamur ad vitam, capientes æterna bona. Quicumque amat, id, quod amat, ſervat: & à ſe dilecta non vult perdere, diſrumpere, aut lacerare. Ergo, ut legem Dei non frangamus, & mandata ejus ſervemus, & ſervantes illa, vitam æternam, & bona illius à Deo nobis promiſſa aſſequamur; multùm noſtra intereſt, quòd ea, quæ Deus nobis præcepit, amemus. David, qui dilexit mandata Dei ſuper aurum, & topazion, ſervavit mandata Dei, & teſtimonia illius: & qui Deo dixerat: *Tu mandaſti mandata tua cuſtod iri nimis*, etiam dixit: *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer: Servavi mandata tua, & teſtimonia tua*: quaſi idem ſit velle, diligere, & amare ſemitam Dei mandatorum, ac cuſtodire, & cuſtodire nimis ea ipſa mandata, quæ cuſtodiri nimis mandavit cuilibet Majeſtas Divina. Meditabatur David in mandatis Dei, quæ dilexit: & levavit manus ſuas ad mandata Dei, quæ dilexit, & exercebatur in juſtificationibus ejus. Ecce quomodò dilexit legem Domini: en, qualiter: amabat quæcumque Deus illi præcipiebat. *Ecce concupivi mandata tua*, dixit Deo David ipſe: & poſteà ait: *Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſæculum, & in ſæculum ſæculi*. Ergo legem Dei ſervantes, aſſequemur quod Deus mandata ſervantibus in vita æterna promittit, ſi, Deo faciente, & dante, amaverimus quòd præcipit. Ergo, ut Deus ad ſua promiſſa currentes nos bonorum cœleſtium faciat eſſe conſortes; quia ſunt beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: cuſtodientes legem Dei ſemper, ambulemus in latitudine: portionem noſtram dicamus cuſtodire legem ejus: parati ſimus, & non turbati, ut cuſtodiamus mandata illius: &, quia ille, qui diligit, cuſtodit; ut cuſtodiamus, amemus. Ita diligamus legem Dei, ut tota die meditatio noſtra ſit: nam neceſſarium eſt amare quod Deus præcipit, ut mereamur aſſequi quod Deus ipſe promittit. Amabimus profectò, quod Deus præcipit, ut mereamur aſſequi quod promittit ad magnum, & æternum noſtrum bonum, ſi Omnipotens ſempiternus Deus

noſter

noſter ipſe dederit nobis augmentum Fidei, augmentum Spei, & augmentum Charitatis.

ORATIO SECRETA.

P*Ropitiare, Domine, populo tuo, propitiare muneribus: ut hac oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuas, & poſtulata concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

PRiùs petimus hodie, ut propitietur populo ſuo noſter Deus, & Dominus; & poſteà depoſcimus, ut ipſe quoque propitietur muneribus:nam quomodò aſpiciet ad munera benignus, pius, & placidus, ſi anteà ſuum populum non reſpexerit propitius, & illi ſit propitiatus? Protector noſter aſpiciat Deus, & reſpiciat in faciem Chriſti ſui Sanctiſſimi Filii, ac Redemptoris,& Mediatoris noſtri; ut propter merita Chriſti ſit Pater Æternus placatus, ac ſic propitietur populo ſuo, propitietur muneribus.Hac oblatione Altaris ſuſcepta hodie primùm placabitur, ut populo ſuo, & muneribus propitietur: ac etiam,eadem oblatione ſuſcepta, ſperamus, quòd indulgentiam nobis tribuet, & poſtulata concedet. Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Ergo gratias agamus Deo, & Patri per Chriſtum: quia eſt gratia nobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu-Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri noſtri Jeſu-Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis. In Chriſto Jeſu nos, qui aliquando eramus longè, facti ſumus propè in ſanguine Chriſti. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua; legem mandatorum decretis evacuans,ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Ergo jam non ſumus hoſpites, & advenæ, ſed ſumus cives Sanctorum, & domeſtici Dei, juxta Sanctum Paulum, ex quo ſumpta ſunt etiam verba prædicta, præcipuè in capite primo, & ſecundo ſuæ Epiſtolæ ad Epheſios. Ex his infertur, quòd per merita Chriſti, & per Sacratiſſimam Paſſionem ipſius propitiabitur Pater Æternus populo ſuo, propitiabitur, & muneribus: ut Sacrificii ſancti Miſſæ oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuat, & poſtulata concedat: hoc eſt,indulgentiam (ut remiſſionem delictorum percipere valeamus) tribuere dignetur: & poſtulata concedat (ut de ejus beneficiis gaudeamus.) Sic omnes domeſtici Dei veſtiti erimus duplicibus, dabitque ille prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis, placatus Altaris oblatione:& ſic placatus propitiabitur populo ſuo,propitiabitur muneribus,indulgentiam nobis tribuens, & poſtulata concedens.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

D*Epoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.*

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

VErſio Syriaca ſic ſe habet: *Deturbavit potentes de cathedris*. Perſica: *Potentes à ſoliis ſuis deturbavit*. Perſica altera: *Detraxit præpotentes de throno: extulitque humiles*. Æthiopica: *Et ſuſtulit potentes è thronis eorum, & magnificavit humiles*. Cerd. legit: *Detraxit de thronis potentes*. Cajetanus: *Depoſuit primores de ſede*. Euthymius: *Depoſuit potentes à ſedibus*.

dibus. Vatablus: *Et evexit humiles*. Cajetanus: *Et exaltavit humiles corde*. Beaulxamus ex Græco: *Depoſuit primores, ſeu Magiſtratus de ſede*. Janſenius ex Græco: *Et exaltavit viles*. Joannes de La Haye ait: *Depoſuit potentes de ſede. Alii: Detraxit de thronis, ſoliis primores. Græcè: Depoſuit Dynaſtas, Principes: nam à potentia dicti ſunt Dynaſtæ, id eſt, potentes. Depoſuit ergo, ſed magis energicè, detraxit, quaſi vi, & violentia depoſuerit, deturbaverit è ſoliis ſuis regalibus plures Reges, aut alios Principes ſuperbos. Et exaltavit humiles. Alii: Evexit humiles: hæc autem præterita: Depoſuit: exaltavit, &c. ampliſſimè accipienda ſunt, ut quodlibet tempus ſignificent, tam futurum, quàm præſens*. Gloſſa Interlinealis ſic interpretatus: *Deponet potentes de ſede*. Gloſſa Ordinaria ait: *Beatus Paulus pro ſuperbia de ſede legalis doctrinæ depoſitus, ob humilitatem ad evangelizandam fidem ſublimatur. Sic etiam fit ſæpè in aliis. Superbi, qui ſupra menſuram ſe extollunt. Idem potentes, quia non in Deum, ſed in ſua virtute confidunt, qui deponuntur: quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Sanctus Cyrillus in Gloſſa Morali: *Depoſuit potentes, &c. Magna ſapiebant dæmones, Gentilium ſapientes, Phariſæi, & Scribæ Judæorum: hos tamen depoſuit, erexitque humiliantes ſe ſub potenti manu ejus, dans illis virtutem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, omnemque poteſtatem inimici*. Nicolaus de Lyra: *Depoſuit potentes de ſede. Id eſt, Judæos, qui erant potentes in lege, & Prophetis, dimittens eos ex ſuo demerito in profundo erroris, ſecundùm quod Roman. 11. capite: Cæcitas ex parte contingit in Iſrael. Et exaltavit humiles. Id eſt, Gentiles humiliter, & devotè prædicationem Apoſtolorum ſuſcipientes*. Menochius: *Depoſuit potentes de ſede. Qui Principes, & ſuperbos tyrannos è regalibus thronis dejecit, & ad regiam dignitatem evexit humiles, ipſe eſt, qui ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. 1. Reg. cap. 2. verſ. 8. Annæ cantico*.

Pro: *Benedictus*.

VErſio Perſica eſt hæc: *Ut populo ſuo intellectum vitæ dèt, ad abolenda peccata eorum*. Syriaca: *Ut det cognitionem vitæ per remiſſionem*. Alia Syriaca. *Ut det cognitionem vitæ populo ſuo*. Perſica altera: *Pro danda populo ſuo notitia ſalutis, &c.* Arabica: *In remiſſionem peccatorum ſuorum*. Æthiopica: *Ut det illis redemptionem gentium, in qua remittuntur eis peccata ſua*. Tigurina: *Ad dandam cogitationem ſalutis*. Verſio Vatabli: *Ad dandam cognitionem ſalutis populo ejus per remiſſionem peccatorum ipſorum*. Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ſic ait: *Ad dandam ſcientiam ſalutis: Alii: Ut det cognitionem vitæ, nempe, vivificam ſalutem, à Chriſto enim veram vitam, veramque ſalutem ſperare debemus. In remiſſionem peccatorum eorum. Rectè Syriacus: Per remiſſionem, ut, ſcilicet, eam ab eo aſſequamur*. Beda in Gloſſa Ordinaria: *Ad dandam ſcientiam ſalutis: Nomen Jeſu, id eſt, Salvatoris exponere, & diligentius commendare volens, ſalutis frequentat mentionem, cum cornu ſalutis erigendum, ſalutem ex inimicis futuram, ſcientiam ſalutis plebi dandam, commemorat. Et nè temporalem ſalutem promitti, putares, addit: In remiſſionem peccatorum eorum*. Gloſſa Moralis: *Ad dandam ſcientiam ſalutis, & non curioſitatis. In remiſſionem peccatorum. Quæ fit per Dominum operantem, & per prædicatorem diſponentem*. Nicolaus de Lyra: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Id eſt, ad prædicandum ſalutem fiendam per Chriſtum*. Eſtius: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. Convenit cum eo, quod ſcribit Marcus cap. 1. eum prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. Vide ejus loci annotationem*. Menochius: *Ad dandam ſcientiam ſalutis. Id eſt, ſcientiam ſalutarem Chriſti, ſcientiam ſalutis æternæ, per Chriſtum conſequendæ. In remiſſionem peccatorum. Non, quòd eis Joannes peccata remitteret, ſed, quòd Joannes doceret, ut ad Chriſtum venirent, qui eis peccata remittebat*.;

Pro:

Pro: *Nunc dimittis*.

MAldonatus dicit: *Quòd quidam verbum: Paraſti, ad prædeſtinationem referunt, mihi non probatur; non enim Simeon de prædeſtinatione, ſed de prædeſtinationis agit effectu, quòd quem Pater ab omni æternitate Salvatorem mittere decreviſſet, ſuo miſiſſet tempore, ut propriis ipſum oculis poſſet cernere, quamquàm Procopius in cap.25. Iſaiæ, in ea ſententia eſt*. Sylveira ait: *Non ait: A tergo, ſed: Ante faciem, ſeu in conſpectu; omnes enim nos in Chriſtum debemus oculos intentos, ac defixos habere ad videndum illum, & ſequendum. Omnium populorum, tam Judæorum, quàm Gentilium: non huic, vel illi, ut notant Euthymius, & Chryſoſtomus de Occurſu Domini in Homiliario, ſed omnibus populis datur in ſalutem*. Toletus inquit: *Admiranda eſt prophetia Simeonis, cui revelatum eſt myſterium vocationis Gentium ad Evangelium, & ſalutis futuræ communis omnibus per Chriſtum, quod Apoſtolis etiam poſt Domini Reſurrectionem, & Spiritus Sancti Adventum, non plenè ſtatim patefactum eſt, ut conſtat Actor. 10. de Petro miſſo ad Cornelium gentilem baptizandum, quando vas illud immundis animalibus plenum vidit, & viſo Cornelio, myſterium hoc intellexit, dicens: In veritate comperio, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, acceptus eſt illi*.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

OMnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur ab eo quidem Domino, qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit; quia Deus, qui depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, *humilia*, juxta Sanctum Auguſtinum, *reſpicit, ut attollat, alta cognoſcit, ut deprimat*. Humilitatem ſequi eſt ſcientia ſalutis, quia Deus myſteria abſcondit à ſapientibus, & prudentibus, & revelavit ea parvulis. Ad aſſecutionem hujus humilitatis adeò proficuæ habemus Salvatorem paratum ante faciem omnium populorum, ut ab eo poſſimus diſcere, quia mitis eſt, & humilis corde. Ergo qui vocamus Chriſtum: *Magiſter, & Domine*, & benè dicimus, eſt enim; erudimur à deponente ſuperbos de ſede, & exaltante humiles; à ſcientiam ſalutis in humilitate dante, & à Salvatore per exemplum humilitatis noſtram ſalvationem diſponente. Tollamus ſic jugum ejus: & non ſimus ſicut qui à ſæculo confregit jugum illius, & dixit: *Non ſerviam*. Simus omnes docibiles Dei, qui in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, non veniens miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis: & humiliemur ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore viſitationis: & quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, humiliemur uſquequaque, & vivificabit nos Deus ſecundùm verbum ſuum, ac voluntaria oris noſtri beneplacita faciet Dominus, & judicia ſua docebit nos, & hæreditate acquiremus teſtimonia Dei in æternum, quia exultatio cordis noſtri ſunt. Depoſuit Dominus potentes de ſede, & exaltavit humiles, quia eſt juſtus: dedit nobis ſcientiam ſalutis, quia eſt benignus: & paravit populis omnibus Salvatorem, quia eſt miſericors. Horreamus pavidi in depoſitis potentibus de ſede, videntes Dei juſtitiam; edoceamur veram ſalutis ſcientiam, laudantes ejus clementiam benignam; lucremur paratam nobis æternam ſalutem, magnificantes Dei noſtri immenſam miſericordiam. Quia potentes deponuntur de ſede, & exaltantur humiles (nè ſimus ſicut illi potentes, qui potenter tormenta patientur, quando exiguo conceditur miſericordia;) neceſſariæ, & proficuæ humilitati incumbamus, ut à potentum damnatione liberemur. Fugiamus ſuperbiam, viam æternæ damnationis ſternentem, & amplectamur humilitatem, iter ad cœlum planantem. Et odio ſuperbiæ affecti, ſcientia ſalutis inſtructi, ac amori Salvatoris nobis parati, reſpondentes gra-

grati; ſequentem Orationem Deo noſtro præſentemus, ac toto corde dicamus.

Oratio poſt Communionem.

S*Vmptis, Domine, cœleſtibus Sacramentis, ad redemptionis æternæ, quæſumus, proficiamus augmentum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

M*Anducantes, & bibentes* (ait Sacer Textus) *ſurgite Princeps*. Sumptis Sacramentis hodie non ſolùm ſurgere ſperamus, ſed etiam reſurgere ſpiritualiter, confidimus. Speramus ad vitam reſurgere, & quòd nobis reſurrectio ad vitam erit, qui cibati ſumus, & potati in Sacra Menſa Euchariſtiæ. Surgamus eam accipientes, per gratiam, ut, cùm dignè acceperimus Sanctiſſimam Euchariſtiam ipſam, reſurgere valeamus magna alacritate per gloriam. Nos dormivimus, & ſoporati ſumus, & exurreximus, quoniam Dominus ſuſcepit nos: quia Domini eſt ſalus, & ſuper populum ſuum benedictio illius. *Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu: ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.* Ex his Sancti Pauli verbis clarè cognoſcitur, quantùm Domino Deo noſtro debeamus, Sic per Baptiſmum, & Pœnitentiam Sacramentalem fecit nos ſurgere dormientes, & exurgere à mortuis, dans nobis gratiam: & illuminabit nos Chriſtus: quia ſi Sacram Euchariſtiam dignè acceperimus, Deus idem faciet nos reſurgere per ipſam ad gloriam; & pervenire ad augmentum gratiæ, ut proficiamus ad augmentum redemptionis æternæ. Qui manducat hunc panem Divinum, vivet in æternum. Ergo, ſumptis cœleſtibus Sacramentis, poſſumus à Deo Patre magna petere, & ſperare, deſiderantes proficere ad redemptionis æternæ augmentum, ſicut hodie in noſtra Oratione exprimitur: quia Chriſtus, qui ſe naſcens dedit nobis ſocium, & conveſcens in edulium, ſe regnans dabit in præmium. Proficit quidem ad augmentum redemptionis æternæ, ille, cui adaugetur gratia in Sacroſancta, & Divina Communione: quia qui per Paſſionem, & Crucem Chriſti petimus ad Reſurrectionis gloriam perduci: valeamus ejuſdem Chriſti Redemptoris noſtri adjutorio, ita Corporis, & Sanguinis ſui Sacra Myſteria venerari, ut redemptionis ſuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus; & ut quem velatum nunc aſpicimus, revelata cernentes facie, viſu ſimus beati ſuæ gloriæ: & ſic faciet nos Chriſtus Divinitatis ſuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi Corporis, & Sanguinis ſui temporalis perceptio præfigurat; ut ſumptis Sacramentis ad noſtræ incrementum gratiæ, ad augmentum proficiamus redemptionis æternæ.

CAPUT QUADRAGESIMUMSECUNDUM

Pro Dominica decimaquarta poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimæquartæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Animales, Spiritum non habentes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ÆThiopicus Textus eſt: *Spiritum Sanctum non habentes.* Arabicus: *Sibi viventes.* Syriacus: *Quibus Spiritus non ineſt.* OEcumenius vertit: *Juxta mundi conſtitutionem viventes.* Rurſum: *Spiritum* (inquit) *non habent, Divinum, ſcilicèt in ſe loquentem, quia diabolica utuntur ſapientia.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Animales, Spiritum non habentes: Alii addunt: Sanctum, quod utique verum eſt, adhærendo lectioni eorum, qui illa verba: Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, ſic vertunt: Qui ſegregati ſunt, exterminantes; ſive enim ſe ipſos, ſive etiam alios ab Eccleſia ſejungunt, ſpiritalem utique vitam ſeu deſerunt ipſi, ſeu adimunt.* Gloſſa Interlinealis: *Animales, animæ concupiſcentias ſequentes.* Gloſſa Ordinaria: *Spiritum non habentes: Qui Spiritum Sanctum, quo congregatur Eccleſia, & ſpiritualis efficitur, non habent, ideò, animales, inſcii, non providentes: ideò defluunt: quia coagulum charitatis non habent.* Hugo Cardinalis ſic explicat: *Quia ſunt animales, Spiritum Sanctum, ſcilicet, non habentes 1. ad Corinth. 2. d. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Animales ergo non ſunt ab anima, ſed ab animalitate; quia ut bruta animalia, ſuas concupiſcentias conſequuntur. Vel ſpiritum creatum non habentes, id eſt, uſum rationis bonum, quo diſcernant inter eligenda, & fugienda: quia ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. Galat. 5. d.* Nicolaus de Lyra: *Animales, id eſt, ſenſualitatem ſequentes, ſicut animalia bruta. Spiritum non habentes, ſcilicet, Sanctum, ſed magìs ſpiritum erroneum.* Eſtius: *Animales. Græcum vocabulum eſt ab anima, non ab animo deductum. Dicitur autem animalis in Scriptura tribus modis, quemadmodùm annotavimus in Commentario 1. ad Corinth. 2. ad illud: Animalis autem homo non percipit ea, quę ſunt Spiritus Dei. Pręſenti loco congruit ea ſignificatio, qua animales dicuntur qui ſequuntur eas cupiditates, quæ ſunt ſecundùm animam ſenſitivam; id eſt, qui ſenſibus, ac ſenſuum voluptatibus obſequuntur. Quod vitium jam aliquoties in illis notavit,* (ſcilicet, Sanctus Judas) *nunc autem notat novo nomine, in hac ſignificatione. Quo poſteà abuſus fuit Tertullianus, quando in hæreſim Montani prolapſus, convitium hujus vocabuli jactare cœpit in Catholicos. Unde & librum in eos ſcripſit hoc titulo: Adverſus pſychicos. Sunt tamen qui generaliùs interpretantur, animales; ſcilicet, eos, qui tantùm ea recipiunt, aut ſequuntur, ad quæ ducit natura, ſeu ratio humana divinitus non illuminata. Quomodò omnes Philoſophi Gentilium animales fuerunt. Utriquè expoſitioni non incommodè reſpondet antitheſis ſequens. Spiritum non habentes, id eſt, Divino Spiritu deſtituti; ideòque toti animales, atque carnales. Nam ubi ſpiritus adverſus carnem non concupiſcit, reliquum eſt, ut ſenſus, & caro plena libertate dominentur, hominemque impellant tam ad ea peccata, quæ propriè carnalia vocantur, quàm ad ea, quæ ſpiritualia dici ſolent.* Menochius: *Animales. Vocat animales ab anima vegetativa, & ſenſitiva, cui ſerviunt. Spiritum*

non habentes. Nam, ut ait Divus Paulus 1. *ad Corinth.* 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*. Tirinus : *Animales ſunt, & inſtar brutorum animalium, non habent pro duce ſpiritum, id eſt, rectam rationem, ſed ſolos ſenſus, & carnales appetitus gulæ, libidinis, avaritiæ, ſuperbiæ, &c.* Lorinus in hunc locum hæc dicit : *Animales, animæ concupiſcentias, ſenſualitatem, carnalitatem, ut bruta ſequentes : quorum ſtudium, ut docet Cajetanus, eſt ad ea, quæ ſunt vegetativæ, & ſenſitivæ partis; quemadmodum ſpirituales ſunt, quorum ſtudium eſt ad ea, quæ ſunt conformia rationi, ac menti, & ad ea, quæ ſunt Spiritus Sancti. Spiritum non habentes. Clemens Alexandrinus explicat de ſpiritu, qui eſt per fidem, ſecundùm uſum juſtitiæ ſuperveniens. Beda, & Gloſſa Spiritum vocant Sanctum, quo congregatur Eccleſia, coagulumque charitatis, quo carent qui ſegregant ſemetipſos, indigni nomine ſpiritualium, digni animales appellari, & qui erroneum cenſeantur ſpiritum habere, ut ait Lyranus. Tales hoc Spiritu, gratiaque Spiritus Sancti, & charitate carentes, Rikelius affirmat, immanſuetos eſſe, pertinaces, indociles; in quibus vitium regnet ſingularitatis; plerumque ſe ſpiritualiores aliis reputantes, & novitates inducentes. Novatores hæreticos videtur deſcribere. Poſſunt eædem qualitates ſecundùm analogiam deprehendi in Catholicis quibuſdam hypocritis, mentientibus nomen ſpiritualium in utrolibet ſenſu. Ex dictis porrò anteà de vario genere, ſtatuque ſpiritualium, in quibus bonus regat, ut regnet ſpiritus, cognoſci ſatis poteſt, quot modis dici animales queant, & quo ſpiritu carentes, ſeu quem ſpiritum non habentes. Cavendos Bernardus monet ſpiritus malos : ut quem Paulus nominat ſpiritum, ſive ſenſum carnis : quo quidem inflantur : præterèa ſpiritum mundi: qui duo ſunt ſatellites maligni ſpiritus, & principis tenebrarum; item ſpiritum humanum, & proprium cujuſque. Eodèm revocari poteſt ſpiritus fornicationis cum reliquis, qui denominantur ab aliis vitiis; de quibus Caſſianus in Inſtitutionibus; ſpiritus item erroris, & mendacii, immunditiæ. Beati pauperes talibus ſpiritibus, & qui nullum eorum habent, ſed quàm longiſſimè ab ſe removent. In Ordinibus Religioſis caveri debet diligentiſſimè ſpiritus malus; imò peſſimus, pernicioſiſſimuſque quadruplex, nationalis, provincialis, politicus, aulicus, de quibus agere ſingillatim nihil attinet: adeò horrenda nominum monſtra ſunt hæc, etſi res illis ſignificata non ſatis omnibus aperta : ad ſegregandum autem comparata, ſpirituique religioſo è diametro contraria*. Hucuſque Lorinus. Cornelius inquit : *Hæretici vocantur animales ab anima ſenſitiva, & vegetativa, cui toti ſerviunt, quia, ſcilicèt, ut animalia, non rationem, ſed ſenſum ſequuntur, vivuntque in concupiſcentiis carnis. Cauſa ergo, cur ſe ſegregent ab Eccleſia, eſt, quia ſunt animales. Sicut enim animalia ſequuntur ſuam phantaſiam, ita ipſi ſequuntur ſuum cerebrum, & judicium, nolentes credere, & ſubdere ſe judicio Eccleſiæ, ejuſque Rectorum. Secundò, quia inſtar animalium ſequuntur ſuos appetitus, non rationis, & ſpiritus, ſed ſenſus, puta gulæ, avaritiæ, iræ, ſuperbiæ, & libidinis, &c. Audi Sanctum Bernardum ad Fratres de Monte Dei. Anima, ait, eſt res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accommodata. Hæc animales conſtituit homines quæ carnis ſunt ſapientes, ſenſibus corporis inhærentes. Quæ ubi perfectæ rationis incipit eſſe non tantùm capax, ſed & particeps, continuò abdicat à ſe nomen generis fæminini, & efficitur animus particeps rationis, regendo corpori accomodatus, vel ſe ipſum habens ſpiritus. Quamdiù enim anima eſt, citò in id, quod carnale eſt, effæminatur. Animus verò, vel ſpiritus non niſi quod virile eſt, & ſpirituale, meditatur, &c. Animus, inquam, in quantum benè animans, & perficiens animal ſuum ſupplemento liberæ rationis : bonus autem, in quantum tam amans bonum ſuum, quo bonus fit, & ſine quo nec bonus, nec animus eſſe potuit. Fit autem bonus animus, & rationalis, diligens Dominum Deum ſuum in toto corde ſuo, Deum timens, & mandata ejus obſervans. Hoc eſt enim omnis homo.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Dixit aliquando Dominus: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt*. Sic, quia omnis caro corruperat viam ſuam, mundus periit aquis diluvii: & quando mundus tranſit, & concupiſcentiæ ejus; ſub aquis deliciarum, & rerum fluentium, & inconſtantium, multi infeliciter moriuntur. Utinam adducat Dominus ſpiritum ſuper terram, & imminuantur aquæ: faxit ipſe, ut emittat Spiritum ſuum, & creabimur (in novitate vitæ ambulantes:) & renovabit faciem terræ(ut nolimus conformari huic ſæculo, ſed reformemur in novitate ſenſus noſtri: ut probemus quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.) Sanctus Paulus ait: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur. Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem Spiritus eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*. Hoc fructu Spiritus, & hiſce virtutibus erant vacui illi peccatores, de quibus in præſenti ait Sanctus Judas Thaddæus: *Animales, ſpiritum non habentes*. Aridi erant ſine ſucco, privati virtutibus boni Spiritus, illi, qui (dediti operibus carnis, & innumeris vitiis) non faciebant, unde Spiritus Dei in eis permaneret, ſed potiùs, unde Deus illos à facie ſua projiceret, & Spiritum Sanctum ſuum ab eis auferret. Apud Ezechielem, ſicca vehementer erant illa oſſa, quæ ſpiritum non habebant; nec fuerunt oſſa eadem à ſiccitate libera, uſquequò venit ſpiritus, & fuerunt eo ſpiritu repleta. Veniunt nobis omnia bona cum Dei ſpiritu, & innumerabilis honeſtas per manus illius, ut lætari poſſimus in omnibus. Ergò, quando venerit in nos Spiritus Sapientiæ, præponamus hanc ſapientiam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe ducamus in comparatione illius. Spiritus Dei bonus deducet nos in terram rectam: propter nomen ſuum Dominus vivificabit nos, in æquitate ſua. Educet de tribulatione animas noſtras (liberans nos à pœnis:) & perdet omnes, qui tribulant animas noſtras (deſtruens noſtra peccata, & eruens nos à vitiis;) ſi nos ſervi Dei fuerimus, Spiritum Dei, Deum verum (qui eſt fons vivus, ignis, charitas, & ſpiritalis unctio) diligentes ſuper omnia, & diligentes in omnibus. Utinam hæc lux beatiſſima repleat cordis intima ſuorum Fidelium! Sine ejus numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Nè ſimus ſicut illi animales, Spiritum non habentes, ſed (ut ſimus cœli myſtici ennarrantes gloriam Dei, quia Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum:) os noſtrum aperiamus, & attrahamus Spiritum: quia Pater cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe: optemus, & dabitur nobis ſenſus: invocemus, & veniet in nos Spiritus Sapientiæ. Veniet ita Sanctus Spiritus, & emittet cœlitùs lucis ſuæ radium: veniet Pater pauperum, veniet dator munerum: veniet lumen cordium. Lavabit quod eſt ſordidum, rigabit quod eſt aridum, ſanabit quod eſt ſaucium. Flectet quod eſt rigidum: fovebit quod eſt frigidum: reget quod eſt devium. Dabit ſuis Fidelibus in ſe confidentibus Sacrum Septenarium. Dabit virtutis meritum: dabit ſalutis exitum: dabit perenne gaudium. Sic (ſi aliquando fuimus animales, Spiritum non habentes, quia eramus ſicut oves errantes;) convertemur ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum: ut qui aliquando non populus, ſimus populus Dei: & qui non conſecuti miſericordiam, ſimus miſericordiam conſecuti; maximè, ſi requirentes Spiritum, duas Orationes ſequentes Deo præſentaverimus ſupplices.

Oratio Officii Dominicæ decimæquartæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

C*Uſtodi, Domine, quæſumus, Eccleſiam tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur humana mortalitas: tuis ſemper auxiliis, & abſtrahatur à noxiis, & ad ſalutaria dirigatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

NIſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus; nam fundatus eſt in exultatione univerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis civitas Regis magni, id eſt, Eccleſia Catholica Romana: & Deus in domibus ejuſdem Eccleſiæ cognoſcitur, cùm ſuſceperit eam, quia deſponſavit eam ſibi in fide. Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe: & viſa eſt civitas Jeruſalem nova deſcendens de cœlo à Deo, parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo. Nobilis in portis vir ejus, qui jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur; quamvis Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi, ſponſus ſanguinis ſuæ uxori fuerit. Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus, & laudavit eam: *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.* Ecce quomodò mulier fortis inventa eſt: procul, & de ultimis finibus pretium ejus: confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Civitatem iſtam: Dominus cuſtodit eam, Dominus protectio illius ſuper manum dexteram ejus. Cuſtodit Dominus animas ſervorum ſuorum: quia juſtorum animæ in manu Dei ſunt: & non rapiet eas quiſquam de manu ſua. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & cuſtodiet Chriſtianum Catholicum Romanum populum ſicut paſtor gregem ſuum: redemit enim illum Dominus. Cuſtodiet eum, ut pupillam oculi, ſub umbra alarum ſuarum proteget ipſum. Qui tamen totum hoc ſperamus proventurum à Majeſtate Divina pro ſua Eccleſia Catholica, petimus hodie ab ipſo Domino, ut cuſtodiat Eccleſiam ſuam propitiatione perpetua. Eget Eccleſia cuſtodia Dei, ſicut cuſtodia indiget grex ovium, & ſicut eget quoque cuſtodia, oculi noſtri pupilla tenera, & delicata: nam grex debilis ſine paſtoris cuſtodia periret, & pupilla gracilis ſine cuſtodia perſeverare non poſſet. Petimus cuſtodiam: & ſimul Domino Deo noſtro cuſtodię ſuę noſtram proponimus indigentiam, dum dicimus: *Et quia ſine te labitur humana mortalitas*: acſi diceremus: *Da nobis cuſtodiam tuam, Domine, quia ſine tua cuſtodia neutiquàm poterimus ad vitam æternam in virtute proficere, neque perſeverare in bona operatione.* Labitur quidem ſine Deo humana mortalitas, ad malum proclivis, & inclinata: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Quia igitur ſine Deo labitur humana mortalitas, in hac oratione ab ipſo Deo depoſcitur, ut ejus auxiliis eadem mortalitas humana & abſtrahatur à noxiis, & ad ſalutaria dirigatur: & ſi perpetuò propitius nos cuſtodire dignatus fuerit Dominus noſter ipſe, ſicut paſtor cuſtodit gregem ſuum, & ut pupillam oculi; tunc quemadmodùm grex à paſtore cuſtoditus, à lupis defenditur, atque ab herbis virulentis, & noxis avertitur, & ad ſalubria paſcua, etiam ad interiora deſerti, velut ille grex Moyſi, minatur: ac quemadmodùm pupilla oculi per palpebras, & per alia multa à pulvere, & reliquis rebus nocentibus illi ſervatur, dum luci, & proficuis ipſi per eaſdem palpebras apertas panditur, atque exponitur: ita humana mortalitas Divinis auxiliis ad ſalutaria dirigetur, cùm iiſdem Dei auxiliis fuerit abſtracta à noxiis.

ORATIO SECRETA.

C*Oncede nobis, Domine quæſumus, ut hæc hoſtia ſalutaris & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio po-*

teſta-

teſtatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

NUllum Sacramentum eſt Sacramento Euchariſtiæ ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur, ait Sanctus Thomas Angelicus Doctor. Purgantur quidem peccata levia in hoc Sanctiſſimo Sacramento accedentibus ad illud in gratia. Ecce quomodò eſt ſalutaris oblatio, quæ fit in Sancta Miſſa: ſiquidem peccatorum levium remiſſio poteſt provenire ab ea. Efficacia quoque Divini ejuſdem Sacramenti virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. En qualiter poteſt eſſe propitiatio poteſtatis Divinæ hoſtia Altaris verè ob hoc ſalutaris, ſeu ſalubris, quam in Sacro Altari Domino offerimus ipſi; & oblatio ſimul ſalutaris ejuſdem ſacratæ hoſtiæ. Non haberemus Majeſtatem Dei adeò propitiam, niſi anteà à venialibus obtinuiſſemus veniam per noſtrorum peccatorum levium purgationem, quam noſcimus operari in nobis illam Altaris oblationem ſalutarem. A noſtris delictis purgati, & propitiationem Dei poteſtatis etiam per ſalutarem hanc oblationem adepti; nullum timebimus malum, nullum etiam non quibimus jurè ſperare bonum. A Dei, nempe, poteſtatis propitiatione venient nobis à peccatis levibus expeditis bona, principaliter æterna; mundialia quoque, temporalia, ſive terrena, quæ non fuerint æternæ noſtræ ſaluti nociva. Potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere in nobis; & augebit incrementa frugum juſtitiæ noſtræ ipſe, qui eam dederit Deus Omnipotens per ſalutarem oblationem; quæ quos à delictis levibus purgat, etiam eis Divinam poteſtatem ad bona omnia expedientia, tum ſpiritualia, tum temporalia, propitiat.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

DEpoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. Lumen ad revelationem Gentium, & gloria plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Potentes de ſede depoſuit, quia Judæos, qui filii regni videbantur, abjecit, & humiles, ſcilicet, homines Gentiles exaltavit; quia Gentes, quæ abjectæ erant, per humilem confeſſionem in conſortium regni, atque in filiorum adoptionem aſſumpſit. Vel ſecundùm ſuperiorem expoſitionem, potentes de ſede depoſuit: quia malignos ſpiritus à cordibus hominum ejecit: & humiles exaltavit, ipſos, videlicèt, homines, quos priùs propter ſuperbiam abjecerat, humiliatos reparavit.* Barradas inquit: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Dæmones natura potentes de ſedibus cæleſtibus ob ſuperbiam dejecit: humiles verò homines in eaſdem ſedes per Incarnationem evexit. Similiter, Judæos, opibus, Sacerdotio, Regno, legiſque doctrina potentes, de ſede, ſive de throno, id eſt, & potentia, Regno, & Sacerdotio deturbavit; humiles Ethnicos extulit. Ex Græco verti poteſt: Depoſuit Dynaſtas de thronis.*

Pro: *Benedictus*.

SImon de Caſſia ait: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. Plebs Dei proximæ ſalutis ſcientiam non habebat; & per quem futura erat, jam latebat in utero, & de longinquo adhuc expectabatur à plebe. Salus autem prima tendebat in remiſſionem omnium peccatorum; cujus tunc Joannes ſcientiam plebi dedit, cùm dixit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Maldonatus dicit:

Digitized by Google

dicit: *Ad dandam ſcientiam ſalutis, &c. Docet, ut inquit Theophylactus, quid ſit, quod dixerat: Parare vias Domini; dare nimirum, ſcientiam ſalutis, id eſt, ſalutis viam demonſtrare. Scientiam ſalutis dixit, id eſt, ſalutarem. Scientiam ſalutarem dedit Joannes populo, dum illum docuit, Chriſtum verum eſſe Salvatorem, ignoratum ante. Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In remiſſionem peccatorum eorum. Non, quòd illis Joannes peccata remitteret, neque enim poterat; ſed, quòd homines doceret ad Chriſtum venire, qui verè illis peccata remittebat. Ecce qui tollit peccata mundi, ut expoſuimus Matthæi* 3.6. Vincentius Regius inquit: *Ad dandam ſcientiam, &c. Docet, quid ſit parare viam, id eſt, ſalutis viam demonſtrare: ut ſuprà dixit: Parare, id eſt, ut des ſcientiam ſalutarem, & viam pares; vel ad indicandum, vel parandum ſalutis viam: hoc autem fecit Joannes, cùm Chriſtum, docuit, eſſe verum Salvatorem, & Meſſiam: ejus enim erat oſtendere Salvatorem, non dare ſalutem. In remiſſionem, non quòd Joannes remiſſionem poſſet impertiri, ſed, quòd ad Chriſtum duceret, unde remiſſio; dicturus enim erat: Ecce Agnus Dei.* Cornelius hæc habet: *Ad dandam ſcientiam ſalutis, &c. Quaſi diceret: Ut tu, Joannes, des Judæis ſcientiam ſalutis, ut, ſcilicèt, ſciant, ſe ſalutem debere ſperare, & flagitare à Chriſto Salvatore, in, id eſt, ad remiſſionem peccatorum; ut ſcilicèt, eam aſſequantur à Chriſto per ejus fidem, & Baptiſmum, in hoc enim conſiſtit ſalus Chriſti; peccata enim non remittuntur, niſi per ſalutem, & gratiam Chriſti. Unde Beda: Quaſi nomen Jeſu, ait, exponere, ac diligentiùs commendare deſiderans, ſalutis mentionem frequentat. Et nonnullis interjectis: nè temporalem, carnalemque promitti ſalutem putares, in remiſſionem, inquit, peccatorum eorum.*

Pro: *Nunc dimittis.*

PErſicus legit: *Lumen Gentibus pateféciſti, & laudem populo tuo Iſrael.* Perſicus alter: *Lucem pro lumine Gentium, & magnificentiam populi tui Iſraelis.* Arabicus: *Lumen, quod detectum eſt Gentibus.* Arabicus alter: *Quod apparuit.* Æthiopicus: *Ut manifeſtet lumen Gentium, &c.* Vatablus: *Ad illuſtrationem.* Theophylactus: *Illuminationem.* Syriacus: *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam populo tuo Iſrael.* Aliqui ex Hebræo: *Ut lumen det Gentibus.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ſic dicit: *Lumen ad revelationem Gentium: Alii: Ad illuſtrationem, id eſt, paraſti hoc ſinè Salutare tuum, hoc eſt, Salvatorem, ut ipſe ſit lumen ad illuminationem Gentium (unde Arabicus: Lumen, quod detectum eſt Gentibus) quòd, ſcilicet Gentes verum Deum ignorantes ejus cognitione, fide, & cultu illuminet.* Gloſſa Interlinealis: *Lumen ipſe Salvator, ipſe lux illuminans ad gloriam fidei Gentium, & ad gloriam plebis tuæ Iſrael.* Gloſſa Ordinaria: *Ad revelationem Gentium, &c. Ut reveletur cæcis oculis Gentilium nulla ſpe Dominici Adventus erectorum, & ut ipſe Iſrael glorietur, excipiens ſuum promiſſum, & deſideratum. Et præfertur revelatio Gentium gloriæ Iſrael: quia, cùm plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Iſrael ſalvus erit.* Nicolaus de Lyra: *Lumen ad revelationem Gentium. Quæ priùs errorum tenebris tenebantur. Et gloriam plebis tuæ Iſrael. Magna eſt enim gloria Judæis ad fidem Chriſti converſis, quòd Chriſtus ſecundùm carnem natus eſt de ipſis.* Eſtius: *Lumen ad revelationem Gentium, &c. Chriſtus lumen eſt Gentium; quia Gentes verſabantur in denſiſſimis tenebris ignorantiæ Dei, è quibus ſunt liberatæ per Chriſtum. Eſt autem gloria plebis tuæ Iſrael, id eſt, claritas; quia Iſraelitæ jam antè quidem habebant lumen notitiæ veri Dei, notus enim in Iſrael Deus; ſed auctum eſt eis illud lumen per Chriſtum, uſque ad claritatem. Illic enim tranſitus eſt à tenebris ad lumen, hìc verò à lumine minori ad majus; & hoc videtur velle Simeon. Nam, ſi gloriam, gloriationem interpreteris; tam Gentes, quam Iſrael in Chriſto gloriantur, ac fortè etiam magis. Dicitur autem Chriſtus lumen ad Gentium revelationem, id eſt, illuſtrationem, & illuminationem; quia Chriſtus verum lumen Gentibus illuxit: vel potiùs ad revelationem Gentium, quia hoc lumen, quod Chriſtus eſt, Gentibus eſt revelatum. Gloriam plebis tuæ. Quia magna erat gloria illius populi, quòd*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus in eo, & ex eo natus eſſet. Unde Romanor. 9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem. Gloriam non regitur à præpoſitione (ad) præcedente, ſed à verbo (paraſti) à quo regitur & (lumen). Menochius: *Lumen ad revelatiouem Gentium. Per appoſitionem, id eſt, ut eſſet lumen Gentibus revelandum. Et gloriam, &c. Quòdque populo Iſraelitico magnam afferret gloriam.* Tirinus: *Lumen ad revelationem, id eſt, illuminationem Gentium, quo cæci Gentiles illuminabuntur, & quo Iſraelitæ majori gloria potientur. Alludit ad illud Iſaiæ: Venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, & ambulabunt Gentes in lumine tuo.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

POtentes in opere, & ſermone (hoc eſt bona dicentes, & facientes) à Deo non deponuntur, quia qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; depoſuit verò Deus ſuperbos Scribas, & Phariſæos, qui aliquando ſedebant ſuper cathedram Moyſi, & cathedram quidem, ſuper quam ſedebant, pondere vitiorum ſuorum innumerorum gravabant, & illam indignè occupabant, quia dicebant, & non faciebant: atque Deus ipſe, qui peſſimos Magiſtros de ſede depoſuit, humiles Apoſtolos Chriſti diſcipulos exaltavit. Hi in regeneratione, cùm ſederit idem Chriſtus in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebunt & ipſi ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael: imò condemnantes ſedebunt, ſecundùm Sanctum Hieronymum, quia, credentibus Apoſtolis, Judæi credere noluerunt. Scientia ſalutis eſt ſcire Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Hoc eſt neſcire, ſine Chriſto plurima ſcire; qui Chriſtum benè ſcit, ſatis eſt, ſi plurima neſcit. Chriſtus eſt lumen, & gloria: lumen illuſtrans, gloria beans: lumen accendens, gloria implens: lumen coruſcans, gloria felicitans: lumen tenebras diſſipans, & gloria delicias æternæ beatitudinis electis, & prædeſtinatis parans. Calcantes igitur nos ſuperbiam, ob quam potenter de ſede deponuntur, levemus nos ſuper nos, aſcendentes exaltandi per gradus humilitatis ad altam ſcientiam ſalutis, ut in hoc lumine Dei videamus lumen, ſiquidem lucerna pedibus noſtris verbum Domini, & lumen ſemitis noſtris: & verbum Domini habitet in nobis abundanter. Qui audimus Chriſtum dicere: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; in lumine vultus ſui ambulemus, & in nomine ſuo (utpote veri diſcipuli ejus, & Chriſtiani,) exultemus tota die: ſic Domini erit aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regis noſtri: & ſic videbitur Deus deorum in Sion. Favet quidem nobis Deus deponens ſuperbos de ſede, dum humiles exaltat; dum ſcientiam ſalutis donat; & dum ſimul nobis in Chriſto & lumen, & gloriam parat. Exaltat humiles, ut humilitati inhiemus, & ſic feliciter ad alta cœli ſcandamus: dat ſcientiam ſalutis, ut ſalvari diſcamus, & ita de obtenta æterna glorificatione lætemur: parat lumen, & gloriam in Chriſto, ut per lucem veræ fidei Catholicæ, & rectæ operationis Chriſtianæ, gloriam valeamus perennis gaudii adipiſci. Renuens humiliter deijci, non vult egregiè exaltari: reſpuens ſcientiam ſalutis, non deſiderat æterna bona nanciſci: & lumini Dei rebellis (diligens magis tenebras, quàm lucem) glorificationem, & veram gloriam Chriſtum non optat ſeriò obtinere. Ergo à ſuperbis, inſipientibus, & Deo rebellibus nos diſcedentes; ac nos fervidis, ſapientibus, & obedientibus ſociantes, veram exaltationem procuremus, ſcientiam ſalutis diſcamus, & lumen Chriſtum ad noſtram gloriam lucremur: ſimulque toto cordis affectu orationem ſequentem dicamus poſt acceptam Communionem.

Oratio poſt Communionem.

P*Urificent ſemper, & muniant tua Sacramenta nos, Deus: & ad perpetuæ ducant ſalvationis effectum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

Digitized by Google

EXPLICATIO.

UT à Dei Sacramentis purificemur, & muniamur, hodie ab ipſo Deo Domino noſtro poſtulamus; poſteà à Sacramentis ipſis muniendi, ſi per ipſa priùs fuerimus purificati. Quos mundant illa, etiam muniunt: itaque non obliviſcamur expiari, qui adeò exoptamus muniri. Muniemur quidem, & defendemur per Sacramenta Divina à quavis adverſitatis pœna, ſi abluti (præcipuè per Confeſſionem Sacramentalem) fuerimus à quacumque perverſitatis vitæ anteactæ culpa: nam Dei Sacramenta conſtituunt, & relinquunt perfectè munitos eos, quos invenerint priùs diligenter emundatos. Felix profectò, & proficua à noxis, ſceleribus, ſeu delictis purificatio, quam ſequitur fortis contra omnia adverſa munitio. Ambire poſſumus anxiè talem purificationem, per quam attingere valebimus munimen ad noſtram ſecuritatem. Incolumes evademus ad triumphandum contra pœnas, ſi projecerimus culpas. Qui igitur incolumitati noſtræ inter adverſa inhiamus, ſtudiis obtinendæ purificationis per viam Sacramentorum vacemus. Sed O Divina largitas! Quò non pervenit tua erga nos per Sacramenta tua ad bona nobis tribuenda benignitas? Sacramenta ſiquidem, quæ nos purificant, & muniunt, etiam nos perducunt ad perpetuum ſalvationis effectum. Perpetuus ſalvationis effectus eſt gloriæ æternæ fruitio, & perennis tui ipſius (qui ſummum bonum es noſtrum) poſſeſſio. Hanc tui poſſeſſionem perpetuam, velut perpetuum ſalvationis noſtræ effectum, nobis tua Sacramenta aſſequibilem reddunt, quando nos, & purificant, & muniunt. *Laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento Eucbariſtiæ tot mirabilia operatur*, ait Angelicus Doctor. Laudetur millies, quia operatur mirabilia, nos purificans, & muniens: & operatur quoque mirabilia per Sacramentum idem, nobis ad finem ultimum noſtrum (nempè, Deum) non ſolùm requirendum, ſed & obtinendum, favens; noſque ad perpetuum effectum ſalvationis, atque æternæ glorificationis perducens.

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM

Pro Dominica decimaquinta poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimæquintæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *In fide veſtra ſancta ædificamini à principio*. Arabicus: *Et verò vos, ò dilecti, & ſtate, ſeu erigite vos, aut conſiſtite ſupra fidem veſtram ſanctam, ſive puram*. Syriacus alter: *In fide veſtra iterùm ædificemini*. OEcumenius: *Sanctiſſimæ veſtræ fidei ſuperſtruentes vos ipſos*. Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Eſt ſenſus: Facto jam fidei fundamento, aliquam ſubſtructionem erigite; addentes, videlicet, honeſtas, ac laudabiles actiones*. Gloſſa Interlinealis: *Sed vos hoc modo ab illis diſſentiatis, ſuperædificantes, ut ſitis templum Dei, voſmetipſos*. Gloſſa Ordinaria: *Superædificantes voſmetipſos, &c. Ædificantes vos ipſos in bonis operibus ſuper fundamentum fidei, ut lapides vivi ponamini in domo Domini Dei*. Hugo Cardinalis: *Vos autem chariſſimi, &c. Quinta pars Epiſtolæ, in qua ponit*

ponit (*Sanctus Judas*) *moralem inſtructionem, monens ſuper fidei fundamentum bona opera ædificare, & hoc vel præceptorum, vel conſiliorum. Ut præcepta ſunt in loco ſuo ſuper ipſum fundamentum, ſic conſilia ſunt in alto, quaſi in loco ſuo. Ut & muri ſolent arctare, ita & conſilia nos arctant à via communi, cùm implemus ea. Ecce fundamentum: & parietes cœleſtis ædificii. Vos autem: quaſi: Tales ſunt. Vos chariſſimi, diſſentiatis eis* (hoc eſt, hæreticis, de quibus eſt hucuſque locutus,) *ſuperædificantes fidei veſtræ, id eſt, ſuper fidem ædificantes, voſmetipſos, tamquam lapides vivos per opera mandatorum, & conſiliorum vivificatos. 1. Petri 2. a. Et ipſi tamquàm lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis in ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum-Chriſtum.* Nicolaus de Lyra: *Vos autem. Declarata multipliciter hæreticorum pravitate, hìc conſequenter Fideles ſolidat in fidei firmitate dicens: Vos autem chariſſimi, &c. In ſanctis operibus, & meditationibus. Sanctiſſimæ veſtræ fidei. Id eſt, ſuperaddentes iſta fidei veſtræ ſanctiſſimæ, ſicut firmo, & ſtabili fundamento.* Eſtius: *Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes, &c. Rurſus exhortatio eſt, qua breviter modum, ac regulam oſtendit perveniendi ad ſalutem. Codices non pauci pro* (*veſtræ*) *legunt* (*noſtræ.*) *Similiter Græca variant unius litteræ commutatione, tametſi non multùm refert, utrùm legatur; cùm ſit omnium Fidelium una fides. Primùm hìc hortatur, ut ſanctiſſimæ fidei, quam ab Apoſtolis acceperant, ſeipſos ſuperædificent: id eſt, ut fidem Apoſtolicam pro fundamento retinentes, ceteras ſuas actiones illi ſuperſtruant, quo perfectum conſurgat vitę Chriſtianę ędificium. Quia nec fides prodeſt abſque operibus, nec opera valent abſque fide. Quamquàm & ita verti poteſt ex Græco: Superædificantes vos invicem. Superædificant autem ſe invicem ſanctiſſimæ fidei, qui monitis, & piis actionibus excitant ſeſe mutuò ad retinendam fidem Apoſtolicam, ſuper qua ſemel fundati ſunt. Senſus hic probabilis eſt. Nam alibi legitur hujuſmodi phraſis, ut Theſſalon. 5. Ædificate alterutrum. Porrò fidem ab Apoſtolis traditam, & acceptam vocat ſanctiſſimam, quòd in eorum doctrina nihil ſit, niſi ſanctum, purum, & immaculatum. Quo epitheto fidem Apoſtolicam diſcernit à fide, & doctrina ſcholæ Simonianæ, quæ non ſolùm abſurda multa de Deo, & mundo fingebat, verumetiàm impura quædam, ac nefanda tradebat turpitudinis, ac libidinum myſteria.* Menochius: *Superædificantes voſmetipſos. Quaſi dicat: Jeciſtis fundamentum fidei, nunc reliquam ſubſtructionem erigite per opera virtutum.* Tirinus: *Vos autem, ò Chriſtiani, ſanctiſſimæ veſtræ fidei, quam pro fundamento ſpiritualis fabricæ jam pridem in Baptiſmo jeciſtis, ſuperædificate per continuum exercitium ſpei, charitatis, aliarumque virtutum, voſmetipſos in auguſtum, & gratum Deo palatium, non propriis nixi viribus (ut hæretici.)* Lorinus ſic loquitur: *Superædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei. Syriacè: In fide veſtra ſancta ædificamini: à principio, id eſt, denuò. Quod eſt non aliquid ſuper fidem, & à fide diſtinctum ædificare, fideive adjicere, tamquàm fundamento; ſed eamdem fidem magis confirmare, vel renovare, ac ſibi quid tunc primùm quis egerit, cùm credere cœpit, recogitare, atque in memoriam revocare, quàm ſanctè, & ſincerè illam ſit complexus; ac hujuſmodi ſanctum propoſitum renovare, quando iniit fidei Sacramentum, hoc eſt, Baptiſmum, renuntiando tunc diabolo, & pompis ejus, induendo novum hominem creatum ſecundùm Deum, immò Chriſtum ipſum: quod qui revocat practico modo in memoriam renovatur ſpiritu mentis ſuæ, & ſi quid proceſſu temporis nonnihil vetuſtatis contraxit, ad priſtinam quaſi novitatem, juventutemque redire, ac renovari facit. Poſſet præterea exponi adhortatio, ut ſe invicem ſuperædificent, mutuiſque monitis, & exemplis excitent ad retinendam fidem, ſuper qua ſemel fundati ſunt. Congruit admodùm propoſito adverſus eos, qui ſemetipſos, ut paulò antè dictum eſt, ſegregant; quoniam per id, quòd inter nos connectimur, & conglutinamur, eadem ſentimus, & dicimus, atque eadem mente, & ſententia ambulamus, domum unam Deo efficimus, inquit Chryſoſtomus. Cæterùm fidei Judas hoc loco epithethum tribuit ſanctiſſimæ, quod nulli alii virtuti tributum lego in Scriptura, quoniam ſanctitatis initium, atque fundamentum eſt, ut diximus; ſine qua placere*

V u Deo

Deo impoſſibile eſt: quia res proponit ſanctiſſimas credendas, & agendas; ipſaque charitas, & ſpes ab ea ſanctitatis quodammodò formam accipiunt, quatenùs nihil volitum, quod non priùs cognitum: & per fidem pelluntur errores, ac ignorantiæ, ſicque corda purificari faciliùs poſſunt: quia ſalva fide, ſanctitas gratiæ, charitatiſque, ac aliarum virtutum, ſi fortè amiſſa ſit, recuperari faciliùs poteſt, illa ſemper viam, & obligationem demonſtrante hujuſmodi ſanctitatis, quia eadem aliarum virtutum ſanctitate conſervatur; repulſa verò illa, nonnunquàm amittitur, ut naufragaviſſe quoſdam circa fidem ſcribit Paulus. Superædificatio fit iſti fidei per opera ſancta, tum præceptorum, tum conſiliorum. Paupertatem quidem Patriarcha noſter Ignatius murum firmum, & propugnaculum nominat Religionis, & Chryſoſtomus murum, utque civitatem æneam, ac inexpugnabilem. Hucuſque Lorinus. Cornelius hæc habet: *Vos autem Chariſſimi, &c. Chriſtus, & fideles Chriſto inhærentes, erigunt, & efficiunt inſigne Dei templum myſticum, puta Eccleſiam, cujus fundamentum eſt Chriſtus, parietes ſunt Eccleſiæ particulares, & provinciales; lapides ſunt ſinguli fideles, qui Chriſto fundamento per fidem, & gratiam inædificantur, & ſuperædificantur. Imò quiſque fidelis ſe ipſum, quaſi particulare templum, ſive ſacellum ædificat Deo, juxta illud: Vos eſtis templum Dei vivi. 1. ad Corinth. 6. v. 16. Hujus templi fundamentum eſt fides, parietes ſunt ſpes, aliæque virtutes, tectum eſt charitas. Unde Sanctus Auguſtinus ſerm. 22. de verbis Apoſtoli: Domus Dei, ait, credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur. Quæres, qua ratione, ſive per quid vult Sanctus Judas, fideles ſuperædificare ſe ipſos ſanctiſſimæ fidei? Reſpondeo. Primò per augmentum, & robur fidei. Quaſi diceret: Fidei veſtræ novum in dies addite augmentum, & robur: quotidie creſcite, proficite, & confirmate vos in fide, ut in ea contra omnes Gnoſticorum, infidelium, & diaboli tentationes conſtanter, & firmiter perſiſtatis: ſicut enim in fabrica corporali lapis lapidi, ſic in myſtica fides fidei ſuperædificatur. Secundò, & potiùs, jubet fideles ſuperædificare ſe ſanctiſſimæ fidei per opera virtutum; fides enim eſt fundamentum fabricæ ſpiritualis, cui ſpes, charitas, aliæque virtutes quaſi parietes, & tectum ſuperædificantur, uti jam dixi. Senſus ergo eſt, quaſi diceret: Feciſtis, ò fideles, in Baptiſmo fabricæ myſticæ fundamentum, puta fidem: nunc reliquam ſubſtructionem erigite, ſancta, videlicet, fidei, & virtutum opera. Opponit Sanctus Judas tò: Superædificantes, illi, quod dixit verſ. præcedenti: Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos. Quaſi diceret: Gnoſtici per hæreſim ſeparant ſe, uti à fide, ita à fabrica Chriſti: vos autem, ò fideles, fidei, jam receptæ conſtanter inſiſtite, inhærete, & omnes ſimul vos ſuperædificate, ut omnes ſimul unam Eccleſiam omnibus numeris abſolutum conſtituatis. Fidem vocat non ſanctam, ſed ſanctiſſimam, ut miram, & ſummam ejus ſanctitatem ſignificet: multis enim titulis, nominibus, & cauſis eſt ſanctiſſima, ut oſtendi 2. Petri 2. verſ. 20. Opponit ſanctiſſimam, id eſt, puriſſimam Chriſti fidem, impiiſſimæ, & impuriſſimæ Gnoſticorum ſectæ, & perfidiæ.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

DEus, qui ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum, in terra, quam fundavit in ſæcula, quique nos, quamvis ſimus ex parte terreni, ad durationem ſæculorum æternorum creavit, in nobis ædificavit Sanctificium veræ fidei Catholicæ, ut nos cum adjutorio Dei ipſius, ſuperædificemus noſmetipſos Sanctiſſimæ noſtræ fidei, per modum rectè vivendi, &c, prout decet Chriſtianos Catholicos, operandi. Erimus ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, ſi adjunxerimus rectam operationem ad noſtram Catholicam fidem, ut non ſimus hoſpites, & advenæ, ſed ſimus cives Sanctorum, & domeſtici Dei. Ad hoc habemus lapidem ſummum angularem Chriſtum, qui facit utraque unum: ad hoc etiam ſunt Apoſtoli, & Prophetæ, noſtræ ſuperædificationis fundamentum. Cœleſti Civitati Jeruſalem (nempe Eccleſiæ triumphanti) ſunt fundamenta, ſuper quæ fabricatus eſt murus magnus, &

altus

altus ejus; & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum Agni: ſed fundamenta [Eccleſiæ militantis in montibus ſanctis poſita ſunt, dum diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob: quia fundata eſt domus Domini ſupra verticem montium, id eſt, Apoſtolorum, dum hi montes ſunt in circuitu Chriſti Domini, & hic Dominus in circuitu populi ſui. Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum Fideles in Eccleſia primitiva; & ideò multitudinis Fidelium cor unum erat, & anima una. Nè igitur ſimus duplices corde, curemus in doctrina Apoſtolorum perſeverare, & juxta eorum mores vitam noſtram diſponere, ſuperædificantes noſmetipſos Sanctiſſimæ noſtræ fidei. Confiteamur Domino in cithara (quæ dum manu pulſatur, bonam operationem noſtram demonſtret:) in pſalterio decem chordarum pſallamus Domino (ut obſervantia decem præceptorum faciat in conſpectu Dei noſtram muſicam ſuavem, & bonam noſtram obſervantiam indicet;) dum placere ſtuduerimus Domino, benè pſallentes ei in vociferatione, quæ confeſſionem noſtræ veræ fidei declaret. Quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera ejus in fide. Ergo, ſi omnia opera Domini, vel verbi Domini, ſunt in fide; ſint quoque omnia opera noſtræ Catholicæ confeſſionis in fide, & ad hoc non negligamus ſuperędificare ſanctiſſimę noſtrę fidei noſmetipſos. Sint omnia opera noſtra in fide, ut qui viderit nos benè operari, ſemper videat nos à fide duci, à fide gubernari, à fide inſtrui, & à fide ad operandum rectè illuminari. Operemur, ut credimus debere operari Chriſtianum hominem; & ſic ducemur, & illuminabimur ad rectam noſtram operationem per fidem; ut quia ipſa eſt recti operis fundamentum, noſtra ſuperædificatio bonorum operum ſit veritatis noſtræ fidei teſtimonium, ſit ipſius fidei gloria, ſit ornamentum; ut ipſa appareat accidentaliter pulchrior in veſtitu deaurato per noſtræ charitatis aurum, circumdata varietate noſtrorum meritorum, quibus ſimul ædificantes noſmetipſos ſanctiſſimæ noſtræ fidei, aſcendamus ad capienda gaudia cœli. Hujus deſiderio exæſtuemus loquenres Deo in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio Officii Dominicę decimęquintę poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Eccleſiam tuam, Domine, miſeratio continuata mundet, & muniat: & quia ſine te non poteſt ſalva conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tum, &c.

EXPLICATIO.

Oramus hodie Dominum noſtrum, ut ejus miſeratio continuata Eccleſiam ſuam mundet; & ut miſeratio eadem continuata ipſam Eccleſiam, quam mundaverit, munire dignanter, & clementiſſimè velit. Miſeratio utique Domini eſt actus, ſive exercitium miſericordiæ Divinæ. Deſideramus igitur, quòd exerceatur erga Dei Eccleſiam ipſius Dei miſericordia, Eccleſiæ eidem munditiam tribuens, atque munimen concedens. Sola Dei miſericordia poteſt nos mundare, & etiam ipſa ſola poteſt nos ſua virtute munire. Aſcendat igitur, ut dicit Sanctus Auguſtinus, noſtra oratio, ut deſcendat Dei miſeratio: & tunc poterimus dicere: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem noſtram, & miſericordiam ſuam à nobis*, quando orantem Eccleſiam, per miſericordiæ actum (nempe, miſerationem continuatam) ipſe Deus mundaverit, & munierit; mundaverit quidem, ab Eccleſia eadem abigens culpas; & munierit, illam fortem reddens contra tentationes, & patientem ad tolerandas quaſlibet pœnarum adverſitates. Sine Deo Eccleſia non poteſt ſalva conſiſtere; ſalus autẽ juſtorum à Deo, & protector eorum eſt in tempore tribulationis itaque Dominus ſalvam faciet hanc Sion. Salus noſtra eſt Deus uſque ad extremum terræ: dum egemus, ut ſalus Dei ſuſcipiat nos. Induet nos filios Eccleſiæ (propter juſtos, qui ſunt in illa) veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdabit nos. Dabit in Sion ſalutem, & in Jeruſalem gloriam ſuam ille

benigniſſimus Deus, & Dominus; ut gubernet veram Sion, & Jeruſalem veram, ſanctam, nempe, Eccleſiam ſuam Catholicam Apoſtolicam Romanam. Petimus, ut hæc gubernetur Dei munere, quia ſine Deo non poteſt ſalva conſiſtere. Conſiſtet tamen ſalva per Dei (Eccleſiam ipſam gubernantis) munus, & per Providentiam Divinam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Ad portum ſalutis profectò ſalva perveniet hæc navis; quæ ſub Deo Gubernatore inviſibili, & ſub ejuſdem Dei Vicario Romano Pontifice (viſibiliter eam ducente, & regente) neutiquam poterit vel ſubmergi, vel perire. Poſtulamus, Eccleſiam ſemper gubernari Dei munere, quia Dei donum eſt (ſicut etiam Dei eſt munus, ſeu officium) hanc Eccleſiam gubernare. Hæc dicit Dominus Redemptor noſter Sanctus Iſrael: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas*. Eccleſiam igitur Deus ſuo munere gubernet, quia, juxta Textum Sacrum, ubi non eſt Gubernator, populus corruet: ſalus autem ubi multa conſilia: ac conſilium Dei ſtabit, & omnis voluntas ejus fiet.

ORATIO SECRETA.

TUa nos, Domine, Sacramenta cuſtodiant: & contra diabolicos ſemper tueantur incurſus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

SI à Dei Sacramentis fuerimus cuſtoditi, erimus benè ſervati, & conſequenter inter adverſa ſecuri. Nemo eſt ſecurus, niſi quem cuſtodit Deus. Cuſtodit nos Dominus Deus noſter per ſua Sacramenta, ut ſecuritate potiamur deſiderata, & petita. Securè ambulat quiſquis ſub Dei cuſtodia degit: & Dei Sacramenta habent munus nos Dei nomine cuſtodiendi, ut eſſe valeamus ſecuri, his Sacramentis protecti, & ab illis cuſtoditi. Accedat ad Sacramentorum munimen ille, qui vult habere inter adverſa tutamen: quia qui à Dei Sacramentis cuſtoditur, à nullis adverſitatibus teritur. Quid nobis adverſius, quàm diabolicis patere incurſibus, ac vinci à dœmonis fraudibus? Incurrit majora mala, & timore digniora ille, quem ſuis incurſibus diabolus fallit, & ſuis verſutiis, aſtutiis, & fraudibus à gratia avellit, & in peccati gravis peſſimum conſenſum, ſeu per commiſſionem, ſive etiam per omiſſionem, detrudit. Ergo ab adverſioribus nobis rebus liberabimur, ſi à Dei Sacramentis fuerimus cuſtoditi, & ab eis tutamen contra diabolicos incurſus ſemper fuerimus adepti. Efficacia igitur, & utilia jurè appellentur Sacramenta Domini, quæ valent nos cuſtodire, & contra diabolicos incurſus ſemper tueri. Eamus jam ad Dei Sacramenta pro conſequenda noſtra forti, felici, atque ſecura cuſtodia: curemus ad ipſa Sancta Sacramenta greſſus animarum, ac etiam noſtrorum corporum dirigere, pro noſtro adipiſcendo tutamine. Gratis nobis offertur in ipſis illud, quod ad multa bona concilianda ſemper valere cognoſcitur, & ad plura mala vitanda, & fugienda proficere reperitur: bonum namque eſt nobis per Dei Sacramenta potenti cuſtodia frui: bonum etiam per Sacramenta ipſa Dei gaudere tutamine: bonum denique nullis incurſionibus virulenti noſtri inimici, ſcilicèt, Satanæ, obrui; & nullis ejus inſidiis ſeduci. Cuſtodiunt Dei Sacramenta homines tuendos contra diaboli incurſus: & tuentur Sacramenta eadem eos ipſos, quos cuſtodiunt: itaque ſunt Dei Sacramenta nobis maximè proficua, quando cuſtodiunt quos tuentur; & etiam ſunt nobis utiliſſima, quando quos cuſtodiendos accipiunt, efficaciter, ac valenter defendunt, atque tuentur; ut omnimodè ſecuri ſint illi, qui ad Dei Sacramenta pro cuſtodia, & tutamine confugiunt. Ergo qui per cuſtodiam Dei Sacramentorum petimus contra diabolicos incurſus defendi, & per tutamen eorumdem Sacramentorum exoptamus cuſtodiri, tuti gaudebimus, dum cuſtoditi exultabimus. Benè, & juſtè in primo loco depoſcimus à Dei Sacramentis cuſtodiri, & poſteà loco ſecundo flagitamus, eadem Sacramenta contra incurſus diabolicos ſemper, ſive jugiter, nos tueri;

quia,

quia, poſtquam Dei cuſtodia datum fuerit nobis fungi, concedetur quoque Dei tutamine protegi. Nil malum cuſtoditi à Dei Sacramentis valebimus timere: nil adverſum jurè vereri, ſi conſecuti fuerimus protegi à Dei Sacramentorum virtute, quæ profecto reddit contra omnia mala, & adverſa tutos omnes à ſe cuſtoditos.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus, & Nunc dimittis.*

DEpoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

SImon de Caſſia ait: *Depoſuit potentes, &c. Neque novum eſt hoc Virginis verbum: longè antè prædictum eſt, & experientia claret. Ad Dei juſtitiam pertinet deponere ad ima, qui nequiter ſublimia tenuerunt, & exaltare humiles tenentes virtutem, dum abjecti videbantur. Hinc in Job ſcriptum eſt: Qui ponit humiles in ſublimi, mærentes erigit ſoſpitate. Pro humilibus quidem dicta ſunt hæc. Pro depoſitione verò ſuperborum potentum, & exaltatione humilium, clarius in Sapientia legitur: Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus. Si per allegoriam vellemus diſcutere, depoſitio Judæorum, & Gentium exaltatio intelligitur. In moribus etiam talia fieri ſæpè videmus. Cùm verò finis vitæ hominis venerit, rota volvetur rationis humanæ infra rotam Divinæ juſtitiæ, ut ſecundùm virtutes, non ſecundùm opiniones hominum, merita tribuantur. Et in Evangelio Salvator plerùmque verba hujuſcemodi iteravit: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hugo Victorinus dicit; *Deus prius Angelum de cœlo, & hominem de Paradiſo ſuperbientem projecit; & poſteà hominem per pœnitentiam humiliatum ad priſtinam gloriam reparavit. Sed & quotidie ſuperbos quoſque ſubtrahendo gratiam ſuam deponit, & humiliat: poſteà eoſdem humiliatos gratiam priorem reſtaurans exaltat.* Vincentius Regius inquit: *Depoſuit potentes, &c. Dum de ſede dicit, per ſedem dignitatem, ſolium regium, ac thronos intellige. Potentes. Hæc vox conjuncta verbis illis: De ſede, denotare videtur Reges: quia verò poteſtas bona eſt, & à Deo, ideò non dictum eſt, depoſuiſſe ſedes, ſed ſedentes. Exaltavit humiles. Opponit humiles potentibus Regibus: quarè videtur propriè, & maximè intelligere viles conditione, quos in regium ſolium evexit, & ad quos ſuperborum Regum regna, & opes tranſtulit. Cæterùm, licèt univerſim de potentibus, & humilibus loquatur; præſertim tamen alludere videtur ad ea, quæ egit in ingreſſu populi Hebræi in terram promiſſionis, ſicut priùs alluſit ad ea, quæ egit cum ſuis in Ægypto, cùm populum eduxit inde in manu potenti, & brachio extento.* Cornelius hæc habet: *Depoſuit (Syrus: Deturbavit) potentes de ſede, & exaltavit humiles. Uti depoſuit de ſolio regali ſuperbum Saulem, ſubrogando ei humilem David. Sic ſuperbo Aman ſubrogavit humilem Mardochæum, & Vaſti Eſtherem. Sic Joſue cap. 12. 7. percuſſit triginta, & unum Reges Chananæos, eorumque regna ſibi, & Iſraeli ſubdidit. Idem fecit, facit, & faciet Deus omni ſæculo. Herodes quoque infanticida regno, & vita privatus eſt, ac paulò poſt tota ejus progenies regia interiit, æquè, ac Auguſti Cæſaris, ſcilicèt, ut ſignificaretur, Chriſtum jam eſſe natum, illique regnum omne deberi, & præparari; uti prædixit Daniel cap. 7. verſ. 13.* Maldonatus ſic loquitur: *Depoſuit, &c. Solet Scriptura in Dei laudibus ponere, quòd regna transferat, & alios de ſolio ejiciat; alios in ſolium evehat: quia, cùm inter homines ſumma potentia credatur eſſe Regnum, in iis potiſſimùm ſubigendis, dimovendiſque Divina maximè poteſtas apparet. Danielis 2. 21. Et ipſe mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque conſtituit: & Eccleſ. 10. Regnum à gente in gentem transfertur, propter injuſtitias, & injurias.*

jurias. Itaque præteritum pro futuro ex Hebraicæ linguæ proprietate accipi, puto, & futurum rurſus alio Hæbraiſmo pro modo. ut Grammatici vocant, potentiali: ut ſit ſenſus: Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, id eſt, deponet, & exaltabit, hoc eſt, poteſt deponere, & exaltare. Toletus ait: *Depoſuit potentes, &c. Quæ in egreſſu de Ægipto Deus mira cum populo illo geſſit, Beata Maria explicuit; nunc quæ in ingreſſu in terram promiſſionis fecit, exponit. Depoſuit, inquit, potentes de ſede; multas enim gentium nationes potentes, & Reges multos evertit, & ſuis regnis, poſſeſſionibus, ac ſedibus, ſeu thronis, vel regalibus ſòliis ejecit, & Judæos humiles, ac abjectos introduxit, & in illorum ſedibus collocavit. Ex Sacra Scriptura nemo eſt qui ignoret, quot populos nationum, Principes, ac Reges potentiſſimos Deus debellaverit, & regnis ſpoliaverit, ut Judæos introduceret, & in eorum ſedibus collocaret. Totus liber Joſue in his ennarrandis verſatur. Magnum profectò opus Divinæ miſericordiæ erga populum illum. De hac depoſitione potentium, & humilium exaltatione eſt illud Deut.7. Cùm delevit gentes multas coram te, Hæthæum, Gergeſæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Hebæum, & Jebuſæum, ſeptem gentes multò majoris numeri, quàm tu es, & robuſtiores, &c. Et illud Pſalm.34. Percuſſit Reges magnos, & occidit Reges fortes, Seon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan, & dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael ſervo ſuo. Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri.* Sylveira dicit: *Depoſuit potentes, &c. Aliqui intelligunt hoc de populo Judaico, quem Deus eduxit de ergaſtulo Ægyptiorum. Alii hoc referunt ad Saulem, quem Deus detraxit de ſolio, & exaltavit humilem Davidem. Euthymius, & Beda exiſtimant, nullum hic denotari tempus, ſive præteritum, ſive futurum, ſed tantùm ſignificari id, quod Deus facere poſſit, ac ſoleat. Et hoc modo loquitur Anna in Cantico ſuo 1. Regum 2. v. 8. Suſcitat de pulvere egenum. Sed, ut jam ſæpè dixi, Beatiſſima Virgo in hoc Cantico tota erat intenta Myſterio Incarnationis. Et ideò: Depoſuit, pro: Deponet, ut ait Interlineais. Vel vide ſuperiorem expoſitionem. Per: Potentes, Divus Auguſtinus, Theophylactus, Auctor Græcus in Catena intelligunt dæmones, qui ante Chriſti adventum in mundo regnabant: duriſſimum ſupplicium erat, ut dæmones, aſſueti imperio, à ſede deponerentur, & humiles ad illam ſublevarentur. Vel etiam intelligunt Judæos, & Phariſæos, qui lege, & Prophetis erant potentes, & ſedebant ſuper cathedram Moyſi: vel etiam intelliguntur Tyranni, qui opprimunt juſtos. Per: Humiles, Apoſtolos, tanquam Principes Orbis terrarum: vel Gentiles, quos per confeſſionem fidei ad dona gratiæ, & gloriæ ſublimavit.*

Pro: *Benedictus.*

BArradas ait: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Præibis ad dandam (ait Bernardus in ſermone de Baptiſta) non ſalutem, ſed ſcientiam ſalutis. Græcè: Præibis dare ſcientiam, id eſt, ad dandam, vel, ut des ſcientiam ſalutarem plebi de Meſſiæ adventu, de pœnitentia, & baptiſmo. In remiſſionem peccatorum. Id eſt, ut per hanc ſcientiam ſalutis, quam hominibus trades, ad remiſſionem peccatorum ſe præparent, eamque per contritionem conſequantur. Unde illud Lucæ 3. Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. Vel præibis ante faciem ejus, ad tradendam populo ſcientiam ſalutis, hoc eſt, Salvatoris venientis, in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, ad remittenda, & tollenda peccata. Hanc ſcientiam tunc maximè docuit Joannes, cùm Chriſtum illis verbis oſtendit: Ecce Agnus Dei. Ecce qui tollit peccata mundi. Aliter: Ut des cognitionem ſalutis per Meſſiam afferendæ: ſalutis, inquam, in remiſſionem peccatorum miſſæ, quæ in remiſſione peccatorum, gratiæque munere verſatur.* Simon de Caſſia dicit: *Ad dandam ſcientiam, &c. Prædicatorum officium, & intentio in his, quæ Zacharias de puerulo vaticinatur, aut edicit, oſtenditur præire Chriſtum: non à ſe ipſis, ſed miſſi ab ipſo, aut ab authoritatem habente. Præire ante faciem ejus, ut ſemper Chriſti notitia ſubſequatur. Parare vias ejus, ſcilicet, prædicare virtutes, quibus iter eſt, quo ad homines veniat Altiſſimus Filius*

Al-

Altiſſimi Dei. Et, ut dent auditoribus ſcientiam de ſalute, ut oſtendant plebi, non in quibus corporis, ſed in quibus animæ ſalus vera conſiſtit, ut inſtruant populum, in quibus ſit tota remiſſio peccatorum. Sylveira inquit: *Ad dandam ſcientiam ſalutis, &c. Ecce finis prædicationis Baptiſtæ: Ad dandam ſcientiam ſalutis. Et hoc magis explicat, quomodò præparabit vias Domini, nempe, cognitione Chriſti, quam ipſe dabit. Ad dandam ſcientiam ſalutis. Non ſalutem dat Joannes, ut ait Divus Bernardus ſerm. de prærogativis Baptiſtæ; ſed ſcientiam ſalutis. Nomine ſalutis Chriſtum optimè interpretantur Euthymius, Theophylactus, Beda, & Carthuſianus: quia ipſe eſt ſalus noſtra. Aliqui verò Recentiores cum Janſenio, & Toleto, per ſcientiam ſalutis intelligunt non ipſum Chriſtum, ſed ſcientiam ſalutarem, quam ipſe Chriſtus in nobis per fidem operatur. Unde ait Divus Bonaventura: Sine ſcientia non eſt ſalus. Iſai. cap. 5. n. 13. Proptereà captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Et nè aliquis putaret, ait Beda, quòd ſalus temporalis hic promittebatur, proptereà ſubdit: In remiſſionem peccatorum. Plebi ejus. Communiter Patres, & Expoſitores per plebem intelligunt populum Judæorum, ad quem Chriſtus miſſus eſt. Tamen Divus Ambroſius tom. 1. de Vocatione Gentium, cap. 6. & Dionyſius Carthuſianus, univerſum populum credentium intelligunt: in omnium enim ſalutem venit Chriſtus Dominus. Et ideò hæc expoſitio accommodatior.* Toletus hæc habet: *Ad dandam ſcientiam ſalutis, &c. Quam ob cauſſam puer paraturus eſſet vias Domini, exponit, nempe, ut indicaret, & oſtenderet Judæis Chriſtum: hunc enim agnoſcere, & in eum credere ſalus illorum ſpiritualis, & vita æterna erat. Joann. 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. In remiſſionem peccatorum eorum. Quæ ſit iſta ſalus, explicat: eſt enim remiſſio peccatorum eorum, id eſt, Judæorum, ſeu plebis; cùm enim ſit collectivum, non tam ad vocem, quàm ſignificatum reſpexit Zacharias dicens: Eorum. Eſt autem contextus talis: Ad dandam ſcientiam ſalutis, quæ quidem ſalus eſt per remiſſionem peccatorum: hæc enim ſunt ſicut morbus graviſſimus, & læthalis infirmitas, qua mundus tenebatur oppreſſus. Chriſtus autem ſalutem, ab hac infirmitate nos liberans, attulit per ſui agnitionem, ſcientiam, ſeu fidem. Non ergo Joannes ſalutem dedit, ſed introduxit ad agnitionem illius, per quem ſalus, & remiſſio peccatorum erat. Matthæi 3. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sanctus Thomas in Catena habet ſequentia: *Ad dandam ſcientiam ſalutis, &c. Theophylactus: Qualiter Præcurſor viam Domini præparavit, exponit: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Salus Dominus Jeſus eſt: data eſt autem plebi ſcientia ſalutis, id eſt, Chriſti, à Joanne, qui teſtimonium perhibebat de Chriſto. Beda: Quia namque Jeſu, id eſt, Salvatoris nomen exponere deſiderat, ſalutis mentionem frequentat; ſed nè temporalem ſalutem promitti putarent, ſubdit: In remiſſionem peccatorum eorum. Theoph. non namque aliter cognitus eſſet Deus, niſi plebi peccata dimiſiſſet. Dei namque eſt peccata dimittere. Beda: Verùm Judæi non Chriſtum ſuſcipere, ſed AntiChriſtum malunt expectare; quia non intùs à peccati dominio, ſed forìs ab humanæ ſervitutis jugo cupiunt liberari.*

Pro: *Nunc dimittis.*

SImon de Caſſia ait: *Lumen ad revelationem, &c. Lumen illuminans, poſitum ante conſpectus hominum, ut ſi non rectè ambulatur, non aſcribatur lumini, ſed errare volenti, & oculos claudenti ad ſplendorem ejus: quod revelat Gentes ambulantes in tenebris; quoniam Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et gloria erit Iſraeliticæ plebis, cùm in fine ſæculi Iſrael ſalvus erit. Necnon lumen eſt ad Gentes, ſcilicet, ad homines peccatores, ut de tenebris revertantur ad lucem. Et ad Iſraeliticos, ſcilicet, juſtos, ut non aberrent à luce, ſed in ipſa internè ſplendente proficiant. Hac conditione, omnibus Chriſtus eſt lumen, ut peccator tenebroſus lumen veritatis aſpiciat, deteſtatus tenebras per lumen: & juſtus in lumine, palmatè proficiat, delectatus lumine, effugiens tenebras.*

San-

Sanctus Thomas in Catena : *Lumen ad revelationem , &c. Athanaſius : Gentes enim ante Chriſti adventum in ultimis tenebris erant conſtitutæ , cognitione Divina privatæ . Cyrillus : Sed Chriſtus adveniens factus eſt lux tenebroſis , & erraticis , quos diabolica manus preſſit . Vocati ſunt autem à Deo Patre ad notitiam Filii , qui eſt lux vera. Athanaſius : Iſrael autem , licèt tenuiter , lege illuminabatur , & ideò non dicit , quòd lumen illis protulerit , ſed ſubdit : Et gloriam plebis tuæ Iſrael. Memorans antiquam hiſtoriam ; quia ſicut olim Moyſes Dominum alloquendo , glorioſam retulit faciem , ſic & ipſi Divinam humanitatis lucem pertingentes , vetus abjicientes velamen in camdem imaginem transformarentur de gloria in gloriam . Cyrillus : Nam , etſi quidam eorum inobedientes fuerint , tamen reliquiæ ſalvæ factæ ſunt , & per Chriſtum pervenerunt ad gloriam . Harum primitiæ fuerunt Divi Apoſtoli, quorum fulgores univerſum orbem illuminant . Fuit etiam Chriſtus ſingulariter Iſraelis gloria , quia ſecundùm carnem ex eis proceſſit ; quamvis cunctis , ut Deus præeſſet per ſæcula benedictus . Gregorius Niſſenus: Et ideò ſignanter dixit Plebis tuæ: quia non ab eis tantùm eſt adoratus , ſed inſuper ex eis eſt ſecundùm carnem natus. Beda: Et benè revelatio Gentium Iſraelis gloriæ præfertur ; quia , cùm plenitudo Gentium introierit , tunc omnis Iſrael ſalvus erit .*

Reflexio moralis , ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita , & ab Auctoribus explicata .

EXaltatio eſt humilium , quòd detur illis ſcientia ſalutis , in remiſſionem peccatorum eorum , ut liberi à cæcitate peccati , poſſint aſpicere lumen Chriſti . Ergo ſimus humiles , & timentes : quia oculi Domini ſuper timentes eum , exaltans animas , & illuminans oculos , dans ſanitatem , & vitam , & benedictionem . Dei genitrix exaltationem humilium aſſerit : Zacharias , dandam populo ſalutis ſcientiam , prædicit : & Simeon, Chriſtum eſſe lumen , & gloriam , oſtendit. Humiles exaltantur ; quia, ut triticum, & electa grana, in horreum Dei congregantur , & ſtatuuntur , quando zizania ſuperborum depoſitorum de ſede , alligantur in faſciculos ad comburendum . Scientia ſalutis datur Dei populo , ut iſte ultrà non ſerviat peccato . Lumen paratur , cùm redemptionem mittit Dominus populo ſuo . Benedictus ergo Deus, qui eligit , & exaltat humiles : qui donat, & largitur veram ſcientiam ad ruptionem iniquitatis : & parat lumen ad felicitatem noſtræ glorificationis . Humiliemur , ut ſimus exaltati , & electi . Sciamus ſalvari , ut conſequamur noſtra peccata dimitti . Amplectamur lumen , ut in illo valeamus cœli palatia videre . Exaltabit nos Deus , quoniam ſuſcepit nos , ſi à Deo vocati , curaverimus eſſe prædeſtinati , & electi : ſciemus ſalvari , ſi didicerimus noſtra peccata plangere : & habebimus lumen , ſi ſtatuerimus tenebras ignorantiæ , & malitiæ non amplecti . Quis in conſpectu promiſſæ exaltationis non humiliabitur ? Quis non planctum diſcere ſataget , quando ei tantoperè expedit flere,ut à pondere peccatorum liberetur ? Quis non accipit jucundè lumen illud , quod æternaliter lucens ipſi accedentibus promittitur. Abſit, ut velimus ſuperbire, & ſic eſſe expertes exaltationis à Deo promiſſæ . Apagesis : nolimus in peccatis perſiſtere, obliti ſcientiam ſalutis , quam Dominus miſericors voluit dare plebi ſuæ . Longè ſit quoque à nobis tenebras magis , quam lucem , diligere, quando Deus lumen parat, & noſtram glorificationem intentat. Eſſemus profectò abjecti, ſine Dei exaltatione : inſipientes , ſi Dominus noluiſſet nobis ſcientiam ſalutis dare : ac cæci quoque eſſemus , niſi Creatori noſtro placuiſſet lumen nobis impertire . Grati igitur ſimus Deo pro exaltatione , pro ſcientia , & pro lumine : pro exaltatione quidem , quam poſſumus per humilitatem cum gratiæ adjutorio conſequi : pro ſcientia ſalutis, quam, Deo dante, valemus, in remiſſionem peccatorum noſtrorum obtinere : & pro parato lumine , quo illuſtrante , & adjuvante , quibimus gloriam nanciſci. Grati quoque ſimus Domino noſtro hæc omnia nobis

bona

bona tribuenti in Sacra Euchariſtia; ſiquidem hæc illam dignè accipientes (quia panem Angelorum manducat homo) ad veram exaltationem provehit: dignè communicantes (quia eſt panis vitæ, & intellectus) in ſcientia ſalutis erudit: & in gratia eam menſam frequentantes (quia lucerna Eccleſiæ triumphantis, & militantis eſt Agnus, qui immaculatus ſacrificatur in Altari, cujus carnem poſtquàm omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus) luce gratiæ, in pignus ſempiternæ glorificationis, imbuit. Reddentes itaque gratias, laudemus Dominum tanta nobis beneficia in Altari per Divinam Euchariſtiam largientem, ac dicamus orationem ſequentem poſt acceptam Communionem.

Oratio poſt Communionem.

Mentes noſtras, & corpora poſſideat, quæſumus Domine, doni cœleſtis operatio: ut non noſter ſenſus in nobis, ſed jugiter ejus præveniat effectus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Erimus felices mente, & corpore, ſi fuerimus ab operatione doni cœleſtis poſſeſſi. Plenæ igitur felicitati inhiantes, hinc mentes noſtras à doni cœleſtis operatione poſſideri poſtulamus; illinc corpora noſtra etiam poſſideri ab eadem operatione, depoſcimus. Quarè multoties infelicitatem incurrimus, & in delicta, ac facinora inconſtantes, fragiles, graciles, debiles, & tepidi, (dum in via Dei, & terræ promiſſionis veræ, cœpit nos tædere itineris, & laboris) corpore, & anima labimur? Quia profectò bona, & utilia recuſamus, & refugimus, à Sanctorum Sacramentorum uſu nos avertentes, ac propterea à vero deviantes, dum nolumus à Dei operatione mentes noſtras, & corpora poſſideri. Felix nobis erit captivitas, ſi capti fuerimus à doni cœleſtis operatione proficua, & hæc poſſederit noſtras mentes, & corpora: mentes quidem, ut Deo nos perfectè in anima faciat ſubditos; & corpora, ut nos conſtituat etiam in uſu corporis, & ſenſuum illius, Domino noſtro ſubjectos. Sic cogitabimus quæ Domini ſunt, ut ſimus ſancti corpore, & ſpiritu. Sic, quia empti ſumus pretio magno, glorificabimus, & portabimus Deum in corpore noſtro. Ad hæc petimus, ut mentes noſtras, & corpora poſſideat doni cœleſtis operatio. Id quoque explicatur, cùm in eadem noſtra petitione ſubditur: *Ut non noſter ſenſus in nobis, ſed jugiter ejus præveniat effectus.* Si in nobis prævenerit ſenſus noſter, ſecundùm carnem vivemus; & moriemur ſpirituali morte, appropinquantes uſque ad portas mortis ſecundæ, damnationis, nempe, æternæ; ſed, ſi in nobis ipſis jugiter, ſive continuatè prævenerit effectus operationis cœleſtis doni (dum id, quod operatur in nobis cœleſte donum Sacramentorum, ſemper eſt & animabus, & corporibus proficuum,) habebimus vitam immortalem in mente, & poſt reſurrectionem carnis etiam apud Empyreum in corpore: nam veriſſimum eſſe noſcimus, quòd ſi ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus: & gratia ad ſpiritu mortificanda carnis facta, veniet nobis feliciter à cœleſtis doni operatione mentes noſtras, & corpora poſſidente. Veniat ergo, & in nobis præveniat effectus operationis doni cœleſtis Sacramentorum Altaris: quæ Deus nobis conceſſit, ut poſſideat operatio cœleſtis doni noſtras mentes, noſtraque corpora: & ut ita numquàm feliciùs ſimus noſtri verè, quàm dum viſi fuerimus nos non noſtri, in mente, & corpore poſſeſſi à doni cœleſtis operatione. Non præveniat noſter ſenſus in nobis effectum operationis cœleſtis doni; nè noſter ſenſus aditum, & ingreſſum claudat effectui operationis optimi doni cœleſtis: immò effectus operationis doni cœleſtis ſit ille, qui præveniat ſenſum noſtrum in nobiſipſis; ut hic effectus salubris operationis talis, ſenſui nocivo in nobis claudat januam; & negans ſenſui noſtro in nobis introitum, ſortiatur eadem operatio per ſuum effectum valentem, & felicem, noſtram omnimodam quietem;

noſtrarum mentium, noſtrorumque corporum poſſeſſionem operatio cœleſtis doni habeat, ut in hac vita obtineamus beatitudinem inchoatam, & in vita æterna adipiſcamur glorificationem perfectam.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM

Pro Dominica decimaſexta poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimæſextæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

In Spiritu Sancto orantes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabicus legit: *Quando oratis in Spiritu Sancto.* OEcumenius: *Superſtruentes vos ipſos per Spiritum Sanctum.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *In Spiritu Sancto Dei, vel veſtro ſanctificato orantes.* Gloſſa Ordinaria: *In Spiritu Sancto orantes. Ut de veſtris viribus non præſumatis, ſed Divinæ tuitionis adjutorio ſperetis, non per vos ſalvari putantes, ſed adventum Spiritus Sancti in vos petite, quo inſpirati ardentiùs oretis, nè cum his qui ſpiritum non habent, ab Eccleſia ſegregemini.* Nicolaus de Lyra: *In Spiritu Sancto orantes. Qui elevat fidelium mentes. Oratio enim ſecundùm Damaſcenum, eſt aſcenſus mentis in Deum.* Eſtius: *In Spiritu Sancto orantes. Illud: In Spiritu Sancto, quidam præcedentibus annectunt; verùm multò aptiùs adhæret verbo: Orantes. Orant enim in Spiritu Sancto, id eſt, per Spiritum Sanctum, qui orantes petunt quæ petenda ſunt, quomodò petenda, nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus (ait Paulus Roman.* 8.) *ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, id eſt, poſtulare nos facit. Orant autem non in Spiritu Sancto, ſed ſecundùm carnem, qui petunt à Deo, quod in concupiſcentiis ſuis inſumant. Jacobi* 4. *Unde & hac parte notari videtur ſchola Simonis.* Menochius: *In Spiritu Sancto orantes. Id eſt, per Spiritum Sanctum, ipſe enim Spiritus poſtulat, id eſt, poſtulare nos facit, gemitibus inenarrabilibus. Ad Roman.* 8. 27. Tirinus: *Non propriis nixi viribus (ut hæretici) ſed in Spiritu Sancto orantes, & Orationi jungentes.* Hugo Cardinalis: *In Spiritu Sancto orantes. Merito orationis, quam à gratia Spiritus Sancti didiciſtis. Quaſi dicat: Confidatis de Spiritu Sancto, & non de veſtris viribus, vel meritis præſumatis. Et eſt hìc argumentum, quòd qui non eſt in gratia, nihil meretur. Verum eſt, merito condigno, etſi merito congruo mereatur. Et eum dicit: orantes, quaſi apponit tectum in ædificio ſpirituali, cujus fundamentum præoſtendit* (ſcilicet, Sanctus Judas.) Lorinus hæc habet: *In Spiritu Sancto orantes. Orant in Spiritu Sancto, qui hunc habent: qui ejus inſtinctu, & cum fervore, qui ſpiritualia orant, & petunt. Hujus certè virtutis, quæ ſub Religionis virtute præcipua eſt, nullum in brutis veſtigium apparet; ſicut aliarum virtutum, quas aliquando jubere videntur Scripturæ nos à nonnullis eorum diſcere, ut à formica, ſerpente, & columba, &c. Et ritè orari ſine aliarum comitatu virtutum nequit, ut fidei, ſpei, charitatis, humilitatis. Denique gloria Deo redditur per creationem, propter quam gloriam Deus omnia fecit, & naturæ, & gratiæ opera. In templo gloriæ omnes gloriam Deo dicunt: definiuntque nonnulli Angelum: Animal, quod laudes decantat Deo; quaſi non minùs cœleſte templum, quàm hòc terrenum, ſit domus orationis. Ipſe Chriſtus, qui nos orare hìc docuit, & adeò ſæpè oravit, etiam in ipſa Cruce, ibi interpellat pro nobis: quod & Spiritum Sanctum facere gemitibus inenarrabilibus,*

antea

anteà dixi: qui Spiritus peculiariter cognominatur à precibus, ſimul cum gratia, ut dicatur Spiritus gratiæ, & precum. Apoſtoli, qui perſeverando in oratione ad recipiendum Spiritum Sanctum ſe diſponebant; poſtquàm iſtum Spiritum precum acceperunt, orationi quoque inſtandum ſibi dixerunt: & alii diſcipuli perſeverabant in communicatione fractionis panis, & orationibus. Idem eſt Spiritus gratiæ, & precum; quia quos Spiritus Sanctus gratia ſua dignatur, & ſibi ſeu Deo charos facit, docet etiam eidem Deo fidere, illumque orare; ita, ut conjici poſſit Deo parùm eſſe gratum, qui parùm incumbit orationi, cùm dixerit Chriſtus, ſemper orandum, & Paulus, ſine intermiſſione. Neque ineptè definierit ſpiritualem, de quo nuper agebamus, oratorem, ſicut Angelum definitum à quibuſdam dicebamus, Dei laudatorem. Cornelius ſic loquitur: *In Spiritu Sancto orantes. Orationem accipe, tum privatam, tum potiùs publicam in cætu, & Eccleſia. Ita OEcumenius. Notat enim Sanctus Judas Gnoſticos animales, quorum cætus, & oratio erat impura, ideòque non fiebat in Spiritu Sancto, ſed venereo, & diabolico; turpiſſimas enim libidines in invicem exercebant. Notat quoque Simonis Magi aſſeclas, qui docebant, ſe natura eſſe ſpirituales, ac proinde per ſe ſalvari poſſe, nec egere oratione, & ope Spiritus Sancti, teſte Irenæo lib.1. cap.13. & 20. Tò ergo: In Spiritu Sancto, quatuor ſignificat. Primò; Orationem veram eſſe donum Spiritus Sancti, & ſine eo neminem poſſe orare, ſicut oportet ad obtinendam gratiam, & ſalutem, uti definit Concilium Arauſicanum, & Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. imò Paulus Roman. 8. cap.20. Secundò, in oratione poſtulanda eſſe ea, quæ ſuggerit Spiritus Sanctus, non caro, vel mundus: quæque Spiritui Sancto grata ſunt, non carni. Tertiò, orationem efficere hominem ſpiritualem, non animalem; oratio enim eſt opus Spiritus Sancti, quæ orantem illi ſimilem facit, ideòque ſpiritualem. Unde, ſicut Veteres nonnulli definiunt Angelum: Angelus eſt animal cæleſte, immortale, hymniſonum, Dei laudes decantans; ſic virum ſpiritualem definias: Eſt orator, & laudator Dei: eſt Angelus in terra hymniſonus. Quartò, Spiritum Sanctum dirigere orationem noſtram, nè noxia, ſed ſalutaria petamus, & impetremus. Ipſe enim orandi inſpirat affectum pariter & effectum. Verè Sanctus Iſidorus lib.3. de Summo bono, cap.7. Multos, ait, Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſalutem. Et Sanctus Auguſtinus tract. 73. in Joannem: Malè, ait, uſurus eo, quod vult accipere, Deo potiùs miſerante, non accipit: proinde, ſi hoc ab illo petitur, unde homo lædatur exauditus, magìs metuendum eſt, nè quod poſſet non dare propitius, det iratus.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

Deus, qui aliquando promiſit, ſe effuſurum ſuper domum Juda, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, favens ſuo populo, vult, quòd nos oremus in Spiritu Sancto. Iſte Sanctus Spiritus, qui mentes ſuorum viſitat, & implet Divina gratia, quæ ipſe creavit pectora, eſt ritè promiſſum Patris, ſermone ditans guttura: ille eſt qui nos docet omnia, & ſuggerit nobis omnia quæcumque dicit nobis Chriſtus, ut docti à Chriſto Domino orare, in Spiritu Sancto oremus. Os noſtrum aperiamus, & attrahamus Spiritum, ut orantes, & Spiritum Sanctum habentes, quæ Deo ſunt placita poſtulemus; quia Deus facit, quæ illi ſunt placita poſtulare, eos, quibus vult deſiderata concedere. Spiritus vitæ erat in rotis; itaque (apud Ezechielem) cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ; quia (cùm rotæ, juxta Galfridum, ſint congregationes Fidelium) effundit Deus ſuper has congregationes Spiritum gratiæ ſalutaris, ut in veritate ſibi complaceant, & ut orantes omni tempore in Spiritu, ut docet Sanctus Paulus, ambulent, ſequentes greſſus Sanctorũ, quos illa animalia deſignabant, juxta Sanctum Gregorium Magnum: ac ut ſic idem Dominus concedat plebi ſuę piæ petitionis effectum. Sit igitur Spiritus Sanctus in rotis (in cordibus, nempe, noſtris; quia cor humanum vocatur rota nativitatis, juxta Gilbertum.) S. Jacobus in Epiſt. Canonica dicit, quòd lingua inflammat rotam nativitatis noſtrę, inflam-

 mata

mata à gehennâ. Et ſi in cordibus noſtris fuerit Spiritus Sanctus, orabimus in Spiritu Sancto, & ex abundantia cordis os loquetur. Utinam cordibus noſtris Deus Pater Spiritū Sanctum benignus infundat, cujus & ſapientia conditi ſumus, & providentia gubernamur: & quia hominis eſt præparare cor, & Domini gubernare linguam, corda noſtra (ea ſic præparantes) vitiis evacuemus, & portemus vaſa vacua non pauca ad recipiendum oleum miraculoſum, ut cor caduca deſerens cœli voluptas impleat, ac ut unctio Spiritus Sancti (qui replet ſuorum corda Fidelium, & ſui amoris in eis ignem accendit) poſſideat corda noſtra, & intelligentias noſtras in Chriſto Jeſu Domino noſtro, & ita oremus in Spiritu Sancto. Si charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis, accipientes Spiritum adoptionis filiorum, clamabimus: *Abba Pater*: & ipſe Spiritus teſtimonium reddet ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Faxit Deus, quòd ipſe inſpiret in nobis ſpiraculum vitæ, ut fiat homo in animam viventem: quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei: & ſic quando in Spiritu Sancto oraverimus, quomodò miſeretur pater filiorum, miſerebitur Dominus timentibus ſe. In Spiritu Sancto oremus, & has duas ſequentes orationes, timentes Deum, dicamus.

Oratio Officii Dominicæ decimæſextæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper & præveniat, & ſequatur: ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Si dormiamus inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri: hoc eſt, ſi nos inter duos cleros, & ſortes aſſiſtentis nobis Divinæ gratiæ (prævenientis nos, ſcilicet, & ſequentis) ſingulariter in ſpe conſtituti fuerimus, ut dormire ſecurè valeamus; in pace in idipſum dormiemus, & requieſcemus: ac tunc dabuntur nobis pennæ ſicut columbæ, ad volandum, & requieſcendum; atque etiam tunc erit Eccleſia verè columba in foraminibus petræ, requieſcens in quinque vulneribus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia petra myſtica eſt Chriſtus, ut loquitur Sanctus Paulus: cùmque pennæ, juxta Sanctum Gregorium Magnum, pertineant ad contemplationem; pennæ Eccleſiæ, & filiorum ejus (qui nos ſumus) per contemplationis requiem erunt pennæ columbæ; & erunt deargentatæ, quia erunt obſervantia præceptorum Dei ad volandum inſtructæ, & elevatæ; eloquia ſiquidem Domini ſunt eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplùm: & eſt lex Domini immaculata convertens animas: præceptum Domini lucidum illuminans oculos, & judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa; quæ etiam ſunt deſiderabilia ſuper aurum: itaque poſteriora dorſi columbæ, nempe, Catholicæ Eccleſiæ (quæ eſt congregatio Fidelium ejus filiorum, recta & gubernata in cœlis à Chriſto, & in terris à Romano Pontifice ejus Vicario) erunt in pallore auri, dum nos ſequutum fuerit (quaſi unitum nobis, ut noſtra terga ornet, & à tergo ſervet nos, & cuſtodiat) aurum veræ ſapientiæ, & veræ dilectionis Divinæ; quibus etiam Deus (nos anteiens, & præveniens, ac per viam veritatis ad promiſſam Patriam ducens) illuminet oculos noſtros, ne umquam obdormiamus in morte, maximè quando fuerimus conſtituti in poſterioribus temporis noſtri, hoc eſt, in fine noſtræ temporalis vitæ. Mortis timemus mala, & vitæ ſperamus bona, dum Deo à nobis hodie dicitur; *Tua nos, quæſumus Domine*,

ne, *gratia ſemper & præveniat, & ſequatur*: ac dum ſperamus, quòd per gratiam concedet nobis Deus, quatenùs miſericordia ejus præveniat nos, & omnibus diebus vitæ noſtræ ſubſequatur nos miſericordia Domini ipſius; ut exultemus, & lætemur in miſericordia ejus: quoniam reſpexit humilitatem noſtram, ſalvavit de neceſſitatibus animam noſtram, nec concluſit nos in manibus inimici, ſtatuit in loco ſpatioſo pedes noſtros. Miſerebitur noſtri, quoniam tribulamur: quoniam defecit in dolore vita noſtra, & anni noſtri in gemitibus. Gratia Dei nos præveniens, & ſequens, oramus, ut bonis operibus præſtet jugiter eſſe intentos. Qui in natura noſtra vitiata tribulationem, & pericula patimur (quia cuncta cogitatio humani cordis intenta eſt ad malum omni tempore;) quærimus, ut bonis operibus intendamus, ut ſic per Divinam gratiam nos prævenientem, & ſequentem; ac bonis operibus jugiter eſſe nos intentos, præſtantem, proſperè procedamus, & regnemus; nam beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.

ORATIO SECRETA.

MUnda nos, quæſumus Domine, Sacrificii præſentis effectu: & perfice miſeratus in nobis, ut ejus mereamur eſſe participes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

IMmaculata Altaris hoſtia valet noſtra mundare delicta. Quos accedentes ad ſacrificandum, ſeu ad communicandum, vel etiam ad Miſſam devotè audiendum, invenerit per Confeſſionem Sacramentalem, aut (dum eſt neceſſitas celebrandi, vel communicandi maxima, & urgentiſſima, & aliàs Confeſſoris non eſt copia) ſaltem per perfectam contritionem cum Sacramenti Pœnitentiæ accipiendi voto, hoſtia Altaris invenerit à gravi peccato mundos; Miſſæ Sacrificium, vel Sacra Communio efficiet à culpis levibus purificatos; quia ejus effectus eſt venialia peccata, utpote piacula parva, delere, ac remittere, & gratiæ augmentum per virtutem Sacræ Euchariſtiæ tribuere. In hoc ſenſu à Domino petimus, ut nos ſacrificii præſentis effectu mundet, & rogamus, quatenùs hoc beneficium nobis concedere velit. O effectus verè mirabilis talia bona nobis conferens! O magna profectò Dei miſericordia, quæ noſtram perfectam purificationem, & mundationem intendit, quando hoc Divinum Miſſæ Sacrificium, nobis providens, condidit, ſive inſtituit. Laudetur Dei miſericors potentia, & potens Dei ipſius miſericordia; ſiquidem ipſe Dominus Sacrificium, & Sacramentum tale in lege Gratiæ nobis conceſſit, quod, dum eſt inſtitutum ad Dei honorem, prodeſt etiam ad noſtram utilitatem, ac redundat plurimùm ad noſtram conſolationem. Si lucrati fuerimus mundari præſentis Sacrificii effectu, poterimus, & debebimus dicere: *Benedicite gentes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis ejus: qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* Dum autem petimus præſentis Sacrificii effectu à Deo noſtro mundari, etiam ipſum Dominum oramus, quatenùs perficiat miſeratus in nobis, ut ejuſdem Sacrificii mereamur eſſe participes. Gratia Dei vocationis per Sacrum Baptiſmum ad veram fidem Romanam, fecit, nos poſſe effectus Sacrificii Miſſæ, & ejuſdem Sacrificii Miſſæ capaces eſſe; ſed novam gratiam, & novum Dei favorem requirimus, quando poſtulamus ab eodem Domino mereri eſſe participes hujus Sacrificii præſentis. Hanc ſecundam Dei miſericordiam conſecuti, ſentiemus, vel poterimus aliquando cognoſcere, bona nobis innumera ab effectu Sacrificii, & ab ejus etiam participatione manare, tum

ad

ad abſolutionem à culpis, tum etiam ad liberationem à pœnis; dummodò, ut jam eſt dictum, aliunde gratiæ felicem obtinuerimus ſtatum.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

ESurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, oriens ex alto. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

VErſio Syriaca eſt: *Eſurientes ſaturavit bonis, & divites dimiſit inaniter.* Perſica: *Eſurientes bonis ſuis ſaturavit, & divites vacuos redire fecit.* Perſica altera: *Saturos fecit eſurientes bonis, & præmiſſos fecit prædivites vacuos manu.* Æthiopica: *Implevit benedictione ſua eſurientes, & dimiſit inanes, divites.* Tigurina: *Divites ablegavit inanes.* Græca: *Famelicos ſaturavit bonis.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Eſurientes implevit bonis: Alii: Famelicos ſaturavit: Græcè, famelicos, non quomodocumque replevit, ſed cum ſatietate. Et divites dimiſit inanes: Alii: Ablegavit inaniter. Ablegare quid magìs ſonat, quàm ſimpliciter dimittere.* Beda in Gloſſa Ordinaria ſic explicat: *Eſurientes implevit, &c. Qui æterna toto ſtudio deſiderant, ſaturabuntur, cùm Chriſtus apparuerit in gloria. Sed qui terrenis gaudent, in ultimo inanes totius beatitudinis dimittuntur. In præſenti etiam videmus humiles Divina gratia impleri, ſuperbos lumine veritatis privari.* Nicolaus de Lyra: *Eſurientes implevit bonis. Quia Gentiles cum magno deſiderio, quod per eſurientem deſignatur, verbum Dei receperunt. Et divites dimiſit inanes. Id eſt, Legiſperitos divitiis Scripturarum priùs repletos, dimiſit inanes per excæcationem eorum, & falſum intellectum Scripturarum.* Menochius; *Eſurientes implevit bonis, &c. Id eſt, qui eſurientes, id eſt, pauperes, ac miſeros ditare poteſt, & locupletare, & eos, qui priùs divites erant, pauperes facere. Simile eſt illud Annæ 1. Reg. 2. 5. Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt.* Tirinus: *Eſurientes, id eſt, pauperes Judæos, implevit, id eſt, ditavit, bonis, partim ipſorummet hoſtium, verbi gratia Ægypti, Chanaanitidis, &c. partim de cœlo ſubmiſſis, verbi gratia, manna, coturnicibus, &c.* Hugo Victorinus: *Eſurientes implevit, &c. Eſurientes vocat Beata Virgo eos, qui ſe vero bono egere, cognoſcunt; divites intelligi vult eos, qui ſuperbi ſunt, & elati, & ſe præ aliis in donis gratiarum abundare exiſtimant. Ergo, ſicut humiles, modica de ſe ſentiendo, majorem gratiam merentur accipere, ita ſuperbi, & elati de ſe præſumendo, etiam ea, quæ acceperunt, amittunt.* Toletus dicit: *Eſurientes implevit, &c. Qualitatem terræ, in quam introductus eſt populus, indicat; terra enim erat fertiliſſima, lactis, ac mellis copia, & omnibus divitiis affluens, & terræ fructibus abundans. His affluentiis bonorum homines illos incolas privavit, à propriis locis ablegando. Et hoc eſt: Divites dimiſit inanes, & vacuos; populum autem Judæorum afflictum, & eſurientem, qui pauperi cibo alebatur, vixque dabatur ei tempus eum ſumendi præ nimia vexatione, & oppreſſione; quique in Ægypto, & in deſerto per quadraginta annos ducebatur, de quo dicitur Pſalm. 106. Eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit: in hoc abundantiſſimo loco collocavit. Honorem ergo, & abundantiam populo humili, & abjecto, ac pauperi contulit, eum exaltando, & bonis replendo, depoſitis potentibus, & ejectis divitibus. De hac abundantia eſt illud Deut. 8. Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque, & fontium, in cujus campis, & montibus erumpunt fluviorum abyſſi, terram frumenti, atque hordei, & vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta naſcuntur, terram olei, & mellis, ubi abſque penuria ulla comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris; cujus lapides ferrum ſunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur. Hæc*

Deus

Digitized by Google

Deus cum populo illo fideli geſſit. Et hæc eſt ſecunda pars Cantici, in qua breviſſimo, ac perfectiſſimo epilogo Beata Virgo beneficia ante adventum Chriſti collata populo deſcripſit. Maldonatus inquit: *Eſurientes implevit bonis. Id eſt, poteſt, ac ſolet implere, atque locupletare. Sicut quod ſequitur: Et divites dimiſit inanes, id eſt, ſolet dimittere, & eos, qui priùs divites fuerant, pauperes facere. Eodem enim modo hunc verſum interpretor, quo ſuperiorem, ut nullum certum notetur factum, ſed tantùm dicatur, quid Deus facere poſſit, ac ſoleat, ut dixit Anna 1. Reg. 2. 5. Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt. & Pſalm. 33. 12. Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Itaque quod Theophylactus exponit (Eſurientes) Gentiles (Divites) Judæos, & quod Divus Auguſtinus (Eſurientes) humiles, (Divites verò) ſuperbos, & quod alii (Eſurientes) qui, ut ait Chriſtus, eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, (Divites) qui ea abundant, id eſt, qui pro ſuo arbitrio corruptos ad ſe Judices flectunt, morale quidem eſt, non litterale.*

Pro: *Benedictus.*

SYriacus legit: *Ex viſceribus miſericordiæ, &c. quibus inviſet nos ſplendor.* Perſicus: *Per clementiam, & miſericordiam Dei, quibus noſtri curam agit.* Perſicus alter: *Illius, qui in ſe viſitationem fecit noſtri deſcendens ex alto.* Arabicus: *Ob clementiam miſericordiæ.* Æthiopicus: *In commiſeratione, & miſericordia Dei noſtri, qui reſpexit nos ex alto, & exortus.* Sanctus Ambroſius: *Propter viſcera.* Tigurina: *Per intimam miſericordiam.* Tertullianus lib. adverſus Judæos: *Fulgente lumine ex alto viſitavit nos.* Janſenius ex Græco: *Viſitavit nos germen ex alto.* Aliqui Recentiores ex Græco: *Viſitavit nos oriens ex ſublimitate.* Joannes de laHaye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: Alii: Ex viſceribus miſericordiæ, ob clementiam miſericordiæ, id eſt, per viſceralem, intimamque, & ex imo cordis ſinu manantem miſericordiam, benignitatem, clementiam. In quibus viſitavit nos oriens ex alto: Alii: Quibus inviſet nos ſplendor, nempe, Chriſtus, qui eſt ſplendor Patris, & à Zacharia dicitur Oriens: Ecce vir Oriens nomen ejus. Paraphraſtes Chaldæus pro Oriente vertit Meſſiam. Græcè eſt Ortus, ſeu Oriens, quod eſt hîc nomen ſubſtantivum.* Gloſſa Interlinealis ſic interpretatur: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, non hominum meritis. In quibus, per quæ viſcera viſitavit, aſſumpta carne, nos Oriens, Verbum Patris Ortum veræ lucis aperiens, ex alto.* Gloſſa moralis: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos in ſua Nativitate, ut dictum eſt: Et adhuc quotidie viſitat illuſtratione ſuæ gratiæ.* Nicolaus de Lyra: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Id eſt, per intimam, & occultam Dei miſericordiam facta ſunt hæc. Oriens ex alto, id eſt, ex ſinu Patris in mundo.* Eſtius: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto. Id eſt, per intimam, &, ut ita dicamus, viſceralem miſericordiam Dei noſtri, qua nos Oriens viſitavit ex alto. Oriens hoc loco nomen eſt, non participium. Non ergo ſic ordinandus eſt verſus: Deus ex alto Oriens viſitavit nos; ſed ita: Oriens, id eſt, ille, cujus nomen eſt Oriens, viſitavit nos ex alto. Reſpicit enim Zacharias Sacerdos ad Zachariam Prophetam inter duodecim penultimum, apud quem cap. 3. & 6. Chriſtus ſub titulo Zorobabel, vocatur Oriens.* Menochius: *Per viſcera miſericordia Dei noſtri. Jungenda hæc verba ſunt cum præcedentibus verbis: In remiſſionem peccatorum. Docet enim, Joannem non tradidiſſe populo ſcientiam, qua ipſe ſuis meritis, ſed qua Dei gratia, & miſericordia ex Dei viſceribus profecta, peccata remitterentur. In quibus viſitavit nos: Propter quæ viſcera miſericordiæ viſitavit nos, veniens, ut redimeret nos. Oriens. Nomen eſt ſubſtantivum, non autem participium, & hoc nomine Meſſias ſignificatur, qui etiam dicitur Sol juſtitiæ, Malach. 42.* Tirinus. *Oriens ſubſtantivum eſt, & nomen proprium Meſſiæ, ut alibi expoſui,*

Pro: *Nunc dimittis*.

BArradas dicit: *Lumen ad revelationem, hoc eſt, illuminationem Gentium, & gloriam populi tui Iſraelitici. Indicat, Meſſiam non propter ſolos veniſſe Judæos, ſed propter reliquos etiam populos, juxta illud Iſaiæ 49. Ecce dedi te, in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Gloriam Iſraelis Chriſtum vocat Simeon, quoniam, ſi receptus à Judæis fuiſſet, ſummam illis gloriam attuliſſet. Præterea, quia (ut ait Euthymius) gloria Judæorum eſt, quòd ſecundùm humanitatem, Chriſtus ab eis ſit progenitus, eorumque ſit cognatus. Utinam ſua bona noſſent.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

FElix profectò eſuries, quam Deus præmio jucundæ ſaturitatis afficit: pavenda quidem abundantia, quæ inanitatem anteit, & quam Dominus omnium extrema egeſtate punit. Ad hoc per viſcera miſericordiæ viſitavit nos Oriens ex alto, ut viſitans nos reficeret, & ut reficiens, bonis nos impleret, atque ſatiaret. Ad hoc etiam eſt Salvator noſter lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael, ut nos omnes, revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tamquàm à Domini Spiritu: & ut in vita æterna lux oriatur juſto, & rectis corde lætitia. Eſurientes replet bonis, qui oriens ex alto nos viſitat, & qui nobis tum, ut lumen, tum etiam, ut gloriam, ſe manifeſtat. Replet, ut abundemus: viſitat, ut perficiamur: ac eſt lumen, & gloria, ut videamus, & lætemur. Ergo repleti abundantia, laudemus ſatiantem: viſitati ad perfectionem, benedicamus viſitationem facientem: & habentes in Chriſto lumen, & gloriam, per tale lumen curemus Deum agnoſcere, ac pro tali gloria ſatagamus Dominum noſtrum in omnibus, & ſuper omnia diligere. In Sacra Euchariſtia profectò experimur Chriſtum Dominum bonis dignas animas replentem: accipientes ipſum benignè viſitantem: & quia eſt lumen, & gloria in Divino hoc Sacramento, accedentes ad ipſum meliorantem per fidem, & per amorem. Ergo dignus eſt Agnus accipere honorem, & gloriam: honorem, ut illum, quia Dominus eſt, omni obſequio, timore, & reverentia proſequamur: & gloriam, ut tanto Deo, ac Redemptori noſtro gloria accidentalis accreſcat ex eo, quòd quiſquis noſtrùm Sacram Communionem acceperit, toto corde, tota anima, & totis viribus, illum adjutus à gratia, amet. Satiat nos Dominus, & replet in Altari, quia eſt largitor clemens bonorum: per viſcera miſericordiæ ſuæ nos viſitat, quia eſt medicus miſericors ægrotantium: & quia per ſuam benignitatem eſt ipſe gloria noſtra, dum etiam eſt noſtrum lumen; in Sacra menſa proponitur, ut cum candelabri lumine coruſcante habeatur melior propoſitionis panis pro remedio omnium, qui ſumus in Tabernaculo Eccleſiæ: quique per lumen debemus credentes exercere, & augere noſtram fidem cum Dei auxilio; & ad noſtram futuram glorificationem, accipere propoſitum panem Divinum in gratia, & charitate, ſuffragante nobis ad iſta gratiæ Dei ipſius adjutorio. Hæc meditemur, dum ſequentem Orationem poſt acceptam Sacram Communionem dicimus.

Oratio poſt Communionem.

P*Urifica, quæſumus Domine, mentes noſtras benignus, & renova cæleſtibus Sacramentis: ut conſequenter & corporum præſens pariter, & futurum capiamus auxilium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

SI cum David Deo noſtro dicimus: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*, munditiam, & renovationem poterimus à Domino ſperare per Sacramenta cœleſtia

quæ

quæ, dum nos, ſi benè accipimus ipſa, ſpiritualiter cibant; etiam & purificant, & renovant: purificant quidem, à nobis relegando quamvis levem imperfectionem, & renovant nos per ſpiritum rectum, dum à nobis vetuſtatem venialium noxarum efficaciter excludunt. Simus ergo prudentes ſicut ſerpentes, & in Dei via renovetur ut aquilæ juventus noſtra: ac ſicut ſerpens purificatur, in arcta petra antiquam maculatam tunicam exuens; & aquila renovatur, vetuſtas pennas deſerens, atque alias novas aſſumens; ita & nos faciamus, imitantes viam colubri ſupra petram, dum eſt jam mundatus à ſordida pelle, & aſſumamus pennas ut aquilæ: ac dum cœleſtibus Sacramentis utimur, in foraminibus petræ ſimplices ſicut columbæ, commoremur, hoc eſt, in piagis Chriſti detineamur, haurientes aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, qui eſt lapis angularis; & exuentes veterem hominem, & induentes novum, nos, qui pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati, redempti ſumus de vana noſtra converſatione; nolimus conformari huic ſæculo; ſed reformemur in ſpiritu mentis noſtræ; ac, cùm verum ſit, quòd per pennas in altum avium corpora ſublevantur; poſt Communionem per contemplationem, qua ſuper noſmetipſos tollimur, quaſi in aera levemur, facti digni illa renovatione, qua Deus in Euchariſtia emittens Spiritū ſuum, ut creemur, & recreemur, renovat faciem terræ. Si Deus noſter noſtris precibus annuens, concedere nobis fuerit dignatus, ut benignus noſtras mentes purificet, ac renovet Sacramentis cœleſtibus, tunc conſequenter capiemus non ſolùm felicitatem noſtrarum animarum, verumetiàm corporum auxilium & præſens pariter, & futurum. Præſens profectò auxilium corporum accipiemus, quia per cœleſtia Sacramenta animas purificantia, & renovantia, corpora noſtra evadent in hoc ſæculo multa temporalia pericula: & futurum pariter capiemus auxilium corporum, quia in futura æternitate corpora noſtra hìc per Sacramenta cœleſtia refecta, & immortalitatis alimoniam in Altari conſecuta, ſi uſque in finem perſeveraverimus in gratia, gaudebunt, in animarum noſtrarum ſocietate cum incolis Empyrei poſt reſurrectionem, immortalitate glorioſa. O felix corporum præſens auxilium à Sacra Euchariſtia mentes purificante, & renovante procedens! ſed ò felicius auxilium corporum ipſorum pro futura eis veniens æternitate à Sanctiſſimi Sacramenti Altaris magna, & efficaci ad mentes noſtras renovandas, ſicut etiam purificandas, virtute! Carnem igitur noſtram non deſpiciamus: itaque taliter vivamus, & adeò dignè Sacro Altari appropiemus, ut inde conſequenter carnis noſtræ, vel corporum noſtrorum præſens pariter, & futurum capere poſſimus auxilium. Carnem ſuam nemo umquam odio habuit: nè ergo malè odiamus carnem, & corpora noſtra; quod quidem faciemus, ſi rem adeò animabus conjunctam privaverimus præſenti, & futuro auxilio per indiſpoſitionem noſtram, dum accedimus ad Sacram Altaris menſam.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM

Pro Dominica decimaſeptima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimaſeptimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Nos verò in dilectione Dei conſervemus, expectantes clementiam.* Aliqui: *Invicem in dilectione.* Alter Syriacus: *Animam noſtram verò in dilectione Dei cuſtodiamus.* Arabicus: *Et ſervate voſmetipſos, vel animas veſtras in charitate Dei.* Nicolaus de Lyra ſic explicat: *Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate. Opera charitatis continuando. Nam iſta dilectio non ſubſtrabitur ex parte Dei, niſi primò deficiat ex parte hominis, & ſic in ejus poteſtate eſt hanc dilectionem conſervare.* Eſtius: *Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate. Ex Græco verti poteſt: Vos invicem. Utraque verſio ſenſum habet accommodatum. Nam & nos ipſos, & alii alios, in Dei dilectione ſervare debemus, monitis, doctrinis, & exemplis. Dubium tamen, utrùm intelligat dilectionem Dei: num eam, qua nos Deum diligimus, an qua nos diligit Deus. Sanè poteſt utralibet intelligi, quippe altera ex altera neceſſariò conſequitur. Utrumque ſenſum includit hæc expoſitio: Conſervate vos ipſos, ſive vos invicem, in amicitia, & gratia Dei. Sic & alibi interdùm ambigua eſt apud Interpretes acceptio charitatis Dei, ut Roman. 5. verſ. 5. & cap. 8. verſ. 35. & ultimo. Item 2. Theſſalonic. 3. verſu 5. Ex hac Scriptura, & aliis ſimilibus efficaciter oſtendi adverſus hujus ævi ſectarios, liberum hominis arbitrium, vix opus, ut admoneam. Eſt enim hoc omnibus admonitionibus, exhortationibus, & correptionibus commune.* Tirinus: *In dilectione Dei. Et propter Deum etiam proximi. In his exercendis ſervate voſmetipſos.* Lorinus ſic loquitur: *Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate. Pro dilectione Græca vox eſt, virtutis habitum ſignificans potiùs, quàm actum: cujus actus nomen eſt dilectio. Quæ duo Bernardus diſtinguit, ut ſorores duas: cùm tamen magis conveniat charitati, ut habitus eſt, ratio matris reſpectu dilectionis, quæ actionem, & effectum valet. Synonomè paſſim accipiuntur in Scripturis charitas, & dilectio. Inſinuatur, orationem in Spiritu Sancto cum dilectione Dei eſſe, neque exaudiri, niſi quis Deum diligat, & viciſſim diligatur à Deo, eique ſit gratus: & niſi proximum diligat, cùm Deus manus habentis ſanguine plenas non exaudiat orationem, ac munus ante altare relinqui præcipiat, ut reconcilietur priùs, qui offerre vult, fratri aliquid habenti contra ſe; & fiduciam habeat accipiendi quidquid petierit, quem cor non reprehendit, & qui Dei mandata cuſtodit, quæque ſunt placita coram eo facit. Dilectionem Dei commendat (Sanctus Judas) imprimis retinendam, & conſervandam, veluti virtutum omnium Reginam, & ſine qua fides per ſe, ut nudum ædificii ſpiritualis fundamentum, ſuper quo non ædificatur, manet: & quam oratione ſpirituali, hoc eſt, quæ ex eademmet charitate prodeat, & ſeriò, ſedulòque ferventer fiat, conſervare conari oportet: ſimul tamen hortando, ut ſemetipſos, alteri in alteros, ſeu alterutrum, invicemque, ſervent in illa Dei dilectione, indicat, ut propter dilectum Deum contendant alere, tueri, augere mutuam charitatem; idque maximè flagitent orantes in Spiritu Sancto, prout dictum eſt.*

Sua-

Suadent hoc ſequentes verſus, quibus continetur exhortatio ad procurandam aliorum ſalutem, qua in cura potiſſimùm conſiſtit proximi charitas, & quantò quis Dei flagret amore, declaratur. Sollicitos illos vult cum Paulo, ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Optat prætereà cum eodem Paulo, ut ſuper omnia charitatem habeant, quod eſt vinculum perfectionis, id eſt, perfectum, & maximè ſuave. Petrus hortatur, ut ante omnia mutuam in nobiſmetipſis charitatem continuam habeamus. Nullus de charitate dicendi finis eſſet, quæ non excidit, nec fine ullo clauditur. Si non vacat, ait Auguſtinus, omnes Scripturarum paginas revolvere, tene charitatem, & in ea invenies omnem ſcientiam, dicente Apoſtolo: Plenitudo legis eſt dilectio: finis præcepti eſt charitas de corde puro; & ſicut radix omnium malorum eſt cupiditas, ita & radix omnium bonorum eſt charitas. Servare porrò noſmetipſos cùm jubemur, exigitur cooperationis noſtrę ad perſeverandum neceſſitas, quamvis perſeverantiæ donum ſit peculiare. Sanctus Auguſtinus ait: Caſtificas te (ſeu ſanctificas: adde: Servas temetipſum in dilectione Dei) non de te; ſed de illo, qui venit, ut habitet in te. Tamen, quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum eſt, ut dicas, ſicut in Pſalmo: Adjutor meus eſto, nè derelinquas me. Nam ſi nihil agis, quomodò ille adjuvat? Cornelius hæc habet *Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate. Syrus: Animam noſtram verò in dilectione cuſtodiamus. Jungit dilectionem, ſive charitatem orationi, tum, quia oratio per Spiritum Sanctum impetrat charitatem, juxta illud: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Roman. 5. 5. tum, quia, ut Deus nos diligat, & orantibus bona concedat, viciſſim vult à nobis diligi; tum, quia fabricæ virtutum, puta fidei, ſpei, & orationis, finis, fructus, culmen, & perfectio eſt charitas, juxta illud: Plenitudo legis eſt dilectio. Roman. 13. v. 10. &: Finis præcepti eſt charitas de corde puro. 1. ad Timoth. 1. v. 5. eſt enim charitas Regina, imò anima virtutum omnium. Porrò dilectio hæc Dei includit dilectionem proximi. Propter Deum enim diligendus eſt proximus. Sic enim jubet Deus, Deique charitas. Schiſmati enim Gnoſticorum opponit (Sanctus Judas) charitatem fidelium, ut ea uniti in unam Eccleſiæ fabricam conſpirent, & coaleſcant, juxta illud Sancti Pauli: Sollicit ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Ephes. 4. 3. Nam, ut ait Sanctus Auguſtinus tract. 2. in Joannem: Livor ſeparat, charitas jungit. Idem Epiſt. 501. ad Bonifacium: Eccleſia Catholica ſola eſt Corpus Chriſti: cujus ille caput eſt, Salvator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus, quia non eſt particeps Divinæ charitatis, qui hoſtis eſt unitatis. Eam ergo habeat, ut coaleſcat arbori vitæ.*

Reflexiò moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

ILle Deus homo Sanctiſſimus Conditor noſter, & Redemptor Jeſus-Chriſtus, qui dixit: *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, hoc nobis præcipiens, voluit, quòd noſmetipſos ſervemus in dilectione. Apud Sacrum Eccleſiaſtici Textum ſic invenimus ſcriptum: *Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam hominis. Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi: non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium*. Ex his Eccleſiaſtici verbis, ſicut & Sancti Apoſtoli Judæ Thaddæi exhortatione, poſſumus diſcere noſmetipſos in dilectione ſervare. Naturaliter noſtram conſervationem appetimus: ſervare noſmetipſos ſatagimus, & curamus. Quarè ergo non diligimus, ut nos in ordine ſupernaturali ſervemus, & conſervemus noſmetipſos, qui, niſi in dilectione, ſervari neutiquam poſſumus? Transferemur de morte ad vitam, ſi dilexerimus, juxta illud Sancti Joannis Euangeliſtæ: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*. Ergo, ut vivamus, amemus; & ut ſervemus, viventes, noſmetipſos; Deum, & proximos diligamus. Noſmetipſos in dilectione ſervemus; nam qui

Deum non diligit, vel proximum ſuum odit, ſe deſtruit, & peſſundat; qui diligit Deum propter Deum ipſum, & proximum etiam propter Deum, ſe in dilectione ſervat. Dilectio Dei cuſtodia legum eſt: ac etiam amor eſt cuſtodia Divinitatem amantis, & legem Dei implentis: nam quoniam plenitudo legis eſt dilectio, qui plenè obſervat legem diligendo, ab eadem dilectione, qua legem implet, cuſtoditur, & obtegitur; & ſic, qui amat, ut legi obtemperet, & ipſi à Deo præcepta faciat; ille eſt qui verè ſemetipſum in dilectione ſervat. Non maneat dilectio in ſolis nobis (quod accidet, ſi noſmetipſos amandi inordinatè memores, dilectionis Dei, & proximi obliti fuerimus:) prodeat ex nobis ardor charitatis, nos circumdans, ut non ſolùm in corde Deum totis viribus in omnibus, & ſuper omnia amemus, amantes ordinatè noſmetipſos; ſed etiam exteriùs, ut demus bonum exemplum, opera charitatis Dei, & proximi in legis adimpletione oſtendamus: ac ſic charitas è nobis progrediens, & nos circumdans, ac cingens, nos verè ſervabit, & conſervabit in ſe ipſa incluſos; erit nobis umbraculum ab æſtu, & in abſconſionem à turbine, & à pluvia; & ut ſcuto bonæ voluntatis ſuæ Deus coronabit nos: atque hoc ſcuto circumdabit nos veritas Dei, ut non timeamus à timore nocturno: à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dœmonio meridiano. Cùm igitur hæc ita ſint, diligamus, ut noſmetipſos in dilectione ſervemus. *Non dicitur nobis* (ait Sanctus Hieronymus:) *Ite ad Orientem, & quærite charitatem: navigate ad Occidentem, & invenietis dilectionem. Intus in corde noſtro eſt, ubi redire jubemur: non ergo in longinquis regionibus invenitur, quod à nobis petitur.* Ita noſmetipſos in dilectione ſervemus, ut per Apoſtolum ſuum Judam nobis præcipit noſter Deus, & Dominus: & ut obtineamus ab eodem Conditore noſtro dilectionem, in qua ſervemus noſmetipſos, duas ſequentes Orationes cum devotione dicamus.

Oratio Officii Dominicę decimęſeptimę poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

D*A, quæſumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia: & te ſolum Deum pura mente ſectari. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

I*Nvidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius*, ait liber Sapientiæ. Nam quòd corruerit proditor angelus, conceſſis meritò pulſus honoribus, ardens invidia, pellere nititur, quos cœlo Deus advocat. Utinam Deus noſter nobis adſit ad cuſtodiam, ut à contagio criminum nos protegat: & à nobis draconis æmuli verſutias exterminet, nè rete fraudulentiæ incauta nectat pectora: & metum repellat hoſtium noſtris procul de finibus, pacem procuret civium, fugetque peſtilentiam. Flagitemus à Deo (qui eſt omnium medela vulnerum) quòd fraude quidquid dœmonum in noctibus deliquimus, abſtergat illud cœlitùs: confirmet actus ſtrenuos, dentes retundat invidi, caſus ſecundet aſperos, agenda rectè dirigat Dei poteſtas gloriæ, nè corpus adſtet ſordidum, nec torpor inſtet cordium, nec criminum contagio tepeſcat ardor ſpiritus. Ob hoc Redemptor noſter repleat nos ſuo lumine, per quod dierum circulis, nullis ruamus actibus. Mentem gubernet, & regat, ſit pura nobis caſtitas: Fides calore ferveat, fraudis venena neſciat. Si hæc beneficia (Sacris hymnis Eccleſiaſticis expreſſa) in nos Dominus Deus noſter dignatus fuerit conferre, conſequenter dabit populo ſuo diabolica vitare contagia, & eumdem Dominum, & ſolum Deum pura mente ſectari. Petimus igitur à Deo, quòd det populo ſuo diabolica vitare contagia, quia eſt merum, & gratuitum donum gratiæ Divinæ illud, per quod nos poſſumus diabolica contagia vitare. Non ſufficiunt naturæ

tæ vires ad diabolica vitanda contagia, quia peſſimus Goliath diabolus eſt tentator, & bellator eſt ab adoleſcentia ſua. Ab initio diabolus peccat, & à tempore primorum noſtrorum parentum gentes ad peccandum provocat. Ea eſt malitia diaboli, ut diabolus ſtet à dextris hominis, quia non ſolùm tentat nos à ſiniſtris, nos inclinans ad mala, verumetiam à dextris, ut facientes bonum opus, vel inani gloria ob bonam operationem, fructum ejus evacuemus, vel etiam opus ipſum bonum ſiniſtra cum intentione faciamus: nam ſcit fraudulentus hoſtis, quòd ſi oculus noſter fuerit nequam, totum corpus noſtrum tenebroſum erit; cùm deficiente bonæ intentionis oculo, deficiat quoque corporis boni operis rectitudo: nec poſſit eſſe coram Deo lucidum illud opus bonum, quod noſcitur mala intentione perpetratum. Crudelis eſt piſcibus ille, qui eis panem porrigit, ut ipſos diſcerpat, & devoret. Quomodò placebit Deo illa eleemoſyna, quæ aſſumitur, ut medium ad deſtruendam puellæ, vel viduæ pauperis auro pretioſiorem pudicitiam, & ad illarum animas in barathrum infernale detrudendas. Hæc, & ſimilia ſunt diabolica contagia, ad quæ vitanda indigemus gratiæ Divinæ aſſiſtentia. Si Divina adjuti gratia, diabolica contagia vitaverimus, Dominum noſtrum, qui ſolus Deus eſt, pura mente ſectabimur. Ergo, ſi in toto corde noſtro revertimur ad Dominum, auferamus deos alienos de medio noſtri, Baalim, & Aſtaroth: & præparemus corda noſtra Domino, & ſerviamus ei ſoli; & eruet nos de manu Philiſthiim, dans nobis victoriam temporalem, & æternam.

ORATIO SECRETA.

Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur: ut hæc ſancta, quæ gerimus, & à præteritis nos delictis exuant, & futuris. Per Dominum noſtrum Jeſum Christum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Quid vis rurſus ingerere quod tibi noxium fuit? aiebat Sanctus Hieronymus. *Nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata*, dicit Sanctus Auguſtinus. Quid nobis proderit exui à peccatis præteritis, ſi non caverimus à futuris? Proptereà hodie Majeſtatem Dei noſtri ſuppliciter deprecamur, ut ſancta myſteria, quæ in Altari gerimus, & à præteritis nos delictis exuant, & futuris. Sancta ſunt profectò, quæ gerimus: ſacra, & Divina ea, quæ in Sancto Altari tractamus. Sancta igitur gerentes, ſimus quotidie veræ ſanctitatis avidiores. *Quantò avidior appetentia, tantò eſca jucundior*, ait Sanctus Ambroſius: & proptereà eò dulciùs ſanctificationem deguſtabimus, quò majori fame ſanctitatem appetierimus. Appetamus ardenter ſanctitatem, volentes nos à delictis præteritis, & futuris exui per Sancta, quæ gerimus in Altari. Sancta Myſteria delictis, tum præteritis, tum futuris contrariantur; quia delicta, & peccata veræ ſemper ſanctitati opponuntur. Exuant nos igitur Sancta Myſteria ab omnibus his, quæ illis repugnant; à peccatis, ſcilicet, præteritis (eorum nobis obtinendo veniam) & à delictis futuris (ad ea vitanda, tribuendo perſeverantiam in bono.) Curent Sancta Myſteria ſuo ſpirituali medicamine noſtra delicta præterita: & medicentur etiam nobis per præſervationem contra futura peccata. Sortiantur Myſteria Sancta effectum ſuum contra delicta præterita, ut iſta à nobis abeant: ſortiantur quoque illum contra futura, nè hæc umquàm ad nos veniant. Præterita delicta à nobis Sancta Myſteria relegent; & eadem Sancta non ſinant, quòd futura delicta nobis aliquando appropinquent. Sic erimus à peccatis, & delictis (virtute Sanctorum Myſteriorum, quæ gerimus) liberi, & verè exuti: ab antiquis, nempe, ſeu præteritis, quia à nobis ſunt dilapſa; & à futuris, quia numquàm erunt ad noſtrum nocumentum ventura, ſive acceſſura.

Te-

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ESurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

SAnctus Thomas in Catena ait: *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Gloſſa: Quia humana proſperitas præcipuè in honoribus potentium, & in abundantia divitiarum conſiſtere videtur, poſt dejectionem potentium, & exaltationem humilium, de divitum exinanitione, & pauperum repletione mentionem facit, dicens: Eſurientes, &c. Baſilius ſuper Pſalm. Diſponit quidem nos præſens verbum etiam quoad ſenſibilia, edocens rerum mundanarum incertitudinem. Caduca ſiquidem ſunt hæc ſicut nebula, quæ ab impetu ventorum hinc inde diffunditur. Intellectualiter autem ſumendo, eſuriebat genus humanum, exceptis Judæis, hos namque ditaverat legis traditio, & ſanctorum dogmata Prophetarum. Quia verò non humiliter hæſerunt Verbo humanato, dimiſſi ſunt inanes, nihil deferentes, non fidem, non ſcientiam, & ſpe bonorum privati ſunt, & à terrena Jeruſalem, & à vita futura excluſi. Quos verò de Gentibus fames, & ſitis contriverat, cùm hæſiſſent Domino, repleti ſunt ſpiritualibus bonis. Gloſſa: Qui etenim æterna toto ſtudio quaſi eſurientes deſiderant, ſaturabuntur, cùm Chriſtus apparuerit in gloria; ſed qui terrenis gaudent, in fine, totius beatitudinis inanes dimittentur.* Sylveira dicit: *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Epiſcopus Chriſtopolitanos per divites Angelos ſubintelligit, qui è cælo ceciderunt. Per Eſurientes Juſtos, qui ad eorum ſedes ſublevati ſunt. Toletus per Eſurientes intelligit Judæos, dum per deſertum ambulabant, ut ait Regius Vates Pſalm. 106. n. 5. Eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit. Per divites verò idolatras terræ pinguedine fruentes, à qua ſunt expulſi. Theophylactus per Eſurientes accipit Gentiles, Divinæ legis, ac Scripturarum fame tabeſcentes, quos tamen Dominus replevit bonis. Et per divites Judæos intelligit, Divina illuſtratione valdè locupletes, quos tamen Dominus dimiſit vacuos. Dionyſius Carthuſianus, Titus Boſtrenſis, Hugo, per Eſurientes intelligunt Juſtos qui ſemper eſuriunt repleri ſpirituali dulcedine, ac Divinis bonis: imò per Eſurientes ſunt aliqui, qui intelligunt juſtos, dum norunt ſpiritualia bona in Eucbariſtia incluſa eſurire. Utraque expoſitio probabilis: ſed unde famelici tanta pinguedine honorum replebuntur? Divus Gregorius Thaumaturgus ſerm. 2. de Annuntiat. Humiles, inquit, qui ex Gentium populis juſtitiam exercebant, exaltati ſunt, & Divinæ cognitionis famem, qua detinebantur, oſtendentes, Divinum verbum, ſicut Chananæa micas, deprecabantur, & precabantur, & propterea Divinorum myſteriorum repleti ſunt divitiis. Quamvis Gentes maxima fame laborarent, quia tamen ex humilitate, veluti mulier Chananæa, Matthæi 15. n. 27. Divinæ cognitionis micas appetebant, ideò ex Dei præſentia in Incarnatione, magna pinguedine cæleſtium donorum imbutæ, ac repletæ ſunt. Per divites verò ſuperbos intelligunt, qui, cùm ſe exiſtiment locupletatos his bonis terrenis, neſciunt, ac non poſſunt deſiderare, & eſurire cæleſtia bona, & ideò repleri nequeunt. Ita ait Divus Auguſtinus in expoſitione hujus Cantici, intelligendo per Eſurientes humiles, per divites verò ſuperbos, & in Pſalm. 21. ita inquit: Divites non ſaturabuntur, quia non eſurient. Divus Paulinus Epiſt. 10. ad Severum, intelligit per Eſurientes, pauperes voluntarios, qui ſponte relinquunt bona temporalia; per divites verò, qui rebus temporalibus abundant. Et hæc mihi videtur probabilior expoſitio. Maldonatus verò per Eſurientes intelligit quoſcumque pauperes. Sed Beatiſſima Virgo loquebatur tantùm in ordine ſpirituali. Replevit bonis. Non dicitur, ait Hugo, quibus, ut intelligatur, omnibus gratiæ, & gloriæ, ac ſpiritualis intel-*

Digitized by Google

telligentiæ. Et divites ablegavit inanes, quos vacuos dimittebat, à ſe exules, atque diſtantes expulſit. Hucuſque Sylveira. Barradas inquit: *Eſurientes implevit, &c. Hoc eſt, eſurientes homines, ac omnium ſpiritualium bonorum egentes, bonis omnibus ſaturavit: dæmones verò, qui in ſummis divitiis conditi ſunt, inanes dimiſit. Eſurientes item Ethnicos, qui vero pane, id eſt, Dei verbo, cognitione, & gratia carebant, bonis implevit, id eſt, pane è cœlo deſcendente ſatiavit; Judæos, qui doctrina, lege, Prophetis divites erant, omnibus bonis nudatos domo ejecit. Poſſunt etiam hæc latiùs ad ſuperbos, ut Nabuchodonoſorem, Amanum, & humiles Mardochæum, & Danielem, ſimileſque referri: illos Deus de thronis depoſuit, hos exaltavit. Similis locus extat Eccleſiaſtici* 10. *Sedes, inquit, ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus. Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu, &c. Eumdem in modum Anna* 1. *Reg.* 2. *Dominus, inquit, pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat. Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem: ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt, &c.* Vincentius Regius ſic loquitur: *Eſurientes implevit, &c. Eſurientes dicuntur, ſecundùm quoſdam, qui juſtitiam eſuriunt. Sed hoc morale eſt, ait Maldonatus. Alii pauperes intelligunt, & non malè; divites verò, nempe, in oculis ſuis, ſuperbos vocant; ſed hoc modo erit repetitio. Quare melius eſt intelligere hic per divites confidentes in divitiis, & per eſurientes, pauperes ipſos: quod cecinit Anna* 1. *Reg.* 2. *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat; item: Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt. Dimiſit inanes. Quaſi dicat: Privavit divitiis, ſeu bonis, quibus gloriabantur. Hæc, ut & ſuperiora, ad omnes tam ſuperbos, quàm divites, extendi poſſunt, quamvis populum Hebræum præſertim reſpiciant, cui Chananæorum terram lacte, & melle manantem tradidit. Chananæorum porrò natio divitiis potens, & ſuperba erat; populus verò Hebræus Ægyptiis ſerviens eſuriem tolerabat. Poſſumus & per eſurientes intelligere, non modo cibo indigentes, ſed quovis humano præſidio deſtitutos, quos bonis implet Deus, & cœleſti gratia, nec diu egere ſinit. Pſalm.* 36. *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem. Divites autem contrà erunt, non modò fortunis locupletes, ſed qui auctoritate, & potentia valent apud omnes. Et eſt optima expoſitio.* Cornelius hæc habet: *Eſurientes implevit bonis, &c. Eſurientes* (*Græcè: Famelicos*) *implevit* (*Syrus: Saturavit*) *bonis, & divites dimiſit inanes. Sic eſurientes* (*qui erant ad tricies centena hominum millia*) *manna de cœlo pluente aluit in deſerto per quadraginta annos. Sic eoſdem induxit in terram promiſſam lacte, & melle manantem, expulſis Chananæis, & fame tabeſcentibus. Sic Eliam eſurientem Deus pavit per Angelum, Danielem in lacu leonum per Abacuc, Paulum primum eremitam per corvum. Sic & Beatam Virginem eſurientem, & ſitientem juſtitiam pavit Verbo Incarnato, ac eodem fideles omnes paſcit in Euchariſtia, magiſque paſcet in cœlo. Hoc enim hic intendit ſignificare Spiritus Sanctus, & hoc ad præſens Incarnationis negotium pertinet. Alludit ad illud Annæ* 1. *Reg.* 2. 5. *Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt, & ad illud Davidis: Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Pſalm.* 33. 11. *Per Eſurientes ergo intelliguntur pauperes; his enim opponit divites.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Pro: *Benedictus*.

SAnctus Thomas in Catena ait: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, &c. Theophylactus: Quia Deus peccata nobis dimiſit, non propter opera noſtra, ſed propter miſericordiam ſuam, ideò convenienter addit: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Chryſoſtomus: Quam quidem miſericordiam ipſimet inquirentes invenimus, ſed deſuper nobis Deus aperuit: unde ſequitur: In quibus, ſcilicet, miſericordiæ operibus, viſitavit nos, aſſumpta carne, Oriens ex alto.*

Gra-

Græcus : In altis permanens , tamen in terrenis præſens , non diviſionem patiens , neque circumſcriptionem : quod intellectus noſter comprehendere non poteſt nec ulla ſerie verborum exprimere . Sylveira dicit : *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri , &c. Euthymius , Theophylactus , Janſenius connectunt antecedentia verba cum his : Præibis ad dandam ſcientiam ſalutis in remiſſionem peccatorum : quæ peccatorum remiſſio per viſcera miſericordiæ Dei ad nos venit . Et hic modus commentandi ſatis aptus eſt . Aptior mihi videtur , ſi ad omnia ſuperiora memorata referatur . Ac ſi dicat Zacharias : Cuncta , quæ dixi , per viſcera miſericordiæ Dei , id eſt , per nimiam ſui charitatem nobis obvenerunt . Et nota cum Barradas , quòd , poſtquam Zacharias fecit mentionem de filio ſuo : Et tu puer, Propheta Altiſſimi, ſtatim recurrit ad viſcera miſericordiæ Dei , quæ in hoc puero maximè effuſa ſunt . Per viſcera miſericordiæ, ſeu , ut legit Divus Ambroſius : Propter : & Græcum nomen hoc aliquando ſignificat : Viſcera miſericordiæ , id eſt , ut ait Theophylactus, non propter opera noſtra, ſed propter nimiam , intimam , ac infinitam miſericordiam ſuam . Dei noſtri . Sub nomine Dei, Patrem Titus Boſtrenſis , Filium Hugo interpretatur . Et hic ſecundus aptior ad ſequentia . Viſitavit nos , factus homo, tripliciter, ut ait Divus Bonaventura , conſolando homines, illuminando, ac docendo intellectum : illuminare his : tertiò , dirigendo, ac rectificando affectum : ad dirigendos pedes noſtros . Oriens ex alto . Janſenius legit : Germen ex alto , quod propriè de Meſſia dicebatur : & idem verbum Græcum eſt hîc , & Iſai. 4. n. 2. In illa die erit germen Domini. Hieremiæ 33. n. 15. In tempore illo germinare faciam David germen juſtum . Germinare eſt, ex terra naſci . Pſalm. 84. n. 12. Veritas de terra orta eſt . Ex Græco , id eſt , germinavit . Ita ex Janſenio . Quæ expoſitio , ſi vera eſt , germen oriens ex alto , cùm propriè dicatur germen ex terra prodire , eſt Chriſtus Dominus natus ex Beatiſſima Virgine , quæ eſt mons valdè ſublimis , & altus in ſanctitate , ut explicat Divus Bernardus ſerm. de Beatiſſima Virgine : Fundamenta ejus in montibus ſanctis . Tamen verè , & propriè legendum eſt , non : Germen , ſed : Oriens; nam nomen Græcum hîc poſitum, verè , & propriè ſignificat locum ſiderum , unde Sol oritur , ut communiter notant Recentiores hîc : & ſolùm per quamdam ſimilitudinem poteſt traduci ad herbas , & arbores . Et hæc metaphora Orientis Solis cohæret cum conſequentibus : Illuminare his , qui in tenebris ſedent . Dicitur Chriſtus Dominus Sol Oriens , quia , ſicut hic materialis paulatim conſurgit , & effundit radios ſuos ; ſic Chriſtus lumine ſuæ doctrinæ paulatim mundo ſe manifeſtavit. Dicitur Oriens, ſicut etiam Malach. 4. n. 2. Zachar. 3. n. 9. & 6. n. 12. Non ortus , vel oriundus , ſed Oriens; quia ſemper oritur à Patre, & ſemper eſt ortus ex alto . Quarè ait Zacharias : Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ? Hæc ſimilitudo dupliciter explicanda eſt . Primò , ut eſt communis ſententia Patrum , & Doctorum , phraſis eſt Hæbraica , quæ ſignificat magnum , & intimum commiſerationis affectum . Unde , ut Zacharias ſignificaret eximiam Dei charitatem erga nos , non dixit : Per miſericordiam Dei; ſed : Per viſcera miſericordiæ; quaſi conſiderans, vel in Æterno Parente , vel in Filio jam homine facto tenerrima membra, quæ ad noſtri commiſerationem commota ſunt . Unde nota , quòd antequam Deus fieret homo, in toto veteri Teſtamento non invenies dici viſcera miſericordiæ Dei noſtri; quia , quamvis Deus ſit valdè propenſus ad miſericordiam , aliquando ſe continebat , nè humanæ miſeriæ ſubveniret ; at ubi Deus noſtram aſſumpſit naturam , & noſtri ſimilis effectus , tenera dilectione ejus cor, & viſcera ad miſerendum commoventur . Et hic primus explicandi modus eſt veriſſimus , & valdè litteralis huic textui . Secundam explicationem horum verborum : Per viſcera miſericordiæ , nobis inculcat Abbas Cellenſis lib. de Panibus , cap. 19. Viſceribus , ait , miſericordiæ ſuæ charitatis Jeſus ab effuſione , imò à profuſione lateris ſibi non pepercit, ut te ſemel in ipſis cavernis pedum, manuum , & lateris , quaſi columbam , per hanc aperturam receptum , ad omne conſilium admitteret , gaudiis admiſceret : hæc miſericordiæ Dei viſcera , in quibus viſitavit nos , qui pinguedine , & adipe benedictionum ſuarum pavit , ſeu reparavit nos Voluit Chriſtus Dominus aperturas in ſuo*

corpo-

corpore, per quas in ſuis viſceribus nos reciperet, ut ipſa tamquam muri: Ego ero ei murus ignis in circuitu, Zachar. 2. n. 5. ab omni imminenti periculo nos liberarent. Quarè dicitur: Per viſcera miſericordiæ; non verò dilectionis? Reſpondeo, quòd miſericordia magis explicat magnitudinem indulgentiæ, ac benignitatis Dei erga nos. Miſericordia, ut docent Divus Auguſtinus lib. 9 de Civit, cap. 5. & Divus Thomas 2.2. quæſt. 30. art. 1. ſemper tendit in hominem ærumnis, ac calamitatibus affectum; amor verò non ſolùm in hunc, ſed etiam in eum, qui magno honore, & dignitate eſt inſignitus, aliquando fertur. Deinde miſericordia ex ſua natura magis excludit meritum, quia, cùm ſit ex intima compaſſione, magis conſiderat alienam miſeriam; at verò dilectio benemeritum ſæpè reſpicit: Amo, quia amor; cùm autem adventus Filii Dei fuiſſet ex nullo præcedente merito, accommodatiùs explicatur per miſericordiam, quàm per dilectionem. Hucuſque Sylveira in Expoſitione, & in duabus immediatè illam ſequentibus quæſtionibus. Toletus inquit: Per viſcera miſericordiæ, &c. Conjungenda ſunt hæc præcedenti verbo: In remiſſionem peccatorum, quæ non ex operibus, aut meritis noſtris eſt, ſed propter ardentiſſimam Dei noſtri miſericordiam. Tit. 3. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. Salus igitur noſtra, quæ eſt per remiſſionem peccatorum, à viſceribus miſericordiæ Dei procedit, non ex operibus, aut meritis noſtris: non autem per miſericordiam tantùm, ſed etiam per viſcera miſericordiæ dicit; quia Deus non tantùm nobis ſubvenire voluit, quod miſericordiæ nomen explicat, ſed etiam nobis condolere, & miſeriam noſtram in ſe ſuſcipere per carnem aſſumptam, in qua ſe exinanivit, egenus factus eſt, & vir dolorum, & infirmitatum. Hoc viſcera miſericordiæ indicant; & per hæc viſcera remiſſionem peccatorum, & ſalutem nobis dedit, qui potuit per ſolam miſericordiam ſine his viſceribus ſalvare. Illud autem perfectiſſimæ miſericordiæ opus eſt, ex nimia dilectione erga nos procedentis. Deum noſtrum appellat Zacharias, qui peculiari quadam ratione, ut ſuprà diximus, Deus dicebatur Judæorum; quia, nimirum, ipſi a Deo peculiaria quædam, & inſignia beneficia acceperant, & Deus ab eis agnoſcebatur, ac colebatur, gentibus ferè omnibus idololatriæ deditis. In quibus viſitavit nos oriens ex alto. Connectuntur hæc præcedentibus: Per viſcera miſericordiæ Dei; quæ per carnem induens, ſive quibus per carnem indutus is, qui Oriens dicitur, nempe, Chriſtus, viſitavit nos ex alto Divinitatis ſuæ. Cum viſceribus ergo miſericordiæ venit Chriſtus, quaſi Oriens, illuminaturus omnes, qui in tenebris ſedent: & qui in Divinitate miſericors eſt, miſericordiæ viſcera per humanitatem induit, & in his ad nos venit. Hic eſt ſenſus. Metaphoricè Chriſtus Oriens dicitur: ut enim Sol ab Oriente ſurgit paulatim mundum illuſtrans, ita Chriſtus Sol verus juſtitiæ quodam progreſſu ætatis, & prædicationis, ac operum ſuorum, vitæ ſpiritualis lumen ſparſit. (Oriens) autem non participium, ſed nomen eſt ſubſtantivum, quo Chriſtus appellandus prædictus erat Zachar. 6. Ecce vir, Oriens nomen ejus. Illud autem (Ex alto) verbo conjungitur. Viſitavit nos ex alto, quo Divinitas Chriſti ſignificatur; propter nos enim homines deſcendit de cælis, & incarnatus eſt. Hucuſque Toletus.

Pro: *Nunc dimittis*,

Cornelius ait: *Lumen ad revelationem, &c.* Eſt Appoſitio: quaſi diceret: Salutare tuum, id eſt, Salvatorem Chriſtum dediſti, & paraſti hoc ſine, ut ipſe ſit lumen ad revelationem, id eſt, illuminationem Gentium, quod, ſcilicet, gentes verum Deum ignorantes ejus cognitione, fidei, & cultu illuminet; idemque ipſe ſit gloria, honor, & decus Iſraelis, id eſt, populi Judaici. Vincentius Regius dicit: *Lumen ad revelationem, &c.* Tò: Lumen, & tò Gloriam, referuntur appoſitivè ad tò: Salutare. Videtur alludere ad Iſaiam cap. 40. verſ. 42. & 46. verſ. 13. & ad cap. 60. verſ. 1. & 2. Duplices porrò tenebræ ſunt, peccatorum, & ignorantiæ: utriſque laborabant gentes, cùm Judæi tantùm primis tenerentur; ideò gentibus dicit potiùs futurum eſſe lumen; verùm, quia ex Judæis propagatus erat, Judæorum gloriam vocat. Ad revelationem

gentium, id eſt, illuminationem gentium. Quatuor igitur nominibus appellat hîc Chriſtum, Mediatorem tacitè, dum ſe per illum obiturum in pace prædicit, Salvatorem omnium, Doctorem, ad illuminandas præſertim gentes; denique Gloriam Iſraelis nominat, ipſum vehementer exornans, & clarum reddens, ex cujus ipſe Meſſias ſtirpe deſcendat. Hæc hactenùs. Maldonatus inquit: *Lumen ad revelationem, &c. Quod Salutare tuum paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, per appoſitionem, id eſt, ut lumen eſſet gentibus revelandum, populo vero tuo Iſrael magnam allaturum gloriam. Videtur Simeon ad veteres Iſaiæ prophetias alludere voluiſſe. Iſai. 46. 13. Propè feci juſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. Dabo in Sion ſalutem, & Iſraeli gloriam meam. & cap. 60. 1. 2. Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hîc poſita, & ab Auctoribus explicata.

Bonis temporalibus appetunt homines repleri: & cur non ambiunt bonis gratiæ ſatiari? Infirmus viſitationem medici, qui eum ab infirmitate expediat, ardenter, & inceſſanter inclamat: & qua de cauſa homines negligentes, & ſuæ ſalvationis obliti, parvipendunt, quòd Divinus medicus Oriens ex alto nos ſpiritualiter ægrotos voluerit viſitare per viſcera ſuæ miſericordiæ immenſæ, quando benedictus Dominus Iſrael viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ? Cæci deſiderant videre lumen: cæcus Tobias ſenior dixit Sancto Raphaeli Archangelo: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* & quarè cæcum genus humanum diligens tenebras magis, quàm lucem, non deſiderat Chriſtum in nocte, ut videat lumen paratum ante faciem omnium populorum ad revelationem gentium? Dum itaque mundus in maligno poſitus eſt, dum mundus Chriſtum non cognovit, dum hoc ſæculum eſt nequam, &, dum, juxta Sanctum Hilarium, nil potuit eſſe mundo tam periculoſum, quam non recepiſſe Chriſtum; tecedamus, velut Cinæus, nè ira Dei nos involvat cum Amalec; nè, inquam, veniant ſuper nos ſupplicia Divinæ juſtitiæ, quæ poſſunt timere illi, qui appetunt repleri temporalibus (impleri, & ſatiari nolentes bonis cœleſtibus:) nec pericula, quæ minantur ſpiritualibus ægrotis viſitationem Divini Medici non, ut decet, appretiantibus: & ne experiamur verbera illa, quæ veniunt ſuper capita cæcorum diligentium tenebras peccatorum, (in quibus miſerè verſantur) magis, quàm lucem (quàm Chriſtum, inquam, qui eſt lumen paratum ad revelationem gentium ante faciem omnium populorum.) Recedamus ab Amalec, ut, cùm multi ſint vocati, ſimus ex paucis, qui ſunt electi: & adhoc obtinendum, inhiemus impleri bonis cœleſtibus, omnia arbitrantes, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciamus: ac, dum viſitat nos Deus in ſalutari ſuo, Deo, qui mandat ſalutes Jacob grati ſimus, & quæramus tangere Chriſtum in Euchariſtia impertientem ſanitates, quia virtus de illo exit, & ſanat omnes ad illum dignè accedentes: dumque tenebras, velut cæci patimur, cæcum illum, qui prope Jerico ſedebat ſecùs viam mendicans, imitemur, clamantes: *Miſerere mei*; petentes, ut videamus: & videntes lumen paratum ad revelationem gentium, ſequamur Chriſtum magnificantes Deum. Implet Dominus eſurientes: ergo eſuriamus; ut eſurientes, & ſitientes juſtitiam, ſaturemur, & ita beati ſimus. Viſitat nos Dominus Oriens ex alto: ergo humiliemur ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore viſitationis. Eſt Chriſtus lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael: ergo ſurgat, & illuminetur Jeruſalem, quia venit lumen ejus, & gloria Domini ſuper illam orta eſt. Ideò dicit cuilibet noſtrûm Sanctus Paulus: *Surge*

qui

qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Dum ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Domini in Sacramento Sancto, & dedit Dominus lætitiam corde noſtro, ſacrificemus ſacrificium juſtitiæ, & ſperemus in Domino; & hac ſpe illum invocemus, ac ſequentem orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Sanctificationibus tuis, Omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Major eſt vis vitii, quàm veneni, ajunt Sanctus Doctor Magnus Baſilius, & Sanctus Antonius Lisbonienſis, vel Paduanus. Magna quidem eſt vis veneni, quæ corpora vita privat, dum illa infeliciter intoxicat; ſed major eſt vitii vis, quæ profectò animas ſtrangulat, & eas ad æternitatem gehennalium ſuppliciorum deſtinat, dum etiam multoties carnes, & corpora noſtra deſtruit, corrumpit, occidit, atque peſſumdat. Juxta Sanctum Job, oſſa impii implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, dum juxta Davidicum dictum, qui diligit Iniquitatem, odit animam ſuam; & peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem, ut Sanctus Jacobus ait. Ecce quomodò iniqua vitii virtus, & fortitudo uſque ad mortem nocet animæ, & corpori; quando vis veneni ſolùm corpus ad portas mortis ſtatuit, & adducit, atque ad ſummum vitam corporalem demit. Itaque virulenta vitia horrenda verè apparent, quandoquidem temporaliter, & æternaliter nocent. Ergo maximum beneficium hodie à Deo depoſcitur, quando ab ipſo flagitatur, ut vitia noſtra ſuis Sanctificationibns curentur. Magna quidem eſt efficacia Dei Sanctificationum; quæ valet contra vitiorum vim, & contra ipſorum venenum. Veniant ergo Dei Sanctificationes ad nos curandos vitioſos, atque proinde magnis periculis mentis, & corporis ſubditos. Fide plena, & ſpe integra petamus proficuum effectum Dei Sanctificationum, vitia noſtra curare adeò potentium. Intendet quas fundunt preces ſui per orbem ſervuli, ille Dominus piiſſimus, qui decrevit nos poſſe ſuis Sanctificationibus curari. Curabuntur quidem à Dei Sanctificationibus noſtra vitia, ſi nos gratiæ cooperantes, contra eadem vitia fortiter arripuerimus arma. Qui à medicina abhorruerit, vel delicatè, vel ſegniter; ægritudine laborabit, ac in ea peribit, & morietur infeliciter. Veniat igitur nobis curatio vitiorum noſtrorum à Dei Sanctificationibus adeò ad nos curandos proficuis; ſed veniat nobis a Deo voluntas efficax eaſdem Sanctificationes medicinales acceptandi, & illis benè ad noſtrum bonum utendi. Curentur à Dei Sanctificationibus noſtra vitia, & ſimul per Sanctificationes eaſdem proveniant nobis æterna remedia: ut ſimus in hoc ſæculo per Dei Sacramenta curati, ac per æterna remedia ab eiſdem Sacramentis provenientia, in futura vita immortali ſimus ſalvi, atque ſecuri; quoad animam, & corpus in æternum reſtaurati.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM

Pro Dominica decimaoctava poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimæoctavæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Expectantes miſericordiam Domini Noſtri Jeſu-Chriſti in vitam æternam.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYrus legit: *Expectantes clementiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti, &c.* Arabicus: *Et non niſi ex pietate miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* Alter Syriacus: *Dum ſperamus miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* Alter Arabicus: *In vita æterna.* Nicolaus de Lyra ſic interpretatur: *Expectantes miſericordiam, &c. Et hoc in ſpe, quæ certa expectatio eſt futuræ beatitudinis, ex gratia, & meritis proveniens.* Eſtius: *Expectantes miſericordiam, &c. Spes Chriſtiana commendatur, ac præcipitur; quia nimirùm vita æterna ſic expectatur pro bonis operibus, ut tamen hoc totum, & quòd vita æterna bonis operibus retribuatur, & quòd opera bona faciamus, gratiæ, & miſericordiæ Domini noſtri Jeſu-Chriſti feratur acceptum.* Menochius: *In vitam æternam. Id eſt, quæ vos perducat ad vitam æternam.* Tirinus: *Expectantes miſericordiam, &c. Et continuò perſeverate, expectantes immenſam Dei miſericordiam, & Chriſti gratiam, quæ vos perducat in vitam æternam.* Hugo Cardinalis: *Expectantes enim ſecuritate miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hoc in vitam æternam. Quaſi diceret: Hæc eſt miſericordia, quam debetis expectare, ſcilicet, vita æterna. Sed numquid vita æterna eſt miſericordia, vel ex miſericordia? immò ex merito, ut videtur; & ſic ex juſtitia? Solutio. Vita æterna eſt miſericordia quoad radicem merendi, quæ eſt gratia: vel quoad menſuram remunerandi, quæ erit ſupra condignum, & hoc ex miſericordia; ſed quoad eſſentiam, vita æterna eſt juſtitia: vel quoad merita ipſa, vel opera facta ex conventione cum operariis ex denario diurno. Matthæi 20. b.* Lorinus ſic loquitur: *Expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Erat pernceeſſaria ſpei virtus his, quibus Judas ſcribebat; quoniam huc, illuc diſperſi graves perſecutiones, moleſtiaſque patiebantur ab infidelibus: urgebantur variis vitæ neceſſitatibus: incitabantur ad errores pravis doctrinis, conſiliiſvè; & ad vitia exemplis malis eorummet, qui prodierant ex Catholicorum Schola: horum ipſorum, & ſimilium temporali felicitate invitabantur, vel ad negandam Dei providentiam; vel alliciebantur ad rectum fidei, & vitæ deſerendum inſtitutum. Opportunè præterea proximè dictis, ut ſemetipſos in dilectione Dei ſervarent, adjecta mentio de miſericordia Domini expectanda; nè quis arroget liberi arbitrii viribus, quod habere ſequitur illum, qui ſemetipſum in dicta maxima virtute ſervat, operis tanti laudem; ſed in primis, ac per ſe adſcribat miſericordiæ, ſive gratiæ Divinæ, cujus eſt Chriſtus cauſa, tum moralis ob ſua merita: tum efficiens, inſtrumentalis quidem, ut homo; ut autem Deus, principalis, ac prima. Vulgaris, veraque diſtinctio beatitudinis in ſpe, ac viæ, à beatitudine in re, atque vitæ, videri poteſt orta ex eo, quòd Paulus ſpe gaudentes nominat, & qui Eccleſiaſtici librum compoſuit ſperantibus in Deum dixit miſericordiam venturam in oblectationem: & Salomon pronuntiat beatum, qui ſperat in Domino, atque ſalvandum, ſicut & Paulus aſſerit, nos ſpe ſalvos factos. In vitam æternam. Syriacè cum pronomine: In vitam noſtram æternam. Arabicè in ablativo; In vita æterna.*

Ser-

Servanda dilectio Dei, quæ amitti facilè poteſt, magna cura, & diligentia, ſperando auxilium Divinæ miſericordiæ, foreque aliquando, ut in dicta dilectione perficiamur, donec perducamur ad vitæ præſentis terminum, & ad æternæ conſecutionem, qui eſt ultimus finis noſter, ſpeique noſtræ primarium objectum, ſive Deus ipſe. Per vitam æternam ſolet ſignificari Beatorum vita poſt reſurrectionem; licet beatitudo eſſentialis pertinens ad animam obtineatur ante reſurrectionem. Erit igitur beata vita propter æternitatem jucundiſſima. Torrente voluptatis potati, intra Domini ſui admiſſi gaudium, ac lætitiam ſempiternam habentes ſuper capita ſua, ſine tædio erunt ſemper eſurientes, ſemper ſitientes, propter quaſi recentem ſemper guſtum Summi Boni. Negari non poteſt, in meritis juſti eſſe condignitatem cum gloria, & poſito Divino promiſſo, pactoque, reddi coronam juſtitiæ, ac mercedem. Hoc demum eſt in miſericordia, & miſerationibus coronari. Cornelius hæc habet: *Expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti (quæ vos perducat) in vitam æternam. Vel, ut vitam æternam aſſequamini. Arabicus: In vita æterna. In ea enim ſentiemus immenſam Dei miſericordiam, eaque in Dei viſione, & poſſeſſione fruemur. Exhortatur (Sanctus Judas) fideles ad conſtanter retinendam Chriſti fidem, & charitatem, excitando eos ad ſpem vitæ æternæ, quam certò aſſecuturi ſunt à miſericordi Deo, ſi in fide, & charitate perſiſtant. Hac ergo ſpe quaſi clypeo omnes perſecutiones, difficultates, tentationes ſunt retundendæ, & elidendæ. Unde Syrus vertit: Animam noſtram in dilectione Dei cuſtodiamus, dum ſperamus miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Spes enim magis nititur miſericordia Dei, quàm propriis meritis: tum, quia merita non niſi ex miſericordia, & gratia Dei habemus: tum quia meritis noſtris Deus non debet gloriam ex juſtitia, ſed gloriam eis promiſit ex miſericordia. Ita Sanctus Auguſtinus Epiſtol. 105. Unde Paulus: Gratia Dei, inquit, vita æterna, Rom. 6. verſ. 23. Deus ergo fidelibus tribulatis, & afflictis, quaſi fortiſſimum ſolatium, & fulcrum dat ſpem (imò ſe ipſum in ſpe) quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis. Hebr. 6. v. 19. Porrò vitam æternam graphicè depingit Sanctus Auguſtinus in ſuo de ea cum Matre colloquio lib. 9. Confeſſion. cap. 10. ubi inter alia ait: Venimus in mentes noſtras, & traſcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi paſcis Iſrael in æternum veritatis pabulo, & ubi vita ſapientia eſt, per quam fiunt omnia iſta, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt: & ipſa non fit, ſed ſic eſt ut fuit, & ſic erit ſemper: quin potiùs fuiſſe, & futurum eſſe non eſt in ea, ſed eſſe ſolùm, quoniam æterna eſt: nam fuiſſe, & futurum eſſe non æternum. Et, dum loquimur, & inhiamus illi, attigimus eam modicè toto ictu cordis, & ſuſpiravimus, & reliquimus ibi religatas primitias Spiritus.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

SAlvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Qui poſt ſuum primum adventum, placidus aſcendit, terribilis redibit præſcitis, in ſuo adventu ſecundo judicaturus orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate, & quemadmodùm ſol exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis; qui in Judicio etiam orietur timentibus nomen Dei ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus, & in miſericordia ſalvos faciet dextera ſua juſtos, & prædeſtinatos. Hanc miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti in vitam æternam docet nos expectare Sanctus Apoſtolus Judas Thaddæus. Deus noſter eſt Chriſtus: itaque ſperabimus in eum, quoniam ipſe liberabit nos de laqueo venantium. Expectantes expectemus hunc Dominum, & intendet nobis; & exaudiet preces noſtras, & educet nos de lacu miſeriæ, & de luto fecis: & ſtatuet ſuper petram pedes noſtros, & diriget greſſus noſtros: & immittet in os noſtrum canticum novum, carmen Deo noſtro. Videbunt multi, & timebunt: & ſperabunt in Domino. Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus: & non reſpexit in vanitates, & in-

ſanias

ſanias falſas. Complacebit Chriſto, ut eruat nos, & ad adjuvandum nos reſpiciet: & dum mendici ſumus, & pauperes, hic noſter Redemptor ſolicitus erit noſtri; & recordatus Jeſus pius, quòd ſumus cauſa ſuæ viæ, non nos perdet illa die judicii; nam ille eſt ipſe, qui quærens nos, ſedit laſſus, & redemit Crucem paſſus: ac nè ſit tantus labor caſſus, juſtus Judex ultionis donum faciet remiſſionis ante diem rationis. Expectemus igitur miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: & miſericordiam ejus expectemus, quia Dominus; quia noſter; quia Jeſus; & quia eſt Chriſtus: quia Dominus quidem, nam qui eſt Dominus, ſi ad eum clamaverimus, non ſilebit à nobis, nequando taceat à nobis, & aſſimilemur deſcendentibus in lacum: quia noſter; quoniam ſi dixerimus: *Tuus ſum ego, ſalvum me fac*, tradentes nos ipſi; ille tradet ſe nobis, & erit dilectus noſter nobis, ut nos fidefidiùs quotidie illi noſmetipſos tradamus, & ſimus illi dediti, illi conſecrati, qui dicens: *Ego diligentes me diligo*, ad redamandum provocat, ut nos diligamus eum, quoniam ipſe prior dilexit nos; ac ita ambulemus in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Expectemus quoque miſericordiam hujus Domini noſtri, quia eſt Jeſus, ſive Salvator: itaque, ut in Domino gaudeamus, & exultemus in Deo Jeſu noſtro, extendet manum cuique noſtrûm, & dicet Jeſus: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* apprehendet nos ſimul, ut ſalvos faciat dextera ſua, & exaudiat nos. Expectemus demum miſericordiam ejus, quia eſt Chriſtus, ſeu unctus: propter quod unget nos unctione miſericordiæ ſuæ ille, quia à Deo Patre unctus Spiritu Sancto, & virtute pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo: ac juxta Eccleſiaſticum, hic Divinus Medicus, & unguentarius Chriſtus à Patre (ut nos ungeret) unctus, faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus. Audiamus Sanctum Joannem Euangeliſtam: *Qui confitetur Filium, & Patrem habet. Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis. Et hæc repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam. Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis: ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo. Et nunc filioli, manete in eo: ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus*. Huc uſque S. Joannes. Et quoniam, juxta David, Chriſtus ſpecioſus forma præ filiis hominum, dilexit juſtitiam, & odit iniquitatem: propterea unxit eum Deus, Deus ſuus oleo lætitię præ conſortibus ſuis, ut etiam in quantum eſt homo, omnes Angelos, & homines in gratia, ſanctitate, & gloria ſuperet: & ita delectent eum filiæ regum in honore ſuo, aſſiſtat à dextris ejus Regina (id eſt Sancta Eccleſia) in veſtitu deaurato, circumdata varietate virtutum proveniente ab unctione Chriſti: ut ſic filiæ Tyri veniant ad eum in muneribus (hoc eſt, animæ infidelium convertantur, & munera offerant fidei, ſpei, & charitatis Chriſto Regi uncto à Patre:) & quia oleum effuſum eſt nomen ſuum, ideò adoleſcentulæ (id eſt, omnes juſtorum animæ) diligunt illum. Jam, ut ſplendor egreſſus eſt Juſtus Chriſtus: jam Salvator noſter, ut lampas, eſt accenſus: ergo nunc potiori jure propter Sion non taceamus, & propter Jeruſalem non quieſcamus (id eſt, ad gloriam ſimul Chriſti, & Eccleſiæ, laudemus Chriſtum Dominum in Sanctis ejus, laudemus eum in firmamento virtutis ejus: laudemus eum in virtutibus ejus: laudemus eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.) Expectemus miſericordiam illius, & expectemus in vitam æternam. Non in vitam æternam expectat miſericordiam Chriſti ille, qui petit ab hoc Domino bona temporalia, & deſinit poſtulare ſempiterna; expectans miſericordiam Chriſti, quæ tribuat res ſæculi, non quæ largiatur cœleſtem vitam ad æternam glorificationem animæ. Expectat verò miſericordiam Chriſti Domini in vitam æternam, ille qui veram vitam gratiæ, & gloriæ petit ab hoc Domino,

noſtro

noſtro amantiſſimo Redemptore, ut tribuatur ei longitudo dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Sic expectantes, petamus ea, quæ petimus in duabus ſequentibus orationibus.

Oratio officii Dominicæ decimæ-octavæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Dirigat corda noſtra, quæſumus Domine, tuæ miſerationis operatio: quia tibi ſine te placere non poſſumus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo qui ambulavit in directione ſua, dixit Iſaias. Ne ſimus ſicut illi, de quibus dictum eſt: *Generatio prava, & exaſperans; generatio, quæ non direxit cor ſuum: & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus: non cuſtodierunt teſtamentum Dei: & in lege ejus noluerunt ambulare: & obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit eis*. Nos quidem, ſi direxerimus ad Deum cor noſtrum, ſpiritum illius, & flatum ad nos trahemus. Ergo ſtatuamus nobis ſpeculam, ponamus nobis amaritudines: dirigamus cor noſtrum in viam rectam, in qua ambulavimus, quando poſt Baptiſmum eramus conſtituti in gratiæ ſtatu, quem, ſi graviter poſteà peccavimus, perdidiſſe miſer, ſcimus; ſed, ſi aliquando recuperaverimus per veram Confeſſionem Sacramentalem, vel per contritionem perfectam cum voto eJus, omninò neſcimus, & penitus ignoramus. Abſque Dei gratia non poſſumus cum fructu vitæ æternæ dirigere corda noſtra. Sed Deus Patrum noſtrorum, & Dominus miſericordiæ, qui fecit omnia verbo ſuo, ſapientia ſua conſtituit hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à Deo facta eſt, ut diſponat orbem terrarum in æquitate, & juſtitia, & in directione cordis judicium judicet. Ipſe Deus paravit directiones: judicium, & juſtitiam In Jacob ipſe fecit, cujus eſt ſedes Divina in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni ſui. Ab iſto ergo petimus Domino, ut dirigat corda noſtra ſuæ miſerationis operatio. Noſtra quidem corda pondere peccatorum inflectuntur, & ſpiritualiter homini aliquoties evenit illud, quod ſtulto Nabal corporaliter accidit, quando mortuum eſt cor ejus intrinſecùs, & factus eſt quaſi lapis, ac percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt. Ergo filii hominum uſquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino, qui ſalvos facit rectos corde, & cui debemus in directione cordis confiteri, in eo, quòd diceremus judicia juſtitiæ ſuæ. Si corda noſtra ob noſtram miſerabilem, & labilem conditionem ad malitiam inclinantur, Dei miſeratione diriguntur. In ſua miſeratione Deus paravit directiones, ut Domini ipſius miſericordia multipliciter dirigat corda, quæ peccatum ſua gravitate inclinat: ut miſericors Dominus dirigat corda, quæ iniquitas labefactat; & ut benignus Creator reformet dirigens, corda illa, quæ peccatores deſtruunt, malè operantes, & à debita cordis rectitudine abſcedentes. Virga directionis virga regni Dei: virga ſua, & baculus ſuus ipſa nos conſolata ſunt: quia inveniemus in directione cordium ſolatium, qui incurreramus ob cordium peſſimam inflexionem, & ad malum inclinationem (voluntariè nos non regentes) ſupplicium. Deſolatione deſolata eſt omnis terra; quia nullus eſt qui recogitet corde. Itaque qui defectu recogitationis, ac debitæ meditationis, deſolationem in noſtra cordium dejectione patimur; ſi concaluerit cor noſtrum intra nos, & in meditatione noſtra exarſerit ignis Divini amoris, virga directionis Dei erigemur, & per hanc virgam abundanter conſolabimur. Baculo etiam Dei (nos in baculo ſuo conſolantis) ſuſtentabimur, quando Deus noſtra direxerit corda per ſuam miſerationem, cordium hominum directionem efficientem. A Deo per ſuæ miſerationis operationem cordium noſtrorum directionem poſtulamus, quia Deo ſine Deo placere non poſſumus:

ſumus: nec valent noſtra dirigi corda, niſi Dei miſerantis benigna operante gratia; ſed hac Divina gratia operante, Deo cum Deo poterimus perfectiſſimè placere. Utinam excitet Deus ſuorum corda fidelium, & eorum voluntates, & ut in veritate ſuo Creatori complaceant, ipſe Creator illis perpetuum rorem ſuæ benedictionis infundat.

ORATIO SECRETA.

DEus, qui nos per hujus Sacrificii veneranda commercia, unius ſummæ Divinitatis participes efficis: præſta quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

SUnt profectò veneranda Sancti Miſſæ Sacrificii commercia. O admirabile commercium! quando Creator generis humani animatum corpus ſumpſit; ſed, ò venerandum commercium! quando Deus homo Sacram Euchariſtiam, & Sanctum Miſſæ Sacrificium inſtituit: immò, ò veneranda Sacratæ Miſſæ commercia! quia Dei ad homines in illa eſt commercium noſtram utilitatem Divino honori conjungens: & hominum ad eum eſt commercium, ſiquidem Deum venerantes offerunt Sacrificium ſimul meritorium, propitiatorium, ſatisfactorium, & impetratorium: itaque ſunt in Miſſa plura commercia veneranda; quia veneratione eſt dignum illud Sacrificii commercium, per quod merita augentes, Deum propitium reddentes, pro debitis ſatisfacientes, & beneficia impetrantes, Deum ipſum laudamus, ei ſervimus, illum honoramus, & ipſi catholicum obſequium, ac debitæ reverentiæ, & honoris ſolvimus, & exhibemus tributum. Veneremur ergo hæc commercia duo, & ob hæc duo commercia, iſtud Sacrificium Miſſæ; quod eſt Sacrificium laudis honorans Deum, & illic iter, quo oſtendit nobis Dominus Salutare ſuum. Per hujus Miſſæ Sacrificii veneranda commercia nos Deus unius Summæ Divinitatis participes efficit. Commercia quidem veneranda, quibus quaſi deificamur, quando participes unius Summæ Divinitatis à Deo ipſo efficimur. Reſtat, ut ſicut Dei cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur. Si veritatem Dei dignis moribus non aſſecuti fuerimus, quid proderit nobis, quòd eamdem veritatem cognoſcamus? Sicut igitur Dei veritatem cognoſcimus per fidem, ſic eam dignis moribus, Deo præſtante, curemus aſſequi per ſpem, & charitatem. Firmiter per fidem veritatem Dei cognoſcimus: ergo firmiter ſperando, & diligendo, aſſequamur veritatem à nobis, Deo dante, benè cognitam per fidem. Opera harum, & aliarum Chriſtianarum virtutum erunt valdè oportuna, ut aſſequamur dignis moribus eam, quam per fidem cognoſcimus, Dei noſtri veritatem. Qui per miſericordiam Dei à fide deficere nolumus, & ab illa non deficimus; non careamus dignis moribus; nè ob dignorum morum deficientiam ſinamus aſſequi veritatem Dei non ſalvos facere volentis; & ob veritatem Dei à nobis non tractatam benè, careamus (ut aliquibus poteſt contingere, & contigit certè) cognitionis veritatis Dei fructu, in perpetua æternitate.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

ESurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, oriens ex alto. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

HUgo Victorinus ait: *Eſurientes implevit bonis, &c. Eſurientes vocat eos, qui ſe vero bono indigere cognoſcunt: divites intelligi vult eos, qui ſuperbi ſunt, & elati, & ſe præ aliis in donis gratiarum abundare exiſtimant. Ergo ſicut humiles modica de ſe ſen-*

ſentiendo, majorem gratiam merentur accipere: ita ſuperbi, & elati de ſe præſumendo, etiam ea, quæ acceperunt, amittunt. Simon de Caſſia dicit: *Eſurientes implevit, &c. Nondum natus erat Chriſtus, & Mater geſtans eum prædicabat quæ ipſe prædicaturus erat. Nam factus adultus, aperiens in monte os ſuum, dixit: Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. De iſta eſurie Virgo præloquebatur, non de illa, quæ dicitur panis, & vini. Defectum eſuries portat, & pront certat cum corpore, vacuitas ejus eſt. Sed oportet etiam omninò lege naturæ vacuum impleri, natura enim ipſa vacuum abhorret. Sed terrenis vacui, cœleſtibus replebuntur, inſaturati ſuaptè perfunctoriis complebuntur æternis. Eſuries animati corporis, eſt impatiens appetitus eorum, quæ poſſunt ſecundùm naturam ſuſtentare naturam. Eſuries autem animæ rationalis, eſt devenire in verum, & optimum. Cùm verò animæ rationali fuerit addita gratia, in ampliora tendit eſuries, ut etiam impatienter appetat liberari à vitiis, inhærere virtutibus, & pœnis intentatis, & morte appetere non deſiſtat, & ſemper ſubjaceat laboribus, quouſque obtineat: poſt iſtam verò beatitudinem eſuriens, quam virtutibus repoſitam credit. Hujuſcemodi eſurientes, qui potens eſt, implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Divites, ſcilicèt, in terrenis, qui non in Deo, non in virtutibus, ſed in ſe ipſis divites ſunt. Conſona in Pſalmis verba præceſſerant his, quæ nunc Virgo decantat. Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Deum non minuentur omni bono. Inquirere Dominum, ad eſuriem animæ rationalis refertur, quæ, cùm fuerit gratia prædita, ipſum impatienter deſiderat. Divites verò mundi egebunt, & eſurient, & dimittentur inanes. Et alibi: Animam eſurientem ſatiavit bonis. Meritò anima bona inceſſanter deſiderans, bonis repleta eſt. Quod ſemper facit ille, qui potens eſt: qui etiam novit, quanto deſiderio ad virtutes anima elevetur. Hinc etiam dicitur: Qui dat eſcam eſurientibus. Eſcam virtutum, quæ animas alit, & eſcam ſui Corporis, & Sanguinis, quam omnibus fidelibus præparàvit, in oſtenſionem amoris ineffabilis, quo diligit nos, & in tutelam à malis, purgationem criminum, in terrorem ſpirituum nobis adverſantium ad ſalutem. Sed divites ſæculi, exiſtimantes majores divitias, opes, & bona perfunctoria Ægypti, quàm improperium Chriſti, omnino dimiſit inanes. Et hoc habet proprium bonitas, virtus, & ſapientia, quòd poſt eſum iterùm eſuries ſequitur, & guſtatæ deſiderium reaccendunt. Sic per Sapientiam dicitur: Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient. In argumentum inhærentis virtutis iſta verba depromuntur, quam amplior bonorum guſtatorum eſuries illa, jam adeſſe, demonſtrat. Arguit in anima eſſe virtutem, ad ipſam deſiderium per ampliùs inardeſcens. Hos eſurientes bonis largitas ejus, qui cuncta poteſt, implet, inanitate remanente apud divites inſatiabiles, quorum anima terrenis ſatiari non poteſt.* Hucuſque Simon de Caſſia.

Pro: *Benedictus*.

Simon de Caſſia dicit: *Per viſcera miſericordiæ, &c. Per illa interiora ſui cordis vitalia, ſcilicet, amores inviſibiles miſericordiæ ſuæ, quibus motus, ex alto veniens, nos viſitare dignatus eſt, ut in illa ſua ineffabili, & incomprehenſibili dilectione, peccatorum hominibus tribuatur remiſſio: qua incarnari, naſci, viſitare, converſari, docere, pati, mori pro nobis voluit.* Cornelius ait: *Per viſcera, &c. In quibus (id eſt, quibus impellentibus, vel propter quæ) viſitavit nos oriens ex alto. Cauſam tantorum operum, ſcilicèt, Meſſiæ incarnati, ejuſque Præcurſòris Joannis jam nati aperit, aſſignatque viſcera miſericordiæ, id eſt, viſceralem, intimamque, & ex imo cordis ſinu, fundoque manantem miſericordiam Dei noſtri, qui ſummæ miſeriæ noſtræ miſertus, ut illi ſuccurreret, ſua viſcera, id eſt, Filium ſuum Unigenitum in ejus Incarnatione dedit, & quaſi in nos effudit. Viſcera ſignificant intimam, & ſummam Dei miſericordiam, tum quia in magna commiſeratione ſolent viſcera commoveri, tum quia viſcera Patris ſunt Filius, quem è ſuis quaſi viſceribus genitum Deus Pater nobis donavit. Quæritur, quis ſit hic. Oriens, & cur ita dictus? Pro: Oriens Græcè eſt: Ortus, ſicut dicitur Ortus Solis,*

vel Ortus germinis. Oriens ergo hìc eſt nomen ſubſtantivum, & proprium Chriſti. Unde Chaldæus Zachar. cap. 3. & 6. pro: Oriens, vertit: Meſſias, id eſt, Chriſtus. Barradas inquit: Per viſcera, &c. Primus horum verborum commentarius, hic eſt Theophylacti, Euthymii, Janſenii, & aliorum: Præibis ad dandam ſcientiam ſalutis in remiſſionem peccatorum: quæ quidem peccatorum remiſſio, per viſcera miſericordiæ Dei nobis contingit. Sed ſatius eſt ad ſuperiora hæc referre, ut ſit hominis magno Dei amore inflammati, inflammata oratio: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, hæc cuncta, quæ dixi, nobis evenerunt, in quibus viſceribus, id eſt, per quam infinitam miſericordiam, viſitavit nos ex alto cælo Sol. Venit in mentem Zachariæ filio impoſitum nomen, idque explicavit his verbis: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Significat enim Jecohanan, ut diximus, Dei gratiam, vel: Deus miſertus eſt. Quaſi dicat: Non noſtris meritis tanta Deus retribuìt beneficia; gratiæ ſunt, non meritorum. Miſertus noſtri eſt per viſcera miſericordię ſuę: viſitavit nos ex alto Oriens. Oriens autem non eſt participium, ſed ſubſtantivum nomen. Quantò locus longiùs diſtat, tantò pluris fit viſitatio: hæc Dei viſitatio ex alto cælo eſt: maximi igitur facienda. Vincentius Regius ſic loquitur: Per viſcera miſericordiæ, id eſt, intimam miſericordiam Dei in nos per Chriſtum. Viſcera miſericordię Hæbraicè dicuntur, profunda miſericordia, ſeu viſcera miſericordiæ plena. Quarè jungenda præcedentibus ſunt hæc: quaſi diceret: In remiſſionem peccatorum obtinendam per viſcera miſericordiæ plena, ſeu intimam miſericordiam: hæc enim remiſſio non noſtris meritis, vel Joannis, ſed Dei miſericordia facienda erat: In quibus, per quæ: Hæbraiſmum: In, pro: Propter, vel: Per. Viſitavit. Venit, ut redimeret nos. Viſitare eſt munus exequi Præſidis inviſentis Provinciam, qui alios quidem vendicat à calumniis, alios punit. Primo modo uſurpatur hìc, ſicut, & ibi: Viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ: hoc enim fecit Chriſtus miſſus à Patre, per ſe ipſum nos viſitans, ut etiam dixit verſu 12. At Numeror. cap. 14. verſ. 18. Viſitans peccata patrum in filios, & Pſalm. 88. v. 93. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & alibi ſæpè, ſumitur pro poſteriori modo. Oriens. Non participium eſt, ſed nomen ſubſtantivum Chriſtum ſignificans Zachar. 3. & 6. Dicitur viſitaſſe ex alto, id eſt, cælo, quia Deus, & quia de Spiritu Sancto conceptus: non habet ergo ex terra ſuam primam originem: nè verò illud: Ex alto, referas ad vocem: Oriens, ſed ad: Viſitavit.

Pro: *Nunc dimittis*.

TOletus dicit: Lumen ad revelationem gentium, &c. Quod Salutare appellavit, appoſitione quadam, Lumen, & gloriam vocat: lumen quidem ad Gentium illuſtrationem, quod nimirum Gentibus illuceſcat, caſque illuminet, errorum, & idololatriæ tenebris depulſis, & veri Dei fide ſuſcepta: gloriam verò Iſrael, quia per Chriſtum populus Judæorum glorificatus eſt; in magnam enim populi illius ceſſit gloriam, & honorificentiam, quòd Chriſtus mundi Salvator de illo carnem ſuſceperit. Joan. 4. Salus ex Judæis eſt. Prædicta fuere hæc duo per Prophetas. Primum quidem Pſalm. 97. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam. Iſai. 42. Dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum: & educeres de concluſione vinctum: de domo carceris, ſedentes in tenebris. Secundum verò Iſai. 44. Egredictur Dominus de Jacob, & Iſrael glorificabitur. 62. Videbunt cuncti Reges Inclytum tuum. 70. Gloriam tuam. Illa autem apoſtrophe (Plebis tuæ Iſrael) habet quamdam energiam, quaſi exhortantis Iſrael ad gloriandum in Chriſto præſenti, & excitantis affectum Judæorum ad eum amplectendum, ac ſuſcipiendum, qui tantam illis gloriam adferebat. Sylveira ait: Lumen ad revelationem, &c. Salutare tuum, ſcilicèt, Chriſtum verum Meſſiam, quod paraſti ante faciem omnium populorum; appoſitivè lumen ad revelationem, &c. Hoc eſt, ad dandam lucem gentibus, & gloriam magnam allaturum populo Iſraelitico. Appellat hìc Chriſtum gloriam, & lumen. Videtur alludere ad antiquas prophetias. Iſai. 60. n. 1. & 2. Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Et multis aliis in locis dicitur lumen. Joan. 1. n. 9. & 8. n. 12.

Digitized by Google

n.12. & 9. n.5. Sicut etiam dicitur gloria. Iſai. 43. n.13. Videbunt cuncti Reges Inclytum tuum. Iſai. 62. n.2. Septuaginta: Gloriam tuam.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

DEus implet, Deus viſitat, Deus quoque pius, & miſericors illuminat: implet famelicos, viſitat miſeros, & illuminat omnes, quos reſpicit luce orbatos. Implens famelicos, famem ſui ipſius excitat, ut eſuriamus juſtitiam: viſitans miſeros, illos redimit, ut ſuam noſcamus miſericordiam: & illuminans luce privatos, eos, & nos facit videre ſuam benignam clementiam. Fortunata profectò eſuries, quæ habet Deum bonis implentem: felix miſeria, quæ invenit Deum piè viſitantem: & fauſta lucis orbatio, cui ſuccedit luminis interni, atque æterni plenitudo. Ergo laudemus Chriſtum in Euchariſtia, ob famem, bonis homines illi menſæ appropiantes dignè, implentem: celebremus miſericordiam relegantem per viſitationem ſuam noſtram variam, & multiformem miſeriam: & benedicamus etiam Divino Euchariſtico lumini cæcos ſuo ſplendore illuſtranti. In fame alti, Domino nos ſatianti ſerviamus: miſeriis abſoluti, Regem viſitantem, & nos ab illis liberantem, amemus: ac in cæcitate remedium per Euchariſtiam adepti, tanto benefactori obſequamur. Servientes ſaturanti, erimus placiti ipſi, à quo venit noſtra impletio: amantes nos per viſitationem ſuam liberantem, noſcemur grati tam magnæ proceritati Divini ejus beneficii: & obſequentes nos à cæcitate eruenti, nanciſcemur, nè nos iterùm tenebræ comprehendant; nè nos ipſe Deus impoſterùm in noſtra cęcitate derelinquat. Divites inanes ſunt à Deo dimiſſi; plures à Domino viſitati, non reſponderunt Divinæ ejus vocationi: & coram luce vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, remanſerunt multi cæci, dum fuerunt rebelles lumini. Quid nobis proderit, quòd memoriam fecerit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus (quia juxta Sanctum Auguſtinum, in Euchariſtia reperiuntur omnia mirabilia Dei,) dum eſcam dedit timentibus ſe, ſi, quia nolumus timere Deum, & recedere à malo, Deus ipſe nos (amore proprio ſcatentes) velut faſtidioſos divites, dimittere ſtatuerit inanes? Quid proficiet, quòd Dominus viſitaverit nos Oriens ex alto, & quòd Chriſtus ſit Sol in Euchariſtia (ut dicunt Sanctus Auguſtinus, & S. Joannes Chryſoſtomus,) ſi non magni habuerimus hoc vas admirabile, & iſtud opus Excelſi, & fuerimus ingrati adeò benevolæ Domini viſitationi? Et quid conferet nobis lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael paratum (dum Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos,) ſi ambulaverimus, ut cæci, non volentes à Deo illuminari, &, ut Jonas, fugientes à facie Domini? Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus, & qui ſe præparat, ut à Deo bonis impleatur; ſe humiliat, ut ab illo viſitetur: & luci appropiat, ut illum Dominus à veteri ſua cæcitate eripiat. Tales ſimus, & Orationem ſequentem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

GRatias tibi referimus, Domine, Sacro munere vegetati, tuam miſericordiam deprecantes: ut dignos nos ejus participatione perficias. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

UNiverſa germinantia in terra, & ſpecialiter ligna fructifera, & omnes cedri, in Sacro Textu invitantur ad benedicendum, & laudandum Dominum: & hoc quidem, quia eſt eorum omnium Creator, & his dedit vitam vegetativam, qua creſcunt, dum aluntur; proficiunt, dum à terra elevantur. Meliùs nos vegetamur, quando in Altari ſuſtentamur, & alimur Corpore Sacro, & pretioſo Sanguine Jeſu-Chriſti noſtri Creatoris,

Digitized by Google

Redemptoris, ac Domini: ergo juſtè gratias Deo referimus Sacro munere vegetati, cujus virtute poſſumus creſcere, & valemus à terra uſque ad cœlum elevari. Alta igitur petamus, per ſacram vegetationem creſcentes, & proficientes, Altiſſimum accuratè benedicentes, & eum ſine ceſſatione laudantes; quia vult ipſe, quòd optimè vegetati ſemper in virtute creſcamus, & numquam ab ejus laude ceſſemus. Qui præter vegetativam, vita quoque ſenſitiva, & rationali fungimur, nè ſimus beneficiis Dei inſenſibiles, nec paſſionibus humanis irrationabiliter cedentes; nam ſi hæc mala fecerimus, à lignis, & germinibus, vegetativa (quam tantùm habent) vita præditis, Deo ſervientibus, & illum ſuo modo benedicentibus, & laudantibus, erimus cum noſtro opprobrio, atque dedecore victi; remanentes in eorum comparatione confuſi, ac de noſtra peſſima ingratitudine erga Deum ab iiſdem accuſati. Gratias ergo agentes poſt vegetationem Sacri muneris Sacramentorum Altaris, Domino noſtro nunc nos ſiſtimus, & ab eo magnum beneficium poſcimus. Deprecamur namque Divinam miſericordiam, quatenùs nos dignos efficiat participatione ipſiuſmet muneris Sacramentorum nos alentium, & vegetantium, ac proinde nos ad Dei laudem, & benedictionem moventium. Participes erimus Sacri muneris, ſi ita vixerimus impoſterum, ut decet Sacram recipientes Communionem: & ita in gratia accepta perſeveraverimus, ut uſque in finem perſeverantes ſalvemur. A Deo ſolo poteſt nobis obvenire, quòd tali Sacri muneris participationis diteſcamus beneficio, quia à ſolo Deo, à quo bono cuncta procedunt, poteſt nobis provenire benè vivere, & gratia perſeverandi in virtute; ut in illa felici, & fauſta gloriemur æternitate.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM

Pro Dominica decimanona poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ decimænonæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Et hos quidem arguite judicatos.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: *Et hos quidem commiſeremini diſceptantes.* Arias: *Dijudicantes.* Vatablus: *Dum dijudicamini.* Syriacus: *Et nonnullos quidem.* Arabicus. *Et quoſdam quidem cùm ambigant, perditos deſignate.* Æthiopicus: *Quia eſt quem reprehenderit per verbum, quod dictum fuit.* Alter Arabicus: *Et quoſdam redarguite juxta peccata eorum.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Et hos quidem arguite judicatos: Alii: Et hos quidem commiſeremini judicantes: Alii: Dum judicabimini: Certè Græca hic variant: quidam enim habent: Commiſereamini: alii: Arguite, id eſt, manifeſtate omnibus impietatem eorum. Græcè aliqui, ut vidimus, vertunt. Dijudicabimini; ſed noſter Vulgatus meliùs activè ſumpſit cum hoc ſenſu: Hos quidem arguite dijudicantes eos, pro quo elegantiùs dixit: Et hos quidem arguite judicatos, id eſt, poſtquàm dijudicaveritis: Arguite ergo, vel corripite, vel judicate illos: qui verò legunt paſſivè: Dum judicabimini, hunc ſenſum poſſunt habere: Dum illi vos accuſant, & veluti lata ſententia damnant vos, illos redarguite, Catholicæ fidei veritatem damnantes: & eorum impia dogmata.* Gloſſa Interlinealis: *Et hos quidem arguite, convincite ad utilitatem, non illorum, ſed Eccleſiæ, judicatos, certiſſimè damnatos Divino*

vino judicio. Hugo Cardinalis ſic explicat: *Et hos quidem arguite judicatos. Quaſi diceret: Tales, ut dixi, ſitis in vobis: & non ſolùm benè in vobis vos habete, ſed & ad alios. Unde dicit: Et hos quidem, id eſt, obſtinatos, arguite judicatos, id eſt, quia judicati ſunt. Joann. 3. c. Sed contrà: Prov. 26. Qui arguit impium, ſibi maculam generat: noli arguere deriſorem, nè oderit te: & obſtinati deriſores ſunt fidei, unde ex arguitione pejores efficiuntur. Solutio: Si ſoli ſunt, non ſunt arguendi; ſed, ſed ſi ſunt cum aliis, qui poſſunt inſtrui, debent argui, non propter ſe, ſed propter alios, ſicut Dominus turbas docebat præſentibus Scribis, & Phariſæis, qui obſtinati erant*. Nicolaus de Lyra: *Et hos quidem, ſcilicet, hæreticos obſtinatos, arguite judicatos, id eſt, arguendos oſtendite, tamquam condemnatos*. Eſtius: *Et hos quidem, &c. Eſt in Græcis varietas: nam quod in pluribus habetur: Miſeremini, in nonnullis eſt: Arguite, vel redarguite: quemadmodùm, & OEcumenium legiſſe, quamvìs textus adjunctus aliter habeat, probat ejus Commentarius, ut ſit ſenſus: Alios diſputando redarguite. Sunt enim qui non, niſi manifeſta ratione convicti, cedant veritati, & ab errore recedant: de quibus, & Paulus Epiſcopis præcipit, Tit. 1. eos, qui contradicunt, arguere: non enim hoc omnium eſt, ſed Doctorum*. Menochius: *Et hos quidem, Hæreticos. Judicatos. Per ſe damnatos, re ipſa, & facti evidentia*. Tirinus: *Et hos quidem, nempe, hæreſiarchas, & hæreſis doctores, quia judicatos ipſa facti evidentia, & ut Paulus loquitur, proprio judicio condemnatos, ſchiſmatis. & hæreſeos, arguite. Græcè eſt: Redarguite, & convincite, ſaltem apud populum, ut errore. & nequitia eorum patefacta, ab omnibus vitentur, & explodantur*. Lorinus ſic loquitur: *Et hos quidem arguite judicatos. Arguite diſputando: vel arguite, ut ita dicam, diſputatos, id eſt, diſputationis, rationiſque vi convictos. Item arguite dijudicati, ſive cùm dijudicamini, id eſt, cùm in judicium venitis, cùm judicium veſtrum exquiritur; cum ratio de fide veſtra poſtulatur; vel dijudicantes vos ipſos, agnoſcendo imbecillitatem veſtram, ac nè perſonas ipſas odiſſe videamini, diſcernentes inter illas, & earum vitia. Cajetanus legens: Commiſeremini, dum dijudicamini, declarat: Dum vos quoque judicio ſubjecti eſtis, utimini miſericordia erga illos, qui fragilitate peccant. Alii duo ſenſus noſtræ lectionis probabiles ſunt, ut judicatos accipiamus cum Latinis, pro damnatis propter obſtinationem, idque proprio etiam ipſorummet judicio: vel cum OEcumenio, & conſequenter cum Græcis aliis, pro ſemetipſos dijudicantibus, atque ſecernentibus à communi Catholicorum doctrina, & vita: ut idcircò argui debeant. Adjice: Arguite judicatos, id eſt omninò convincite, ita, ut ſecernatis, & ſeparetis eos, utque digni hi dijudicari, diſcerni poſſint ab Orthodoxis, & vitari; atque hoc ipſum facite cum dijudicatione, & diſcretione, cùm non eadem omnes deceat arguendi ratio, non eædem conveniant omnibus minæ, cohortationes, præceptiones, pœnæ: non temerè debeat quis excommunicari, &c. Favet Arabica Editio: Et quoſdam redarguite eos, juxta peccata eorum. Tandem, arguite judicatos, cùm rectè judicaveritis, eos in errore verſari, vel poſtquàm ita feceritis, judicatique dicto modo fuerint, liberè, & acriter reprehendite, nec priuſquàm de illorum errore certi ſitis, ſecernatis, aut ſeparetis eos à vobis; quæ eſt quædam ratio excommunicandi. Si judicati denotant obſtinatos, traditos in reprobum ſenſum, damnatos; prius dixi, tales nihilominùs arguendos ad aliorum utilitatem, ut timorem habeant, maloque ſapiant alieno. Flevit Chriſtus ſuper abutentes adventu ſuo, & viſitatione miſericordi: ſuper Saule, quem Deus rejecerat, Samuel: Hieremias ſuper Hieroſolymorum excidio: Paulus ſuper inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus: David ſuper Abſalom impio mortuo: ſancti alii viri ſuper infelicem aliorum impiorum mortem. Quadam ſympathia pii etiam afficiuntur circa ſontes, ergà beſtias ipſas, quin & erga æternis jam pœnis, licèt juſtiſſimè, adjudicatos. Narrat Sulpitius, diabolo Martinum dixiſſe: Si tu ipſe, ò miſerabilis, ab hominum inſectatione deſiſteres, & te factorum tuorum, vel hoc tempore, cùm dies judicii in proximo eſt, pœniteret: ego tibi, verè confiſus in Domino, Chriſti miſericordiam pollicerer. O' quàm ſancta (ſubdit hiſtoriæ ſcriptor) de Domini pietate præſumptio! in qua, etſi auctoritatem præſtare non potuit, oſtendit affectum*. Cornelius hæc habet: *Et hos quidem arguite judicatos: pu-*

tà

tà, per ſe damnatos, re ipſa, & facti evidentia, ſcilicèt publica hæreſi, & ſchiſmate convictos, ac atrocitate criminis condemnatos, etſi nemo in illos ſententiam damnationis pronuntiet, juxta illud Pauli ad Tit.3. 10. de hæretico: Subverſus eſt, cùm ſit proprio judicio condemnatus. Jam ſenſus eſt. Quaſi dicat (Sanctus Judas:) Volo vos dilectionem conſervare, & exercere, non tantum in fideles, ſed etiam in infideles, apoſtatas, & hæreticos, eorumque Aſſeclas. Hos ergo, puta hæreſiarchas, hæreſiſque doctores, diſputando de hæreſi, dijudicate, redarguite, convincite (ut errore eorum patefacto, ab omnibus vitentur, & explodantur) judicatos, dum, ſcilicet, dijudicaveritis, veriſque rationibus oſtenderitis eorum errorem, & ſchiſma, ut jam, ſi non ſibi ipſis, certè aliis convicti, judicati, & damnati videantur. Judicatos ergo intellige obſtinatos in hæreſi.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

UTinam amplectamur eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonē, ut potentes ſimus exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere: nè è cōtrario arguat nos malitia noſtra, & averſio noſtra increpet nos: ac nè Deus arguat, & ſtatuat contra faciem noſtram. Vult quidem Sanctus Judas Thaddæus, ut arguamus peſſimos hæreticos judicatos, & convictos, dum nobis dicit: *Et hos quidem arguite judicatos*; ſed priùs (ut nullus ex illis arguat nos de peccato, & ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis) curat idem Sanctus Judas, ut omnes, præcipuè Theologales, exerceamus virtutes, dum ait: *Superædificantes ſanctiſſimæ veſtræ fidei: voſmetipſos in charitate ſervate: expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti*. Benè arguet, qui à nullo jure argui de peccato poteſt: benè arguet, qui virtuti omni comparandæ morali vacat, quando præſertim exercitia, & actus virtutum Theologicarum frequentat. Ergo, ut fructuosè exhortari, & eos, qui contradicunt, arguere potentes ſimus; verbo, & opere eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem toto corde amplectamur: &, ut Sanctus Ambroſius dicit nobis, verbum Dei complectamur operibus, velut quibuſdam fidei noſtræ brachiis. Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio: ſed eſt Spiritus Sanctus, cujus nomen ſanctitatem explicat, & affert ſecum: eſt inter Divinas Perſonas illa, cui amor, & bonitas ſpecialiter tribuitur; quia ad arguendos peccatores non ita eſt in nobis proficua potentia, & ſapientia, ſicut proficit charitas, & bonitas nota, & omnibus patefacta. Ergo ut arguamus in Spiritu Dei noſtri, curemus, quantùm cum Divina gratia poſſimus, Spiritu Sancto abundare, fide, & Spiritu Sancto repleri, excellere in amore, ſplendere in bonitate. Multi paſſim alios arguunt, & ſuis arguitionibus parùm proſunt, quia etiam ipſi arguuntur: quod quidem non accideret, ſi ipſi arguentes ſe exhiberent ſicut Dei Miniſtros, & in omnibus ſe ipſos præberent exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile. *Noli quærere* (ait Eccleſiaſticus) *fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates*. Ergo nè arguamur, arguituri irreprehenſibiles ſimus. Arguet malitia ſua, & averſio ſua increpabit eum, qui, cùm ſit malus, & à Deo averſus, vult tamen arguere de peccato ſuos proximos. Unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus, illi peſſimi Judæi, quibus dixerat Chriſtus: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, cùm ipſi arguerent mulierem pauperculam, & miſeram in adulterio deprehenſam: nam, quia erant illi majoribus facinoribus implexi, ac gravioribus criminibus irretiti, utpote majora peccantes, remanſerunt verecundia, & confuſione pleni; quin jam auderent illam adulteram arguere, & accuſare. Primos ſeniores rubore ſuffuſos ſequebantur alii, unus poſt unum exeuntes; præeuntes non minùs rubore, quàm greſſibus ſequentes, utpote jam inepti (quia ſcelerati) qui quemlibet arguerent: æſtimantes ſe non ad arguendum idoneos, ex quo introrsùs ſe aſpicientes, ſe invenerunt ſuis delictis, & peccatis maculatos. Non ob hoc ſunt deterrendi à judicandis, & arguendis iniquis hominibus illi, quibus ex officio incumbit judicare, & judi-

judicatos arguere, ſive in eos juſtam ſententiam proferre: ſed ſaltem debent curare, nè aſpiciat in ſcandalizante Judice populus illa peccata, quæ in aliis punit; illa vitia, ob quæ in reos animadvertit. His doctrinis inſtructi, Deum noſtram adeamus, & ſupplici voto duas ſequentes Orationes præſentemus.

Oratio Officii Dominicæ decimænonæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

O*Mnipotens, & miſericors Deus, univerſa nobis adverſantia propitiatus exclude: ut mente, & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

QUis poteſt univerſa nobis adverſantia excludere propitiatus, niſi ille, qui eſt Omnipotens, atque miſericors Deus? Ideo igitur Dominum Deum noſtrum Omnipotentem ſimul, & miſericordem hodie adimus, quia quærimus, ut excludat univerſa nobis adverſantia propitiatus. Niſi fuerit propitiatus, & niſi propitiabiliter nos aſpexerit, neutiquàm univerſa nobis adverſantia excludet: ſicut non excluderet univerſa nobis adverſantia, niſi polleret Omnipotentia, ac ſimul miſericordia; nam, ſi miſericordiam non haberet, de noſtris miſeriis ſolicitus non exiſteret, &, ſi Omnipotens non eſſet, tam multa nobis adverſantia nunquàm excludere poſſet. Multa valdè, inquam, ſunt nobis adverſantia, quandoquidem adverſatur nobis infirmitas, adverſatur paupertas, adverſantur inimicorum injuriæ, adulatorum malitia, mors præpopera, ferarum ſævitia, & magìs, quàm dicta, & alia ſimilia innumera, nobis adverſantur peccata. Pugnat pro Deo Orbis terrarum contra nos inſenſatos: & qui in cunctis deliquimus in cunctis ferimur, ut dicit Sanctus Gregorius Magnus. Ergo ad hoc, ut tot nobis adverſantia excludantur, & ab eis liberi ſimus, Deo propitio, & ejus Omnipotentia ſimul, atque miſericordia, valdè, & extremè indigemus. Sed quorsùm tendit hæc noſtra poſtulatio, per quam à nobis optatur, & petitur cunctorum nobis adverſantium excluſio? Numquid hoc ad noſtrum ſolùm commodum depoſcimus, quando taliter Deum noſtrum exoramus? Non ſanè, non intendimus ſolam noſtram utilitatem, ſed progredimur ſimul ad quærendum honorem Divinum, & majorem Dei gloriam in his, pro quibus obtinendis ad ſuam Omnipotentem recurrimus, & appellamus clementiam. Dicimus enim, nos deſiderare cunctorum adverſantium nobis excluſionem, ut mente, & corpore pariter expediti, quæ Dei ſunt, liberis mentibus exequamur. Itaque expediri cupimus noſtras mentes ab adverſantibus nobis peccatis, quæ Dei ſervitio obſtant; ut quæ Dei ſunt, liberis mentibus exequi, & exercere poſſimus: & in hoc ipſo gloriam, & honorem Dei, quæ reſultat ex diminutione, & deſtructione peccatorum, totis viribus intendimus. Optamus quoque eſſe (ſi ita nobis expedierit) in corporibus expediti ab adverſantibus nobis corporalibus incommodis, periculis, doloribus, & moleſtiis, ut etiam per finitionem iſtorum, illa, quæ Dei ſunt, liberis mentibus exequamur; volentes, quòd adverſitatum temporalium excluſio, ſit mentium noſtrarum ad Deum jugis provectio.

ORATIO SECRETA.

H*Æc munera, quæſumus Domine, quæ oculis tuæ majeſtatis offerimus, ſalutaria nobis eſſe, concede. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

OFferimus oculis Domini Dei noſtri in Altari ea munera, quæ Deo ipſi volumus eſſe ſacrata: immò, ut illa eidem noſtro Creatori ſacrentur, in ſancto Altari, offeruntur. Poſtquàm ſunt Deo ſacra hæc munera per noſtram oblationem (quia juxta Sanctum Ambroſium, ſanctum dicitur

tur quod eſt Domino conſecratum:) eadem munera jam induerunt ſanctitatem. Munera iſta oculis Majeſtatis Dei offerimus, quia ipſum Dominum aſpicere ad illa, enixè deſideramus. Eſſe voti compotes de Divina benignitate, ac largitate confidimus. Non deerit voluntas ad munera oblata ſpectandi, ei clementiſſimo noſtro Conditori, qui dedit nobis voluntatem illa ſuis Divinis oculis præſentandi, & offerendi. Sed hæc munera, quæ oculis Divinæ Majeſtatis offerimus, fore nobis ſalutaria, à Deo eodem depoſcimus; quia ultra Dei gloriam, ipſa ad noſtram ſalutem deferimus, & libamus. Erunt nobis ſalutaria prædicta Sacri Altaris munera, ſi venerit nobis ſalvatio à Deo noſtro per illa. Erunt ſalutaria nobis, ſi ab eiſdem muneribus Deo oblatis nobis provenerint auxilia opportuna gratiæ ad vincendas tentationes hujus vitæ. Erunt quoque ſalutaria nobiſmetipſis, ſi per illa cum ſalute corporis, præcipuè nobis obvenerit ſalus mentis: &, ſi, dum ipſa munera ſalutem operata fuerint mentis, non deſierint eſſe remedia etiam pro nobis ſublevandis ab infirmitatibus, atque periculis corporis. Erimus perfectè ſalvati, & incolumes (tales facti à Deo per iſta munera oculis ſuæ Majeſtatis hodie à nobis præſentata) ſi, cùm illa nobis impertierint integram ſalutem per vitæ ſpiritualis, & corporalis ſubſidia, etiam per munera ipſa Deo oblata obtinuerimus remedia altiora pro ſalute cœleſti, atque æterna adipiſcenda.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Syriacus legit: *Adjuvit Iſrael ſervum ſuum*. Perſicus: *Iſrael ſervo ſuo opem tulit, & clementiam, atque miſericordiam ſuam in memoriam reduxit*. Perſicus alter: *Memoria recolens miſericordiam ſuam*. Arabicus: *Fulſit Iſrael puerum ſuum*. Theophylactus: *Ut eſſet memor miſericordiæ ſuæ*. Euthymius: *Auxiliatus eſt Iſrael puero ſuo, ut memor eſſet miſericordiæ ſuæ*. Beaulxamus ex Græco: *Extenſa manu ſuſtinuit cadentem Iſrael puerum ſuum*. Textus Hæbraicus: *Ut oſtenderet ſe memorem promiſſionis ſuæ*. Cajetanus, Janſenius, Arias: *Recordari miſericordiæ ſuæ*. Vatablus: *Recordatione miſericordiæ ſuæ*. Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Suſcepit Iſrael*: *Alii*: *Fulſit*, *adjuvit*. *Suſcipere in Scriptura eſt ampliſſimæ ſignificationis*: *ſignificat enim aſſumere, manum porrigere, adjuvare, fulcire, defendere*: *& ſic ſenſus erit, quòd Dominus populum Iſraeliticum, quem quaſi puerum, id eſt, filium, vel ſervum ſuum tenerè diligebat, jam quaſi collapſum manu apprehendit; erexit, adjuvit, reſtituit, & omni benevolentiæ, & beneficentiæ genere proſecutus eſt*. Gloſſa Interlinealis ex Beda: *Suſcepit, ſicut medicus ægrum, Iſrael, &c. Recordatus, id eſt, ut memor eſſet, miſericordiæ ſuæ*. Gloſſa Ordinaria. *Poſt generalem Divinæ pietatis, & juſtitiæ commemorationem, ad ſingularem novæ Incarnationis diſpenſationem convertit verba. Suſcepit, quaſi medicus ægrum. Viſibilis inter homines factus, ut faceret Iſrael, id eſt, videntes Deum, puerum ſuum ſibi obedientem, & humilem, quia non niſi per humilitatem ſalvandi ſunt. Recordatus miſericordiæ ſuæ, ſive memorari miſericordiæ ſuæ: quia quòd hominem redemit, non eſt meritum hominis, ſed donum Divinæ pietatis*. Beda in Gloſſa morali: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum. Puerum ſuum obedientem, ſcilicèt, & humilem, nam qui contemnit humiliari, non poteſt ſalvari*. Nicolaus de Lyra ſic interpretatur: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum. Hic recolit Beata Virgo beneficia exhibita populo Judæorum ſpecialiter, cùm dicitur: Suſcepit. Quia Deus accepit carnem puerilem de populo Iſrael, quod fuit beneficium illi populo collatum, maximè quantùm ad credentes de populo illo. Recordatus miſericordiæ ſuæ. Ad modum enim recordantis ſe habuit, quando Filium ſuum Patribus antiquis promiſſum in carne miſit*:

ideò ſubditur : ſicut locutus eſt , &c. Menochius: *Suſcepit , id eſt, qui ſuſcepit, &c. Eſt enim continuata deſcriptio Dei . In Græco eſt vox , quæ habet hanc vim , ut ſignificet , Deum populum ſuum , jam omninò deſertum, & dejectum , quaſi porrecta , aut ſuppoſita manu , ſuſtinuiſſe , & erexiſſe Iſrael puerum ſuum . Iſraelem filium ſuum, ſic enim ſolebat Dominus Iſraelem appellare . Oſeæ* 11. v. 1. *Suſcepiſſe igitur Iſraelem dicitur , quia , cùm maximè abjectus , & ſub Romanorum imperio afflictus erat populus ille , Chriſtus verus Rex venit , qui eum non à Romanorum, ſed à duriore dæmonis tyrannide liberavit . Recordatus miſericordiæ ſuæ . Ut oſtenderet ſe miſericordiæ ſuæ non oblitum .* Tirinus: *Suſcepit Deus Iſraelem , id eſt , adjuvit , & quidem ſingulari modo , nempe , mittendo illi Meſſiam tot ſæculis exoptatum, tot oraculis promiſſum .*

Pro : *Benedictus .*

Cornelius dicit : *Per viſcera , &c. Nota, Chriſtum vocari germen , tum cæleſte , tum terreſtre , utrumque enim aliquomodò ſignificat Oriens : habet enim Chriſtus duas generationes, Divinam, ſcilicet , & ita germen eſt Patris Æterni, ac humanam, & ita germen eſt Matris, & Davidis . Sic ergo ab Iſaia, Zacharia , & aliis dicitur Chriſtus germen , primò , quia ex radice Jeſſe , ſive Davidis, quæ videbatur exaruiſſe, nullo jam Rege, aut Duce ex ea prodeunte, iterùm germinavit Chriſtus , & pullulavit ut germen ad regnandum , ac ad proferendum fructum omnis gratiæ, ſalutis , & boni : germen, inquam, primitùs natum in cælo, deinde tranſplantatum in terra : hoc enim ſignificat : Oriens ex alto , ſive prodiens ex cælo , quaſi germinans Sol ad illuminandum eos , qui in terra in umbra mortis ſedent , ut ſequitur . Secundò voce germinis , & ſolis germinantis, id eſt, naſcentis , ſignificatur parvitas, & humilitas Chriſti naſcentis , quæ deinde crevit in tantum corpus , ut umbra , & luce ſua totum orbem complexa ſit , juxta parabolam grani ſinapis , Matth.* 13. *Tertiò , ſignificatur Chriſtus, quaſi alter Melchiſedech, ut homo , ſcilicèt , ut germen ex ſola terra, id eſt, Virgine Matre caſtiſſimè natus; ſed, ut Deus, id eſt, carens Matre, ſcilicèt , ut radius à Sole, id eſt , Patre , generatus . Rurſum , ut ſol puriſſimis ſuis radiis per vitrum penetrat, & prodit , ita Chriſtus uterum Matris clauſum naſcendo penetravit . Ubi nota Chriſto rectè attribui proprietates tam ſolis , quàm germinis , & utrumque ſignificat vox Oriens : Quaſi dicatur : Germen ſolare , & Oriens ; aut ſol germinans , & Oriens ; ſive germen , quòd primò in cælo cum ſumma claritate, & gloria, deinde ex cælo in terra germinans ortum eſt . Chriſtus enim eſt arbor vitæ, ex cæleſti paradiſo tranſplantata in terram per Incarnationem , inde rurſus aſcendens in cælum, & paradiſum ſuum, viſione, & fruitione dat Sanctis vitam immortalem cum ſumma , gloria, ſuiſque foliis, & fructibus omnis voluptatis, beatur in æternum continuè, mulcet & ſatiat , ut dixi Apocal.* 22. 2. Toletus Inquit : *Per viſcera , &c. Tanta fuit Dei miſericordia, ut non ſolùm ſubvenire, quod Dei in ſe ipſo erat , voluerit , ſed etiam noſtram calamitatem magna ex parte ſuſcipere , quòd fieri non poterat , niſi carne ſuſcepta . Hæc explicuit Paulus mirabilibus verbis Ephes.* 2. *Deus inquit , qui dives eſt in miſericordia , propter nimiam charitatem ſuam , qua dilexit nos, convivificavit nos in Chriſto . Nota, dives eſt in miſericordia, abundans, & superabundans , nam qui per ſolam voluntatem potuit ſubvenire , quod miſericordiæ ſolius eſt , voluit etiam per compaſſionem carne ſuſcepta ; procedebatque hoc ex nimia charitate , qua dilexit , quæ dicitur nimia , quia plus quàm neceſſarium erat , contulit ad ſalutem . Hæc ſunt viſcera miſericordiæ , de quibus nunc loquitur Zacharias . O nimia , & admiranda Dei charitas ! quæ induit viſcera miſericordiæ propter nos , quibus ſine his ſubvenire poterat : nec ad hæc viſceribus , ſeu compaſſione præcedenti motus eſt , ſed dilectio eum indui viſceribus fecit . In quibus viſitavit nos Oriens ex alto . Annotandum eſt, illud (ex alto) quoſdam connectere illi nomini (Oriens) ut diſtinguant Orientem , qui de alto oritur , nempe , de ſinu Patris , à ſole materiali , qui de terreno orizonte oriri videtur; at, cùm non participium, ſed nomen ſit illud (Oriens) non videtur accommodatè illi connecti poſſe illud (ex alto) ſed potiùs verbo (viſitavit:) de cælis enim*

venit ad nos, id eſt, cùm Deus eſſet, homo factus eſt propter nos. Joan.3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo.

Pro: *Nunc dimittis.*

SYlveira dicit: *Lumen, &c. Maximè notandum eſt, quòd eum, quem ſuprà Simeon appellaverat ſalutare: Viderunt oculi mei Salutare tuum, nunc dicit lumen; omnis enim Dei notitia, ac lux valdè ſalutifera eſt homini: & omne repellit malum, ad omneque trahit bonum. Et priùs, quàm hîc dicatur lumen gentium, antè illuminavit Judæos, dum claritas Dei circumfulſit paſtores, Lucæ 2. n.9. & Gentiles, dum ſtella Magos adduxit, Matth.2. n.2. Ut dixi ex Chryſoſtomo, & Theophylacto, non ad finem mundi, ſed ad præſens tempus, de quo loquebatur Simeon, ſermonem ſuum refert: & ponit priùs revelationem Gentium, quia hoc erat in magnam gloriam Iſrael, præcipuè juſtorum, quòd Gentes ambulantes in tenebris illuminarentur.* Toletus inquit: *Lumen ad revelationem, &c. Perpende quatuor eximia epitheta, quæ Simeon confitetur de Chriſto, & quibus eum plurimùm commendat, nempe, quia pax eſt Dei cum hominibus, quia Salvator eſt omnium populorum, quia lumen gentium, quia gloria, & honorificentia populi Judaici: quibus epithetis Chriſtum indicat Mediatorem, Redemptorem, Doctorem, & Deum, qui carne ſumpta de populo Iſrael, in eximiam evexit eum dignitatem, & gloriam.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hîc poſita, & ab Auctoribus explicata.

MIſericordia Dei, & veritas Dei ſemper ſuſceperunt nos: itaque non abſcondamus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam à concilio multo: miſericordiam, & judicium cantemus Domino noſtro. Exaltemus Dominum, quoniam ſuſcepit nos, nec delectavit inimicos noſtros ſuper nos. Nos dormivimus, & ſoporati ſumus, & exurreximus, quoniam Dominus ſuſcepit nos. Ecce quomodò Deus, qui viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ, erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui; quia ſuſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ. Quia eſt recordatus miſericordiæ ſuæ, ſuſcepit Iſrael puerum ſuum, hoc eſt, populum Catholicum ex circumciſione, & ex præputio, ex Gentilitate, & Synagoga conflatum. Taliter recordatus, nos exaltavit, & cornu ſalutis nobis erexit, quos per Filium ſuum in iſtam gratiam vocavit; in viſceribus miſericordiæ ſuæ viſitante nos Chriſto Oriente ex alto, ut eſſet lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael; utpote Salutare Dei paratum ante faciem omnium populorum. Qui ſuſcepit, viſitavit; ac quos ſuſcepit viſitans, & viſitavit ſuſcipiens, lumine ſuæ cognitionis Redemptor noſter (ille, qui eſt Deus de Deo, lumen de lumine) benigniſſimè replevit. Dedit nobis protectionem ſalutis ſuæ, & dextera ſua ſuſcepit nos: & diſciplina ſua correxit nos in finem, & diſciplina ſua ipſa nos docebit, quos per viſcera ſuę miſericordiæ Chriſtus eſt amplexus, dum Sanctus Joannes Propheta Altiſſimi, & Præcurſor Redemptoris, dedit ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum, & in eiſdem viſceribus miſericordiæ ſuæ viſitavit nos Jeſus-Chriſtus Oriens ex alto, ut eſſet lumen ad revelationem Gentium. Gratias ei agamus, quia nos ſuſcepit, quia nos viſitavit, & quia nobis etiam clementer illuxit. In nos ſuſcipiendo, oſtendit ſuam potentiam; in nos viſitando, ſuam ſapientiam; & in nos illuminando, ſuam charitatem infinitam. Amans illuſtravit nos, quos, ut ſapiens viſitavit: quos, ut potens, ſuſcepit. Non ſuſciperet, niſi eſſet potens potentia ſumma: non taliter viſitaret, niſi eſſet ſapiens ſapientia infinita: non ita illuminaret, niſi nos diligeret ſua charitate immenſa. Timeamus potentem, qui in Euchariſtia ſe demonſtrat ſuſcipientem eos, qui eum accipiunt, & quos ſua carne cibat: revereamur ſapientem, qui pane vitæ, & intellectus nos ſatiat: diligamus amantem, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, etiam in hoc in ſæculo

lo (in pignus æternæ gloriæ) fecit nos ad menſam ſuam Sacramentalem ſedere. Suſcipit nos potenter ut ſuſceptos elevet ad regalem cibum in alta menſa guſtandum: viſitat nos ſcienter, ut nos ſciamus dijudicare Corpus Domini, & majori appretiatione, ac præparatione, quàm alia cibaria, capere: & illuminat diligens charitate infinita nos ipſos, quos ita voluit ſecum unire, ut qui manducat eum, in illo maneat, & manducantem Agnus comeſtus poſſideat, ac ſit in illo; ut qui manducat eum, ipſe vivat propter eum: & ſic à diligente nos infinita charitate illuminemur, ut illuminati, ſemper maneamus in illius dilectione. Ergo laudantes ſuſcipientem, viſitantem, & nos illuſtrantem; Patrem ipſius invocemus, & orationem ſequentem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

T*Ua nos, Domine, medicinalis operatio, & à noſtris perverſitatibus clementer expediat, & tuis faciat ſemper inhærere mandatis. Per Dominum noſtrum J. ſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

AD medicinam ægri recurrimus, valetudini inhiantes; ipſius requiſitioni vacantes; ejuſdem bonum appetentes, utilitatem jucundam deſiderantes, & horum omnium obtentionem de Domino confidentes. Eſt medicinalis ſacra operatio in Miſſæ Sanctiſſimo Sacrificio. In Miſſa ſacra diſtribuitur cunctis afflictis medicina, & impertiuntur omnibus infirmis opportuna pro ſalute recuperanda, remedia. Ægra quidem, ac fracta ſalute laborat, & afflictione maxima cingitur quicumque à perverſitatibus in hoc ſæculo circumdatur, & tenetur. Perverſitates profectò noſtræ nos in miſero ſtatu afflictionis, & infirmitatis conſtituunt. Numquàm benè valebimus, niſi ab antiquis expediti fuerimus perverſitatibus. Sed, ſi medicinalis operatio Dei in Sancto Miſſæ Sacrificio erga nos fuerit exercita, ipſa operatio nos à noſtris perverſitatibus clementer expediet, ac nos afflictiones exuere, & ab ægritudinibus faciet feliciter liberari. Veniat ergo Dei medicinalis operatio in Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, quæ (obtinens nobis à Deo auxilia ad agendam veram pœnitentiam opportuna, & impetrans nobis gratiam pro vita noſtra, prout decet, reformanda) à nobis anxietates expellat, & morbos omnes; quando per talem Dei in Sacrificio Altaris medicinalem operationem, noſtræ perverſitates fuerint à nobis ſejunctæ, diviſæ, relegatæ, atque exploſæ, & nos per tam magnam medicinam à tantis malis jam fuerimus expediti. Nec ſolùm valet medicinalis operatio Dei in Sancto Miſſæ Sacrificio expedire nos à perverſitatibus noſtris; poteſt quoque ſimul facere nos ſemper obedire Dei Domini noſtri mandatis, atque jugiter (integrè obtemperando ipſi) ſuis inhærere præceptis. Si his mandatis, ſeu præceptis inhæſerimus, poſt perverſitatum noſtrarum ejectionem à nobis, in gratiæ ſtatu felici perſeverantes, peccare nolemus, & ab anguſtiis, ac periculis, quæ perverſitates nobis ſecum afferunt, & comportant, liberabimur: ab infirmitatibus etiam corporis (ob peccata frequenter nobis venientibus, ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus,) ſi eripi ab iſtis malis corporis nobis expediens fuerit, eripiemur; ut incolumes facti erga corpora, & erga mentes, gaudeamus. Inhæreamus igitur jugiter mandatis Divinis, nè iterùm nos noſtræ apprehendant perverſitates. Ab imminentibus perverſitatum noſtrarum periculis averſantes, & mandatis Dei ſemper inhærentes per medicinalem Dei operationem, confitebimur Deo, quoniam exaudivit nos, & factus eſt nobis in ſalutem.

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM

Pro Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ vigeſimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Illos verò ſalvate, de igne rapientes.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

OEcumenius legit: *Illos autem per timorem ſalvos facite, ex in incendio, &c.* Syriacus: *Nonnullos ex igne rapite.* Æthiopicus: *Et eſt, quem ſervabit ex igne, & diripiet eum.* Alter Syriacus: *Et ex illis aliquem ex igne rapite.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Illos verò ſalvate, de igne rapientes: Alii: Illos per timorem ſalvos facite ex incendio: habent enim in Græcis codicibus verba cum hoc ſenſu: In terrore, ac per terrorem ſupplicii, & pœnarum, ſalvate, & ſervate, rapientes de igne judicii, & damnationis, qui illos alioqui manet: quaſi dicat: Alios, qui ſe ſubtrahunt à nobis, arguite, & palàm judicate, alios verò per terrorem ſupplicii judicate.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Illos verò ſalvate, de igne vitiorum, & ſic de igne tormentorum, quadam vi rapientes.* Gloſſa Ordinaria: *Illos verò ſalvate, qui non ſunt damnati apud Deum, ſed etiam propè cadunt in ignem, docete, ut ſe ipſos liberent.* Hugo Cardinalis: *Illos verò, id eſt, non obſtinatos, tamen peccatores, ſalvate, veſtris admonitionibus, & documentis. De igne, vitiorum. Rapientes, eos. Proverb. 54. a. Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare nè ceſſes. Si dixeris: Vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit: reddetque homini juxta opera ſua.* Nicolaus de Lyra: *Illos verò. Qui non ſunt adhuc obſtinati. Salvate. Per bonam doctrinam, & vitam. De igne rapientes. Id eſt, nè deſcendant ad ignem gehennæ.* Eſtius: *Illos verò. Senſus autem eſt: Alios verò ſeveri judicii Divini incuſſo timore ſalvos facite, tamquam ex ignis incendio rapientes. Hoc ad eos pertinet, qui voluptatibus immerſi non acquieſcunt rationi. Tales enim terrore commovendi ſunt, idque commemoratione ignis æterni peccatoribus omnibus præparati. Qui, cùm ab hujuſmodi timore ſpiritum doloris, ac pœnitentiæ concipiunt, ſervari dicuntur velut ex incendio rapti; id eſt, ex periculo ignis æterni.* Menochius. *Illos verò ſalvate. Qui in periculo ſunt, nè decipiantur ab hæreticis, eos periculo quantùm poteſtis ſubducite. De igne rapientes. De igne hæreſis, qua jam ſunt ambuſti, vel in periculo verſantur, nè amburantur, & de gehennæ, ad quam tendunt, incendio. Vel certè ſecundo hoc membro de his Sanctus Judas loquitur, qui integri adhuc ſunt, & his flammis intacti, ſic enim meliùs partitio trimembris hujus verſiculi conſtabit.* Tirinus: *Illos verò, qui incipiunt ab hæreticis auſcultare, in fide nutare, vel etiam à fide eceiderit, ſalvate qua poteſtis arte, induſtria, & celeritate, quaſi infantulos in ignem prolapſos, & ambuſtos, celeri accurſu de ſgne, tum præſentis Gnoſticorum libidinis, cùm futuræ infernalis flammæ, etiam nolentes, etiam per vim rapientes.* Lorinus ſic loquitur: *Illos verò ſalvate, de igne rapientes. Rikelius exponit, ut de fervore libidinis, aliorumque vitiorum, ac per hoc ab infernali incendio, quod meruerunt. Ignem libidinis, quem & Sodomiticum Adamus vocat, inſinuari credo, propter turpiſſimas libidines Gnoſticorum, aliorumque illius temporis hæreticorum:*

rum: tamen de ſolo eo igne, quod Adamus facit, non explicarem, ſed cum aliis de aliorum ſimul vitiorum igne, ac de igne quoque gehennæ, cujus typus quidam fuit Sodomiticus contra libidinoſos de cœlo miſſus. Epithetum inextinguibilis ab Ephrem adjectum, ut prædixi, ad ignem inferni expectat: cujus ignis timor valet plurimùm ad extinguendas flammas vitiorum, ut in oratione de Sancto Laurentio, & in alia recitari ſolita in Miſſa Quatuor Temporum poſt lectionem penultimam, loquitur Eccleſia: petens item in ea, quæ eſt de Sancto Nicolao, à gehennæ incendiis ejus intercesſione liberari: qui videlicet nubiles puellas dote collata liberaverat à periculo proſtituendæ libidinis. Ignea tela nequiſſimi, loricæque igneæ ſunt libidinis tentationes; flammæ affectus animam inflammantes, quibus contra nos ille utitur, velut inſidens, tamquàm ignitis habenis, clypeoque, ut multi docent Patres. Hunc ignem Sancti quidam gelidis aquis, præacutis ſpinis, exciſione linguæ, flammis etiam externis reſtinxerunt. Franciſcus primum fecit, ſecundum Benedictus, ut omnibus notum eſt. De tertio meminit in Paulo Eremita Hieronymus. Ultimi generis exemplum in libro 5. vitæ Patrum extat Ægyptii Solitarii, qui vehementiſſimam ab impudica immiſſam tentationem vicit, non meditatione tantùm æterni ignis, ſed ſingulorum quoque ad lucernæ ignem concrematione digittorum; cùmque infelix illa timore exanimata, reque ipſa mortua eſſet, revocavit ad vitam, & ad caſtiorem mentem, ſic duos rapiens de duplici igne. Cùm quidam Monachus matrem vetulam juvare vellet ad tranſmittendum flumen, pallio involutis manibus portavit: interroganti, cur id faceret? reſpondit: Quia corpus mulieris ignis eſt; & ex eo ipſo quo eam contingeret, veniebat ipſi commemoratio aliarum fœminarum in animo. Urſinus Presbyter presbyteram, cùm naribus ipſius curaret, aure appoſita, dignoſcere, ſi quid adhuc vitale ſpiramen ineſſet, quantula potuit voce repulſit, dicens: Recede a me mulier, adhuc igniculus vivit. Fomitem Theologi nominant, quo accendi vitia poſſunt, præſertim libidinis. Chriſtiana fides terribiliores docet flammas vitiorum, quæ ad gehennales perducunt: & charitas urget, ut ab utriſque proximum quilibet ſuum quantùm poteſt, eripiat; ſique is ſcandalizatur, uratur ipſe. Pluris æſtimanda animæ fratris ſalus, atque cum periculo ipſo incendii temporalis, corporei, de perpetuis inferni flammis eripienda. Difficile eſt, ut jam in flammis conſtitutum, abſque aliquo ſaltem ſenſu caloris liberes; at charitatis ardentiores flammæ illas minores extinguunt, Deuſque facit, ut in medio ignis non æſtueris, ambulans in igne non comburaris, flammaque non ardeat in te. Sed cavendum, nè magis incendas, & nè incendaris flamma ignis, dum arguendo, conari videris alium eripere velle. Prudentia opus eſt, atque dexteritate, humilitate, ac timore; ſed ſimul cum fiducia in Deum, quando Dei cauſa, & auctoritate tantum negotium ſuſcipitur, ut nonnullis contigiſſe legimus, nominatim in audiendis confeſſionibus, quos Deus à moleſtia liberos reddidit impurarum cogitationum, motuumque, qui ex turpium commemoratione ingeri ſolent, ac excitari. Teſtatur Thomas Cantimpratenſis, id ſibi à Lutgarde impetratum, ut, cùm exciperet confeſſiones, nihil commoveretur ejuſmodi narratione, quamvis extra illud tempus crebrò, & quidem intolerabiliter vexaretur. Vis inferanda carni præſertim, cum qua colluctatio nobis perpetua, domeſtica, & inteſtina, ſive inter eam, & ſpiritum, repugnatque legi mentis. Gladii ſectione opus eſt, præciſione manus, pediſvè, evulſione oculi, ſeparatione à maximè conjunctis, & neceſſariis, ut Chriſtus tantòperè exaggerat. Diſſimulantem, ac tergiverſantem Loth egredi de Sodomis cum uxore, & filiabus Angeli apprehenſa manu, vi quadam eduxerunt, & ex ingruente igne eripuerunt. Angelos hac in re oportet imitari in aliorum ſalute promovenda, cùm è contrario, ut Hieronymus notat, adverſariæ poteſtates in perniciem eorum, quos rapiunt, prædam rapere feſtinent: Quemadmodùm de Joſeph, inquit, dicebatur, quòd mala beſtia, ſive fera peſſima comedit, & rapuit eum; oves autem Domini non rapiuntur de manibus ejus, quamvis adverſarius diabolus tamquàm leo rugiens circumeat, quærens quem devoret. Porrò, quoniam Judas hortatur, ut alii ſalvent alios, inferri poteſt, hominis dici poſſe ſalvatorem, abſque præjudicio Chriſti, qui unicus eſt

Me-

Mediator Dei, & hominum, & ſalvare per ſe ipſum ſolus poteſt accedentes ad ipſum; homo dumtaxàt cooperando, & eidem miniſtrando, ſive, dum hic adhuc vivit, ſive dum jam pervenit ad metam beatitudinis, ubi de ſua ſecurus, de noſtra ſalute ſolicitus eſt Auguſtinus, qui mediatoris nomen quando que ſoli Chriſto tribuendum videtur docere; ſicdocet Chriſtum advocatum eſſe, ut tamen etiam Sancti petant pro nobis; oret Apoſtolus pro plebe, oret plebs pro Apoſtolo; oret ipſe pro fratribus; poſcat viciſſim orationes eorum, moneat, ut pro ſe omnia membra orent, ut & caput pro omnibus orat. Denique interceſſionem Sanctorum multùm valere pro aliis, ſcribit, apud Deum, exemplo Moyſes, qui ſtetiſſe canitur in confractione in conſpectu Dei. Cornelius hæc habet: *Illos verò ſalvate, de igne rapientes. Illos verò, puta diſcipulos hæreticorum, vel fideles, qui eos incipiunt auſcultare, & nutare in fide, ſalvate, id eſt, ſervate ab imminenti ruina in Gnoſticorum hæreſim, libidines, & perditionem, quaſi celerrimè, & violenter de igne rapientes: perinde, ut pannus igne correptus, & ambuſtus, illicò violenter, & injecta manu ab eo abripitur. Tò: De igne, notat Gnoſticorum tum libidinis, tum gehennæ meritum incendium. Unde Græca addunt: In timore, vel terrore: quaſi dicat: Per minas, & terrorem ſupplicii, ac gehennæ ſalvate, & eripite eos de igne inferni. Docet Sanctus Judas, hunc animarum zelum debere eſſe celerem, & efficacem, cùm ait: De igne rapientes. Sicut enim, ſi quem puerum, vel amentem in ignem ruere videremus, illicò omnibus viribus eum, etiam nolentem, & reſiſtentem, inde raperemus; ita pariter animas per peccatum ſpontè ruentes in ignem gehennæ, omni conatu, & celeritate etiam per vim rapere debemus, juxta illud Amos 4. 11. Facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio. Porrò omne peccatum, omnis cupiditas eſt ignis, ſed maximè libido: unde de à Gnoſticis frequentata ait Sanctus Judas: De igne rapientes. Primò enim, ſicut ignis urit corpus, ita libido urit mentem, juxta illud Virgilii de Didone: Uritur infelix, & cæco capitur igne, & Ovid. lib. 1. de arte: Venus in vinis, ignis in igne. Quin & Sanctus Paulus 1. ad Corint. 7. 9. Melius eſt nubere, quàm uri. Secundò: ſicut ignis in domo ſerpit, eamque totam pervadit, & comburit; ita & libido totam hominis mentem, phantaſiam, ſenſus, membraque omnia pervadit, & depaſcitur, juxta illud Job. 31. 12. Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Tertiò: ſicut ignis à domo in domum proſerpit, ab arbore in arborem, totamque plateam, urbem, & ſylvam brevi tempore populantibus flammis occupat, & inflammat; ſic & libido unius, vel paucorum in totam viciniam, Urbem, vel Rempublicam proſerpit, eamque inſtar Æthnæ, vel Veſuvii inficit, & incendit. Quare initiis occurrendum eſt, ignisque hic in ſuo fomite, & ſcintilla eſt ſuffocandus, & extinguendus, juxta illud: Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram. Pſalm. 136. 9. Quartò, libido eſt ignis, quia igni gehennæ vicina, nil enim inter libidinoſum, & ignem gehennæ interiacet, niſi paries fragilis corporis, quo disjecto, illicò ultricibus gehennæ flammis corripitur.* Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

T*Ot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & negligentes videmus,* ajebat Sanctus Gregorius Magnus. Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo: & ideò non erit nobis excuſatio, ſi cum Cain dixerimus: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Salvemus igitur proximos, de igne rapientes, ut nobis dicit Sanctus Judas Apoſtolus, ſiquidem ille qui unicuique noſtrûm de proximo ſuo mandavit, Deus Judex eſt, qui à nobis rationem exiget, & ſcrutans Jeruſalem in lucernis, plures damnabit ob omiſſiones, quibus (dum attendere proximorum ſaluti æternæ tenebantur, & de hoc non curarunt) graviſſimè Deum ipſum offenderunt. Utinam à noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis. Quia ſerpens mordet in ſilentio, inducens homines, ut omiſſione (quæ ſtrepitum non facit, & ad quam multoties non advertitur, quæque peccatum eſt occultum, & parùm cognitum) delinquant; curemus non ſeduci à talibus inſidiis, & non gravari delictis

adeò

Digitized by Google

adeò occultis, ac incognitis; nè forte qui propriis optamus abſolvi delictis, gravemur externis, & ob peccata ab aliis ob culpam noſtræ omiſſionis commiſſa (quæ ideo nobis imputabuntur, ac ſi eſſet peccata propria) damnati inveniamur, adhuc quando judicio, & æſtimatione noſtra nihil nobis conſcii fuerimus; quia debebamus ſcire; & non ſcivimus, advertere, & non advertimus. Propter hoc David, quem poſuit Deus paſcere gregem populi ſui, ungens eum in Regem, ajebat Domino ſic: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo*; plangens omiſſiones occultas, & noſcens, quòd omiſſionibus ſuis homo facit proprias etiam alienas culpas. *Eſt conſentire ſilere, cùm arguere poſſis*, dicebat Sanctus Bernardus: & qui debet reddere rationem villicationis ſuæ, interrogabitur à Deo in judicio de frequenti, atque nociva omiſſione, nociva quidem per commiſſionem peccanti ſubdito, & noculenta quoque permittenti (ob parvum zelum) Prælato. Has iniquitates ſcrutabitur Deus ſcrutans renes, & corda, commiſſiones hinc puniens, & illinc ob omiſſiones (ex quibus oriuntur aliorum commiſſiones) pœnas juſtiſſimè infligens; niſi utrique peccatores per pœnitentiam deleverint maculas, quas per omiſſiones, & commiſſiones contraxerint. Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum: itaque levemus in directum oculos noſtros, & videamus ubi non proſtrati ſimus; proſternit ſiquidem etiam viros probos omiſſio, & zeli defectus, quos aliàs non proſtravit rerum mundialium appetitus: & ideò debemus providere noſtræ ſaluti, facientes fructus dignos pœnitentiæ, & orare Deum noſtrum, ut illuminet oculos noſtros, nè umquam obdormiamus in morte: nequando dicat inimicus noſter: *Prævalui adverſus eos*. Dœmones firmaverunt ſibi ſermonem nequam: narraverunt, ut abſconderent laqueos: dixerunt: *Quis videbit eos?* Tamen Dominus aperiens, & illuminans noſtros oculos, ut laqueos abſconditos peccatorum (præcipuè laqueum parùm cognitæ omiſſionis) videamus; eſt nobis adjutor; & nos deſpiciemus inimicos noſtros. Proximos noſtros ſalvabimus, de igne illos rapientes, nè catuli leonum rugientes, ut rapiant, gaudere poſſint, quòd fratrum noſtrorum animas rapuerint ad condemnationem æternam. Non rapiet oves quiſquam de manu Divini Paſtoris Chriſti Domini; benè erit nobis, ſi nos Chriſto voluerimus cooperari, ut fratres noſtros ſalvemus, eos rapientes de igne. Felix raptus, qui tollit ab igne vel ſemjuſtos, nè ampliùs urantur, vel proximè caſuros in ignem, nè paratum umquam experiantur incendium. Sublevenṭur illi, nè ulteriùs experiantur ignis voracitatem: & præſerventur hi, nequando experiantur globi flammæ accenſæ rigorem verè horribilem. Hi ipſi rapiantur, nè malitia mutet intellectum eorum, aut nè fictio decipiat animas illorum: nè, inquam, eos exurat flamma vitiorum, ob quorum ignes ignibus avernus urat acriùs. Ut nos verò veram charitatem (qua proximos ſalvemus, de igne rapientes) conſequi à Deo poſſimus, ſequentes duas orationes vera cum devotione dicamus.

Oratio officii Dominicæ vigeſimæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Largire, quæſumus Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.

EXPLICATIO.

Ad bonum Fidelium Dei, illis omnibus in hac Oratione indulgentiam, & pacem à Deo petimus, & exoptamus. Poſcimus ab ipſo, ut eis indulgeat, ac etiam pacem concedat. Quis reſtitit Deo, & pacem habuit? Sed, cùm jam Fideles contriti, noſcentes durum eſſe eiſdem contra ſtimulum calcitrare, Deo non reſiſtant, ſed ei humiliter dicant: *Noſtris malis offendimus tuam, Deus, clementiam: effunde nobis deſuper remiſſor indulgentiam; laxa malum, quod fecimus, auge bonum, quod*

quod poſcimus: Scrutator alme cordium, infirma tu ſcis virium, ad te reverſis exhibe remiſſionis gratiam; obtinebunt profectò ipſi Fideles pacem, quando indulgentiam, vel peccatorum acceperint remiſſionem. Non temerè depoſcit ille, qui priùs indulgentiam contritus exorat, & poſteà etiam pro adipiſcenda pace, Domino Deo noſtro humilem deprecationem præſentat: ac ſic qui non curans de remiſſione criminis, peteret beneficium pacis, jurè timere poſſet repelli; ſed agens priùs de nanciſcenda indulgentia, & poſteà de pace lucranda, valebit ſperare ambobus his bonis frui, & conſequi pacem deſideratam, poſt petitam humiliter, & comparatam feliciter indulgentiam. Flagitamus indulgentiam, & pacem Fidelibus, eo fine, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura mente deſerviant Deo noſtro; qui habitans in cœlis, Deus, & Dominus eſt infinitæ, & celſiſſimæ Regis univerſorum Majeſtatis. Intendimus igitur, per indulgentiæ, & pacis perceptionem pariter Chriſti Fideles ab omnibus peccatis mundari, & eos Deo ſecura mente impoſterùm deſervire; vel, quia eodem momento, quo fuerint indulgentiam, & pacem conſecuti, poſſunt gaudere de remiſſione criminum, ac de libertate mentis ad ſerviendum Deo debito cum honore, & magna ſecuritate: vel, quia indulgentia, & pace ditati (ſeu à peccatis liberi, ac tranquillitate pleni) tempore eodem, quo caruerint peccatorum immunditia, tribuere debent Deo debiti ſervitii obſequia. Veniat ergo à Deo pax, & miſericordia: miſericordia nobis, & pax, & charitas adimpleatur: ut eò magis ſit ardens noſtra erga Deum dilectio, quò ditiores agnoſcamur à Deo facti, indulgentiæ, & pacis bono. Sit charitas noſtra adimpleta, quantùm patiatur hæc noſtra mortalis vita, quando fuerit adimpleta nobis Dei miſericordia, indulgentiam nobis poſtulatam tribuens, & adimpleta fuerit etiam nobis pax expetita, cùm conceſſerit nobis pacem Divina clementia. Secura mente Deo ſerviemus, ſi indulgentiam, & pacem obtinuerimus per Dei largitatem, & per ipſius benignam miſerationem; quia non erit aliquid, quod nos exterreat, & à ſecura mente in Dei ſervitio, & obſequio habenda, abducat, arceat, impediat, ſive prohibeat; ſi per indulgentiæ, & pacis (quas largitus fuerit Dominus Fidelibus ſuis) conſecutionem, habuerimus conſcientiam ab omnibus offenſis, à peccatorum ſordibus, & à cunctis cum illis venientibus terroribus, mundam, & liberam: & ideò lucrati fuerimus mentem ſecuram ad ducendam in Dei ſervitio vitam perfectè Catholicam, & Chriſtianam.

ORATIO SECRETA.

Cœleſtem nobis præbeant hæc Myſteria, quæſumus Domine, medicinam: & vitia noſtri cordis expurgent. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.

EXPLICATIO.

Quid, niſi medicina cœleſtis, poterit vitia expurgare noſtri cordis? Cœleſtis eſt profectò Myſteriorum Altaris medicina: & ideò vitia cordis noſtri valent Myſteria ipſa expellere, & ab ipſis vitiis corda noſtra expurgare. Hoc intelligitur, in quantum Euchariſtia Sacra, & Sanctum Miſſæ Sacrificium à culpis levibus nos mundant, vel quatenùs per ſuam virtutem auxilia Dei, populo Chriſtiano impetrant, & facilitant, ut Fideles agant de peccatis gravibus dignam pœnitentiam per bonam confeſſionem, vel ſaltem per perfectam cum ipſius propoſito, ſive voto, contritionem: vel quatenùs ſuæ virtutis efficacia, vitia, & malos habitus vincunt, nè iterùm facilè in peccata, quæ planximus, dilabamur. Myſteria utique hæc ſacra in ſenſu prædicto poſſunt noſtra corda ſpiritualiter ſanare: ob quod valent quoque expurgationem vitiorum cordis noſtri tribuere, & largiri. Medicinam ſanè cœleſtem poſſunt nobis præbere Myſteria illa, quæ in dicto, & explicato ſenſu pollent tali efficacia, & virtute, quòd valent ſalutem dare: &, quia donum eſt è cœlo datum, quod habemus quotidie in Alta-

Altari per Miſſæ Sanctiſſimum Sacrificium; jurè appellatur cœleſtis medicina illa, quam poſſunt præbere ipſa, quæ de cœlo nobis advenerunt, Sacramenta. Quid mirum, ſi medicina cœleſtis poſſit vitia purgare, atque etiam expurgare noſtri cordis? Non eſt poteſtas terrena ad ſpiritualiter emundanda, & purificanda corda; quæ quidem ad ſui emundationem, & purificationem, Dei Omnipotentia, & cœleſti indigent omninò medicina. Tribuant ergo per Dei Miſericordiam medicinam cœleſtem cœleſtia Myſteria ad vitiorum noſtri cordis expurgationem, quandoquidem de cœlo iſta Sacramenta venerunt, ut ait Sanctus Ambroſius; & habent cordium expurgatricem, ac proinde ſpiritualiter medicinalem, virtutem, quia à cœlo ducunt originem. Tractemus igitur iſta Myſteria ſacra, ut à cœlo deſcendentia, & ut nobis obvenientia à noſtra cœleſti Patria, utque nobis in Altari appropiantia quotidie ad noſtrum bonum, quamdiù præſens durat vita. Quò pluris adeò ſupernam, utpote cœleſtem, pendderimus medicinam, & quò meliùs ea uſi fuerimus, eò uberiores, & numeroſiores capiemus, Deo dante, medicinæ ejuſdem fructus.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

SUſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos, oriens ex alto. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

VEnérabilis Beda apud Catenam Auream Sancti Thomæ ſic explicat: *Suſcepit Iſrael, &c. Iſrael namque dicit non materialem, quem ſola nobilitabat appellatio; ſed ſpiritualem, qui nomen fidei retinebat, habens oculos tendentes ad Deum videndum per fidem. Poteſt etiam ad Iſrael carnalem hoc adaptari, cùm ex eo infiniti crediderunt. Hoc autem fecit recordatus miſericordiæ ſuæ.* Hugo Victorinus ait: *Suſcepit Iſrael, &c. ſuſcepit ſicut medicus ægrum, Iſrael puerum ſuum, populum, videlicet ſuum: Iſrael puerum, id eſt, humilem, & innocentem, ſuſcepit: ut ſanaret infirmum, ut redimeret captivum, ut juſtificaret impium, ut ſalvaret juſtum. Suſcepit Iſrael, quem non invenit Iſrael; ſed, ut faceret Iſrael, ſuſcepit Iſrael puerum ſuum. Recordatus miſericordiæ ſuæ. Quam olim promiſerat; ſed diu diſtulerat: tandem exhibebat.* Toletus dicit: *Suſcepit Iſrael, &c. Hæc eſt tertia pars Cantici, in qua Beata Virgo narrat, quomodò poſt tot beneficia illi populo facta, tandem carnem induit Deus ex illo, ſicut miſericorditer promiſerat. Suſcepit, inquit, Iſrael puerum ſuum, id eſt, carnem ſumpſit de populo illo ſervo, ſcilicet, in quo cultus, & religio ejus perſeverabat. Recordatus, inquit, miſericordiæ ſuæ. Miſericordia hæc eſt, qua humanam naturam ſumere decrevit. Verbi Incarnatio ſummæ miſericordiæ Dei beneficium eſt, & argumentum; de qua dictum eſt Pſalm.* 88. *Miſericordiam meam non diſpergam ab eo: & Pſalm.* 50. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam: per quamdam enim antonomaſiam, dicta eſt miſericordia; quia Verbum carnem fieri pro nobis ſummum fuit miſericordiæ opus, & quòd de Judaica gente caro ſumpta eſt, eximiæ clementiæ erga populum illum argumentum, non ex ullis illius gentis, aut cæterorum hominum præcedentibus meritis. Dicitur autem Deus recordatus hujus miſericordiæ, non quòd umquàm oblitus fuerit, ſed quòd multum temporis interceſſerit ab eo, quando Deus miſericordiam hanc faciendam ſignificavit, uſque ad illud, quando facta eſt. Quidam ſic interpretantur: Suſcepit Deus Iſrael puerum ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ ſuæ. Quæ interpretatio non videtur probanda: nam, ſi particula (ut) ſignificat finalem cauſam, apertum eſt, Deum non ſuſcepiſſe Iſrael eo fine, & cauſa, ut recordetur miſericordiæ ſuæ: ſi autem ſignificet conſecutionem, nec ſic accommodabitur, quia non ex eo, quòd ſuſceperit, conſequitur eum recordatum eſſe, ſed potiùs, ex eo, quòd*

recordatus eſt, conſequitur ſuſcepiſſe. Legitima eſt ergo expoſitio, Deum recordatum promiſſionis antiquæ, quam ex miſericordia fecerat, ſuſcepiſſe carnem ex Iſrael, ut hæc duo concomitantiam, & conjunctionem quamdam ſignificent. Quidam hanc ſuſceptionem ad auxilium, quod illi populo depreſſo præſtitit, referunt. Hoc tamen minus aptè dici, verba ſequentia indicant: Sicut, inquit, locutus eſt ad Patres: quæ oſtendunt hanc ſuſceptionem eſſe adventum Verbi in carnem, quam de illo populo ſuſcepit, ſicut multò antè promiſerat. Hic ſenſus quadrat inſtituto præſenti; cùm enim Eliſabeth meminerit adventus, & Incarnationis hujus, æquum videbatur, Beatam Virginem eum comprobare, ſicut cætera verba ab Eliſabeth dicta comprobaverat, eò maximè, quòd Chriſti Mater eſt prædicata, ac ipſa in hoc Cantico Deum magnificabat, beneficiaque populo Judaico à Deo facta referebat. Quæ omnia ad hoc ultimum, & omnium maximum, nempe, carnis ſuſceptionem, tendebant. Sylveira ait: *Suſcepit Iſrael, &c. Poſtquàm Sanctiſſima Virgo declaravit opera gratiæ, miſericordiæ, ac juſtitiæ novi Teſtamenti: veteris adimpletionem ſubjungit conſummatam in hoc Incarnationis myſterio. Suſcepit Iſrael, id eſt, auxiliatus eſt Deus, ſeu protexit; hanc enim vim habet in ſua radice. Aliqui hic per Iſrael intelligunt Gentiles, quibus favet Theophylactus. Iſrael enim, id eſt, videns Deum; & in hoc ſenſu populus Chriſtianus dicitur Iſraeliticus, quia oculo fidei Deum videt. Sed cum hoc obſtant ſequentia verba: Sicut locutus eſt ad Patres noſtros; ubi expreſsè ſermo dirigitur ad populum Judaicum; ut tenent communiter Patres. Hugo ita explicat hæc verba: Suſcepit Iſrael, id eſt, populus Judaicus ſuſcepit puerum ſuum Jeſum ſibi promiſſum. Sed hoc obſtat cum communi expoſitione, & cum germana radice, quæ, Iſrael, conjungit cum, Puero ſuo. Communis ergo ſententia eſt, quòd Deus induendo carnem humanam (de hoc enim myſterio loquebatur Virgo) auxiliatus eſt ſervo ſuo Iſrael. Dicitur puer, quia erat valdè debilis in fide, vel rudis in myſteriis ſupernaturalibus. Recordatus miſericordiæ ſuæ. Et quamvis in Deo propriè nec ſit oblivio, nec recordatio, Scriptura tamen loquitur more humano; quia, dum homo adimplet id, quod multò anteà promiſerat, dicitur recordari. Et nota cum Divo Bonaventura hic, quòd primò præmittitur promiſſionis impletio, quæ facta eſt, dum Deus incarnando ſuſcepit Iſrael: & poſteà ſequenti carmine de promiſſione eſt ſermo: Sicut locutus eſt, &c. Quia ex Divina veritate tam conjunctum eſt unum cum altero, ut adimpletio operis antecedat quodammodò illius promiſſionem.* Barradas inquit: *Suſcepit Iſrael, &c. Suſcipere in Divinis Litteris, ſignificat auxilium ferre, & ſuſceptor auxiliatorem, vel defenſorem. Pſalm. 17. Dextera tua ſuſcepit me, id eſt, auxilium mihi tulit, me defendit. Pſalm. 90. Dicet Domino: Suſceptor meus es tu, id eſt, defenſor, & auxiliator. Pſalm. 3. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, &c. Idem hoc ſignificat loco: Suſcepit Deus Iſrael puerum ſuum, id eſt, ſervum ſuum defendit, opem attulit per Incarnationem Pſalm. 3. quo loco legimus: Tu autem Domine ſuſceptor meus es, Hebraicè eſt Magem, id eſt, Protector, vel Clypeus; ideòque Hieronymus vertit: Tu autem Domine Clypeus circa me. Equidem per Incarnationem factus eſt clypeus noſter Chriſtus. Etenim Divinæ juſtitiæ, utiliſſimum ſcutum ſeſe oppoſuit, Divinæ iræ ictus recepit, vulneraque à nobis repulit. Hunc clypeum infelices Iſraelitæ abjecerunt, ideòque omnibus hoſtis vulneribus patent. Recordatus miſericordiæ ſuæ. Cajetanus, & Janſenius volunt Interpretem vertiſſe in hunc modum: Memorari miſericordiæ ſuæ. At veram lectionem eſſe: Recordatus miſericordiæ ſuæ, conſtat ex emendatione Vulgatæ Editionis: quamvis enim Græcè ſit: Recordari, vel: Ut recordaretur miſericordiæ, rectè tamen vertitur: Recordatus. Senſus autem eſt: Suſcepit per Incarnationem populum ſuum, recordatus, vel, ut recordaretur miſericordiæ ſuæ. Inculcat Virgo miſericordiam: ut enim ait Divus Leo ſerm. 1. de jejunio decimi menſis; Cauſa reparationis noſtræ non eſt, niſi miſericordia Dei, &c.*

Pro: *Benedictus*.

CORnelius hæc habet: *Sanctus Hieronymus in Zachar. cap. 6. tò Oriens interpretatur germen, per quod Chriſtum intel-*

telligit. Ipſe, ait, qui Jeſus appellatur, eo, quod ſalvaverit mundum, & Oriens dicitur, quia in diebus ejus orta eſt juſtitia: & canitur in Pſalmo: Veritas de terra orta eſt, eo, quòd de utero Virginali in conſummatione ſæculorum generatus, dixerit: Ego ſum veritas. Et poſt pauca: Iſte igitur, qui noſtris virtutibus coronatus eſt, orietur, & appellabitur Oriens: ad quem locutus eſt Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te, juxta illud Iſai 11. 1. Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. At verò alis Patres rectè quoque tò: Oriens interpretantur ſolem ex alto, ſcilicet, cœlo orientem, per quem intelligunt Chriſtum, qui eſt lux mundi, ideòque in terra natus eſt, ut per carnem ſit quaſi Sol tranſparens, & illuminans omnem hominem ad eum venientem. Ita Beda, Theophylactus, Euthymius, Titus hic, & Sanctus Gregorius lib. 20. in Job, cap. 18. cujus verba ſunt hæc: Nam quia ab Oriente lux ſurgit, rectè Oriens dicitur, cujus juſtitiæ lumine noſtræ injuſtitiæ nox illuſtratur. Bedæ: Qui ideò rectè Oriens vocatur, quia nobis ortum veræ lucis aperiens, filios noctis, & tenebrarum lucis efficit filios, juxta id, quod conſequenter exponit Zacharias: Illuminare his, qui in tenebris, &c. Sic & Sanctus Chryſoſtomus homil. in illud Zachariæ: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Euſebius lib. 7. de Demonſtrat. in nona. Sanctus Athanaſius tract. in illud: Omnia mihi tradita ſunt. Origenes hom. 13. in Leviticum. Utroque ergo modo tò: Oriens, hic accipi debet, ut alludat ad ortum tum germinis, tum ſolis. Chriſtus enim eſt germen ſolare, & cœleſte: idem viciſſim eſt Sol germinans, & naſcens ex Virgine in terra, ut dixi. Maldonatus ait: *Per viſcera, &c. Viſcera miſericordiæ vocat per Hæbraiſmum miſericordiæ plena, aut miſericordiam non fictam, & vanam, ſed ex intimis Dei profectam viſceribus. Jungenda autem hæc verba ſunt cum præcedenti verbo: In remiſſionem peccatorum eorum. Docet enim, Joannem non tradidiſſe populo ſcientiam, quam ipſe ſuis meritis, ſed qua Divina miſericordia, & gratia peccata remitterentur, ut Theophylactus, & Euthymius exponunt. In quibus viſitavit vos. Propter quæ viſcera miſericordiæ viſitavit nos. Viſitavit nos, Venit, ut redimeret nos. Oriens ex alto. Vocat enim Chriſtum tacitè ſolem, ejuſque ad nos adventum Solis ortum. Quòd autem addidit ex alto, ſignificat Zacharias, primam originem Chriſti non ex terra, ſed ex cœlo fuiſſe, quia non ex viro, ſed ex Spiritu Sancto conceptus fuerat, & non homo tantùm, ſed Deus, & homo erat; Deus de cœlo, homo de terra, id eſt, de utero Virginis natus. Sic enim veteres Auctores interpretantur illud Pſalm. 84. 12. Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit. Itaque, cùm dicit: Ex alto, non modò ſoli iſti communi, ſed cæteris etiam hominibus, qui ex terra ſola, quoad corpus attinet, originem trahunt, tacitè Chriſtum opponit.* Toletus ait: *Per viſcera, &c. Quidam exiſtimant, dici viſcera miſericordiæ, ad ſignificandam veram, & ex intimo corde miſericordiam: ſunt enim qui effectu miſerentur, quia miſeriis indigentium ſubveniunt; tamen non ex affectu, & cordis miſericordia, ſed humanis rationibus ducti: hi miſericordiam præſtant, ſed non miſericordiæ viſcera habent; Deus autem noſter non effectu ſolùm, ſed affectu, non quidem paſſionis, ſed ſimplicis voluntatis miſertus eſt noſtri, noſtramque ſalutem operatus eſt. In quibus viſitavit nos, &c. Dicimus, Oriens eſſe legendum, quod Soli competit, & Chriſtum Solem juſtitiæ ſignificat, rectèque Zachariam noſtrum hoc uſum eſſe vocabulo, ut primordia Chriſti advenientis ſignificaret.*

Pro: *Nunc dimittis.*

Sylveira ait: *Lumen ad revelationem, &c. Quarè dicitur gloria Iſrael? Reſpondent primò Euthymius, Theophylactus, Beda. Quia ex Iſraelitis Chriſtus eſt progenitus, ex eorumque genere carnem ſuſcepit. Secundò, quia ſuam illis præſentiam præbuit, multaque apud eos operatus eſt miracula. Tertiò, quia, ut ait Beda, Deus prophetias populo promiſſas adimplevit, ac eorum ſpem, quam per longa habebant ſecula, non eſſe vanam, confirmavit: & magnæ gloriæ, ac jucunditatis eſt, rei longè ſperatæ poſſeſſio. Quartò, Titus Boſtrenſis alteram addit cauſam, quia multos ex Iſrael in cœleſtem gloriam evexit. Et Carthuſianus: Quia antiquos Patriarchas ex Limbo ad gloriam tranſ-*

tranſvexit. At ratio quarta non videtur multùm efficax; quia magna per Chriſtum Gentium multitudo eſt ſalvata: imò multò plures ex Gentibus, quàm ex Judæis. Et, ut dicam quod ſentio; per Iſrael non intelligo Iſraeliticum populum, ſed eum Divo Chryſoſtomo Orat. de Occurſu Domini, & Theophylacto, illi ſignificantur, qui ſunt verè Iſraelitæ, quique converſi ad Dominum Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam confeſſi ſunt. Et horum dicitur Chriſtus Dominus gloria. Maldonatus inquit: *Lumen, &c. Chriſtum lumen appellari valdè eſt in Sacris Litteris uſitatum Joan. 1. 9. & 8. 12. & 9. 5. & 12. 35. 36. 46. Quòd autem ad revelationem gentium, non Iſrael; ad gloriam verò Iſrael, non gentium, dixerit, credendum eſt, non temerè factum eſſe, ut multi Auctores boni notaverunt. Cauſa non fuit, quod gentes in tenebris, Judæi in lumine verſarentur. Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum; & Judæis dictum fuerat quaſi jacentibus in tenebris: Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, Iſai. 60. 1. ſed, quòd Judæi, ſi cum gentibus comparentur, in luce fuiſſe videri poſſint, quia unius, verique Dei cognitionem, venturique Chriſti fidem habebant.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

SUſcepit Iſrael, veri Jacob Chriſti Domini filios, ſuſcipiens manſuetos Dominus, dans per viſcera ſuæ miſericordiæ illis ſcientiam ſalutis; & viſitavit nos oriens ex alto illud lumen ad revelationem gentium paratum, illa lux, quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Simus ergo veri Iſraelitæ, ad videndum Deum, & ad capiendam terram veram promiſſionis, nempe Patriam cœleſtem, Sion (in qua videbitur Deus Deorum) per manſuetudinem parati, ut nos ſuſcipiat Dominus pueros ſuos; ſuſcipit enim manſuetos. Quia appropinquaverunt viſitationes urbis, hoc eſt, quia frequenter viſitat nos Deus (civitates animarum noſtrarum honorans per ſuæ gratiæ auxilia) tergat ſordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis, ut eam & ipſe poſt veniens per amoris ſui præſentium illuſtret, ait nobis Sanctus Gregorius Magnus. Et quoniam lumen verum eſt Chriſtus, dicamus cum ſacro hymno: *Nox, & tenebræ, & nubila, confuſa mundi, & turbida: lux intrat: albeſcit polus: Chriſtus venit: diſcedite. Caligo terræ ſcinditur percuſſa Solis ſpiculo, rebuſque jam color redit, vultu nitentis ſideris. Te, Chriſte, ſolum novimus, te mente pura, & ſimplici, flendo, & canendo, quæſumus, intende noſtris ſenſibus. Sunt multa fucis illita, quæ luce purgentur tua: tu vera lux cœleſtium vultu ſereno illumina.* Quis non cupiat à miſericorditer ſuſcipiente Deo ſuſcipi? Quis non aſpiret favorabiliùs à Rege iterùm, & iterùm viſitari? Quis non anhelet, ut ampliùs à magno illuſtretur lumine? Ergo qui ſuſcipi à Deo deſideramus, non contra illum, qui manſuetos ſuſcipit, per iram, & ſuperbiam rebellemus. Qui optamus viſitari à Rege Divino, nihil agamus, quo deterreamus eum à tali nobis facienda viſitatione. Qui appetimus illuſtrari à lumine ad revelationem Gentium parato, nempe, Chriſto, quem ſcimus à tenebris abhorrere, curemus totis viribus tenebras vitiorum, & peccatorum à nobis fugare toto vitæ noſtræ tempore. Miſericorditer ſuſcipiemur, Communionem recipientes in Sacro Altari, à Chriſto accepto ibi à nobis, ſi nos invenerit pueros ſuos, hoc eſt, veros ejus ſervos. Viſitabit nos in viſceribus miſericordiæ ſuæ, niſi in nobis invenerit impedimenta obſiſtentia ſuæ gratiæ. Lumen Chriſtus in nobis fulgere dignabitur, ſi nos tenebras anteà cum ejus adjutorio à nobis expulerimus, & peccata toto conatu cordis oderimus. Suſcipiet nos juxta menſuram noſtræ diſpoſitionis ad Sacram Euchariſtiam capiendam. Viſitabit nos ſecundùm noſtram præparationem ad Sacri Altaris menſam frequentandam. Illuminabit nos lumen Sacramentale, juxta curam à nobis nos emundandi antehabitam, & in nobis tempore Communionis Sanctæ inventam. Horum non

obli-

obliti, Dei auxilium, ut præſens Euchariſtiæ acceptio ſit ad iterùm eam accipiendam diſpoſitio, imploremus; ac ſequentem Orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Ut ſacris, Domine, reddamur digni muneribus: fac nos, quæſumus, tuis ſemper obedire mandatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.

EXPLICATIO.

QUi quærimus eſſe ſacris muneribus digni, non negligamus Dei ſemper mandatis obtemperare. Si venerit à Deo nobis ſpiritus obediendi ſemper Divinis mandatis, noſque ſemper non deſtiterimus cooperari votis, quæ Deus habet, noſtræ æternæ ſalutis; conſequenter conſtituemur digni muneribus ſacris. Dignos non ſe ſacris muneribus reddunt, imò dignificari à Deo muneribus Sacris reſpuunt, qui ſeipſos ad obſervantiam Dei mandatorum jugiter non accingunt. Sed qui iter mandatorum Dei alacriter, & fortiter percurrendum arripiunt, ipſi ad felicitatem merendi Sacra pignora, & munera Sacramentorum (in quantum illi hæc mereri poſſunt) perveniunt. Gratia quidem Dei, qua ille nos juvat ad ſuorum mandatorum impletionem, operatur in nobis, quòd eſſe poſſimus digni muneribus ſacris; quibus nòn poſſemus eſſe digni (pro noſtra debili, & vitiata natura) à legis Dei plena, & jugi abhorrentes obſervantia. Ergo grati Deo ſimus, & jugi præconio laudis adeò benignum benefactorem noſtrum efferamus, ac exaltemus, ſiquidem nos juvans ad mandata ſua implenda; ea obſervantia ipſa noſtra, dat ille nobis poteſtatem, ac dignitatem ad ſacra accipienda munera. Utinam non deficiat à nobis mandatorum Dei prompta, & continua obedientia, qua digni reddamur accipiendi ſacra munera, vel Sacramenta Divina. Sine ſpiritu obedientiæ mandatorum noſtri Domini, potiùs erimus mortui, quàm infirmi; ſed erimus ſanitate valentes, ſpiritu vitæ veræ reſpirantes, ac proinde feliciter viventes ad vivorum Sacramenta percipienda, ſi acti, animati, & moti fuerimus ſpiritu ſemper obediendi voluntati Domini noſtri, & obtemperandi ſuæ ſanctiſſimæ legi. Viam ergo ſternat (ut perveniamus ad munerum ſacrorum percipiendorum dignitatem) noſtra cum Dei adjutorio cura adimplendi omnia ea, quæ nobis ſunt juſſa ab ipſius Dei Majeſtate ſuperna. Et, cùm ſequatur ſacra munera accipiendi dignitas perfectam Dei legis obſervantiam, nè ſimus erga mandatorum Dei adimpletionem pigri, qui ſoliciti ſimus de ſacrorum munerum accipiendorum obtinenda dignitate. Aſſumamus medium obſervantiæ Dei mandatorum, qui finem intendimus dignitatis ſacrorum munerum ſumendorum conſequi; nè fortè velleitatis arguamur volentes finem ſine mediis adipiſci: ſed ſeria voluntate, & efficaci deſiderio præditi noſcamur, ſervantes mandata Divina, ut digni ſimus, qui Sacra accipiamus munera.

CA

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM

Pro Dominica vigeſimaprima poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ vigeſimæprimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Aliis autem miſeremini in timore.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Cùm autem reſipuerint, eos commiſereamini.* Æthiopicus: *Et eſt, quem ſervabit, videlicet timentem, & reſipiſcentem.* Alter Syriacus: *Cùm verò pœnitentiam agunt, miſeremini ſuper illos in timore.* Arabicus: *Et redimite eos.* Sanctus Hieronymus: *Aliorum verò, qui judicantur, miſeremini.* Alter Arabicus: *Quibuſdam miſericordiam facite, quando ſunt in judicio, vel contradictione, aut quando jurè, vel juridicè corripiuntur.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Vel quos in peccato obſtinatos videtis, miſeremini: dolentes quòd non poteſtis eos ſalvare. Miſeremini pœnitentibus proximis.* Gloſſa Ordinaria: *In timore: Hoc ad tria illa adjungendum eſt. Nam & apoſtatas eùm quiſque arguit, & damnabiles oſtendit, in timore debet arguere, nè fortè ſibi, ſuiſque aliquid tale contingat, & qui de incendio vitiorum alium caſtigans eripit, timeat, nè & ipſe tentetur: & qui pœnitenti proximo miſeretur, circumſpiciat, nè fortè plùs juſto, vel ſeverus exiſtat, vel pius.* Hugo Cardinalis: *Aliis autem miſeremini, id eſt, illis, qui non ſunt obſtinati: eùm adhuc nolunt peccata dimittere, debetis compati, & condolere, quòd non poteſtis eos corrigere. Vel: Aliis, id eſt, pœnitentibus, miſeremini, leniter inſtruendo, & eorum onera ſimul cum ipſis per compaſſionem, portantes. Galat. ult. a. Alter alterius onera portate. Et hæc omnia facite in timore. Unde Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis; conſiderans te ipſum, nè & tu tenteris.* Nicolaus de Lyra: *Aliis autem, ſcilicet, peccatoribus, qui non ſunt hæretici. Miſeremini. Eis compatienter, & ad emendationem eorum laborantes. In timore; nè fortè contingat vos ſimiliter peccare.* Menochius: *Aliis autem miſeremini in timore. Alios jam nutantes, & in interitum propenſos; non ſine caſto timore, commiſeratione complectimini.* Tirinus: *Aliis autem, ſeductis quidem, ſed jam reſilientibus, ac pœnitentibus, miſeremini, & miſericorditer in gratiam, & gremium Eccleſiæ recipite: timore tamen aliquo ipſis incuſſo gravioris pœnæ, tum in hac, tum in altera vita ſubeundæ, ſi rurſus in errorem ſe abduci ſinant.* Lorinus ſic loquitur: *Aliis autem miſeremini in timore. Miſericordiam demonſtrare oportet, & viſcera ipſa benignitatis eum, qui velit alienæ mederi ægritudini, & in valetudinem animæ reſtituere: idque in timore, id eſt, cum quadam veluti reverentia; tum versùs Deum, tum versùs imaginem illius, quam frater peccato ſuo turpavit. Sic alicubi Chryſoſtomus lacrymari præcipit, qui velit fratrem ſuum corrigere; quod feciſſe legimus Ambroſium, Eligium, Hugonem Gratianopolitanum, & Dominicum; quia, videlicet, pœnitentes, quorum audiebant peccata, ipſi ſuiſmet, ex ſympathia erga illos, lacrymis ad lacrymas adigebant, amantes in latronibus etiam animas, ut Auguſtinus loquitur. Certè nullum eſt peccatum, quod umquàm fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi Creator deſit, inquit Auguſtinus, à quo factus eſt homo. Unde ſtanti videndum nè cadat; & quivis conſiderare debet ſe ipſum, nè ipſe tentetur.* Hucuſque Lorinus. Corne-

Digitized by Google

nelius hæc habet: Aliis autem miſeremini in timore. Hæc jam deſunt in Græco, in quo proinde bimembris eſt ſententia, cùm in Latino ſit trimembris. (Scilicet: Et hos quidem arguite judicatos: illos verò ſalvate de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore.) Senſus ergo ejus eſt: Quaſi dicat (Sanctus Judas): Ipſos hæreſis doctores acriter arguite, quaſi tam ſuo, quàm Dei, & hominum judicio condemnatos, ut ceteri timeant: eorum verò diſcipulos partim timore, partim miſeratione, & clementia pro cujuſque indole ad fidem reducite. Secundo, alii trimembrem hanc ſententiam ita explicant. Quaſi dicat: Manifeſtos hæreticos palàm arguite: eos verò, qui adhuc integri ſunt, & ſani in fide, incolumes ſervate, & quaſi ab incendio eripite: alios deniqne jam nutantes, & in interitum propenſos, non ſine caſto timore, commiſeratione complectimini. Tertiò, alii tres hîc peccatorum gradus diſtinguunt: primum in hæreſi, & peccato obſtinatorum: hos acriter argui, durèque increpari jubet Judas æquè ac Paulus ad Tit. 2. verſ. 15. Secundum, qui decepti in hæreſim, & peccatum inciderunt ex ignorantia, vel infirmitate: hos jubet de igne rapi. Tertium, qui pœnitentes culpam agnoſcunt, veniamque poſtulant: horum miſereri, eoſque miſericorditer in gratiam, & gremium Eccleſiæ recipi jubet. Omnia hæc probabilia ſunt. Moraliter. Docet hîc Sanctus Judas, quàm animarum, etiam infidelium, & hæreticorum, ſaluti incumbere debeamus, idque exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, qui ſe, & omnia ſua pro animabus ſalvandis impenderunt. Empti eſtis pretio magno, ait Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 20. Vide, & obſtupeſce, quàm pretioſa ſit anima quælibet; eam enim emit Chriſtus pretio ſanguinis ſui. Pretium itaque animæ eſt Sanguis Chriſti: ergo ipſa anima valet Chriſtum, Chriſtique ſanguinem. Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt, ait Sanctus Bernardus Epiſt. 54. & Sanctus Chryſoſtomus homil. 3. in Epiſtolam 1. ad Corinth. Nihil eſt, ait, quod animæ poſſit æquiparari, nè univerſus quidem mundus. Itaque etſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi converteris animam. Quocircà Sanctus Dionyſius Cœleſt. Hierarch. cap. 3. Divinarum omnium perfectionum, ait, diviniſſima eſt perfectio, Dei cooperatorem eſſe, nimirùm, in reductione animarum ad ſuum Creatorem, uti interpretatur ibidem Dionyſius Carthuſianus. Docet Sanctus Judas, hunc animarum zelum debere eſſe junctum cum viſceribus miſericordiæ, cùm ait: Aliis autem miſeremini. Non enim peccatoribus indignari debet, qui eos ſalvare ſatagit, ſed peccato: peccatorum verò miſereri; ſicut Medicus phrenetico non indignatur, nec eum impugnat, ſed ejus phreneſim. Unde Sanctus Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Apoſtoli: Si per charitatem, inquit, imponitur diſciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quàm medicus ferens ferramentum? Plorat ſecandus, & ſecatur: plorat urendus, & uritur. Non eſt iſta crudelitas: ſævit in vulnus, ut homo ſanetur: quia ſi vulnus palpetur, homo perditur: & Sanctus Chryſoſtomus homil. in illud Pſalm. 9. Patientia pauperum non peribit in finem: Charitas, ait, ſervetur, & protervus homo increpetur: lingua clamet, & cor amet: quia clamor iſte, etſi clamat, intùs amat: & Sanctus Baſilius in Regulis brevioris interpret. 296. indicium boni animarum curatoris aſſignat, ſi adverſus peccatores admirabilem illam, & horrore plenam ſanctorum virorum miſericordiam imitatus ſit. Huc facit quod monet Philo lib. de Sacrificio Cain, & Abel. Conandum eſſe, ut etiam certò perdendos à ſuis vitiis, quantùm poſſumus, ſervemus, tum, ut noſtro officio perfungamur, tum, ut minùs peccent, minùſque damnentur, atque ita imitemur bonos medicos, qui etſi videant ægrum ſanari non poſſe; omnem tamen ei curam adhibent, nè officio ſuo defuiſſe videantur. A medico enim, & paſtore requiritur cura, non curatio, utpote cùm morbus non rarò ſit incurabilis. Miſeremini in timore. Proponendo eis pœnas inferni, æquè ac temporales, quæ eis timorem incutiant, ut ſe convertant; vel potius: In timore. Quaſi dicat: Timendò, nè ſi immiſericordes, & duri ſitis in prolapſos, aut imprudenter cum eis agatis, vos quoque in idem, ſimilevè peccatum, deſerente Deo, prolabamini, itaque viciſſim Deum immiſericordem, & durum in vos experia-

periamini, juxta parabolam ſervi rigidè a conſervo exigentis omne debitum, Matthæi 18. 33. *Rurſum: In timore, id eſt, cum quadam velut reverentia tum verſus Deum, tum verſus imaginem illius, quam frater peccato ſuo turpavit. Ita noſter Lorinus. Minùs rectè aliqui to: In timore, referunt ad Odientes, quod ſequitur.* Hucuſque Cornelius à Lapide.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

CUm præoccupatur homo in aliquo delicto, multoties nos, quia ſpirituales eſſe non curamus, illum fratrem noſtrum in ſpiritu lenitatis non inſtruimus. Audiatur Sanctus Gregorius Magnus: *Vera juſtitia compaſſionem habet, falſa juſtitia dedignationem: quamvis & juſti ſoleant rectè peccatoribus dedignari. Sed aliud eſt quod agitur typo ſuperbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ. Dedignantur etenim, ſed non dedignantes: deſperant, ſed non deſperantes: perſecutionem commovent, ſed amantes: quia etſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intùs tamen dulcedinem per charitatem ſervant. Præponunt ſibi in animo ipſos plerùmque quos corrigunt: meliores exiſtimant eos quoque, quos judicant. Quòd videlicèt agentes, & per diſciplinam ſubditos, & per humilitatem cuſtodiunt ſemetipſos. At contrà hi, qui de falſa juſtitia ſuperbire ſolent, ceteros quoſque deſpiciunt; nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt: quò ſe peccatores eſſe non credunt, eò deteriùs peccatores fiunt.* Hucuſque Sanctus Gregorius. Qui igitur eum audivimus, appetamus veræ juſtitiæ adquirendæ vacare: & paveamus à juſtitia falſa neſciente compaſſionem poſſideri. Hortatur nos Sanctus Judas, ut peccatoribus miſereamur in timore. Beatus vir, qui ſemper eſt pavidus: & ſi de noſtris fuerimus pavidi conſcientiis, & qui ſtat videtit, nè cadat, quamdam beatitudinem per iſtum obtinebimus pavorem; dedignationem ſuperbam (ideò peſſimam) ſuperantes, & compaſſionem humilem proximorum labentium (optimam, & verè Chriſtianam) induentes. Miſereamur aliis in timore; ita ut timor noſtri caſus opus veræ charitatis erga proximum delinquentem in nobis excitet: ac ſic transferemur de morte ad vitam, noſtros diligentes fratres. Qui dum delinquimus, non ſpiritu ardoris ſuperbi, ſed in ſpiritu lenitatis benignæ volumus inſtrui; proximis noſtris culpis prægravatis miſereamur in timore. Timor nos elevabit ad charitatis ſphæram ſuavem; & crudelitas nos poterit dejicere, ac detrudere in barathrum, tum peccatorum, tum ſuppliciorum, horribiliter punitos, & à vita æterna perenniter ſeparatos. Eadem menſura, qua menſi fuerimus, remetietur nobis, ſi excolantes culicem, camelum deglutimus, & ſi videntes feſtucam in proximi oculis, trabem, quæ in noſtris eſt, non videmus. Ergo proximis noſtris miſereamur in timore: & ſic miſerentes reddamur digni, qui à Deo exaudiamur in his, quæ ab ipſo in duabus ſequentibus depoſcimus orationibus.

Oratio Officii Dominicæ vigeſimæprimæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

FAmiliam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi: ut à cunctis adverſitatibus, te protegente, ſit libera: & in bonis actibus tuo nomini ſit devota. Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

FElix quidem eſt Dei familia, quæ tanti Domini ſperat ſecura ſe fruituram cuſtodia. Nihil nocere valebit ei, quem Deus cuſtodit: itaque de nulla adverſitate poterit jurè formidare ille, qui obtinuerit à Domino cuſtodiri. Omnia mala fugiunt ab eo, qui ſe invenit Dei cuſtodia munitum, & vallo Dominicæ protectionis circumſeptum. Ideò hodie ſperantes petimus, & petentes ſperamus: quia, dum ſperamus à Domino cuſtodiri, ejus cuſtodiam depoſcimus: & quando à Deo noſtro cuſtodiam flagitamus, jam de gratiæ hujus conſecutione, ac de ipſius cuſtodiæ confidimus inte-

integra ſecuritate. Cuſtodit familiam ſuam quilibet nobilis herus: cuſtodiet utique noſter Deus, & Dominus, qui nobilitate omnes Dominos vincit, & largitate providentiæ cunctos heros, etiam optimos, excedit. Qui à Domino Deo noſtro, ut ſuam familiam cuſtodiat, hodie requirimus; eamdem ab illo cuſtoditam, noſcimus, futuram eſſe ſecuram, atque devotam; ſecuram profectò, quia tali cuſtodia munita, erit ab adverſitatibus cunctis libera: & devotam, quia bonis actionibus erit, apparebitque applicata. Quem Deus cuſtodit, liberandum eſſe à cunctis adverſitatibus, credimus; ſed taliter cuſtoditum debere devotum eſſe per applicationem ad benè operandum, noſcimus. Itaque petimus, Deum continua pietate ſuam familiam cuſtodire; ut familia ipſa, ſicut à timore adverſitatum cunctarum remanebit per tantam cuſtodiam libera, ita cuſtodita, appareat Deo per bonam operationem dicata. Voveat, & devoveat Deo ſe familia ejus benè operando (optimi Domini tota applicata ſervitio, tota mancipata obſequio,) quæ per protectionem, & cuſtodiam continuam Dei pietatis à cunctis noſcit ſe liberatam adverſis: &, ſi de omnibus adverſitatibus, Deo eam protegente, triumphat, benè ſemper operetur; ac Dei juſſa cuſtodiens, quotidie nomini Domini ſit, & appareat magis devota, & ſic conſiſtat etiam quotidie magis ſecura. Dei cuſtodiam firmiſſimam, & continuam liberatio ipſius familiæ Dei à cunctis adverſitatibus prædicat: ergo devotio in bonis actibus erga nomen Domini, patefaciat gratitudinem ejuſdem Dei familiæ, & illam deſiderare Deo pro tantis beneficiis aliquam dare retributionem, oſtendat, manifeſtet, & inſinuet; quia æquum non erit reperiri in Dei ſervitio ejus familiam ſegnem, pigram, & ſocordem, quando illa videt Dominum adeò circa ejuſdem cuſtodiam addictum, & ſervando, ac cuſtodiendo ipſam maximoperè continua ſua pietate applicatum. Non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael: ergo familia ab illo cuſtodita vigilantiæ incumbat, & à ſomnolentia, atque negligentia in Dei obſequio abhorreat: ut vigilanti Domino, vigilanter obſequatur; & continua pietate cuſtodienti, diligenter, & jugiter famuletur.

ORATIO SECRETA.

Suſcipe, Domine, propitius hoſtias: quibus & te placari voluiſti, & nobis ſalutem potenti pietate reſtitui. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, &c.

EXPLICATIO.

Hodie Deum, & Dominum noſtrum oramus, ut hoſtias illi oblatas ſuſcipere dignetur propitius. Petimus, ut propter ſuam infinitam bonitatem nobis dignetur favere, nos, qui meritum in nobis non valemus reperire. Dicimus, quòd Deus voluit ſe hoſtiis, quas in Altari offerimus, placari, & ſalutem nobis per eaſdem hoſtias potenti virtute reſtitui. Ergo Deo offerimus id, quod ille nobis dedit, ut poſſit eſſe placatus; quia, ſi ipſe res, quibus eum placare valeremus, non dignatus fuiſſet nobis concedere, nihil haberemus, quo illum poſſemus placare. Habemus jam Dei dona ad eum placandum apta, & ad reſtituendam nobis potenti virtute ſalutem, efficacia, & opportuna: nam, quia carebamus virtute potenti, ut per eam ſalus nobis perdita reſtitueretur, voluit pius Dominus nobis donare hoſtias virtute potentes ad operandam noſtræ reſtitutionem ſalutis, cùm donavit nobis clementer hoſtias, quæ ipſum Deum poſſent placare efficaciter. Itaque hoſtiæ Altaris potenti virtute abundant, qua Deus placetur, & nobis ſalus perdita reddatur. Qui igitur adeò opportunis, & efficacibus ad nobis medicandum gaudemus hoſtiis, & ad Deum etiam iratum placandum aptis perfruimur ſacrificiis, ſecurè accedamus, petentes, ut noſter Dominus noſtras ſuſcipiat hoſtias propitius. Si illas ſuſceperit, & propitius, & placatus, nos bonis omnibus ſcatebimus; quia per Altaris hoſtias conſequemur nobis Dei ipſius placationem, & per hoſtias

eaſdem obtinebimus, nobis potenti virtute ſalutem, quam amiſimus, reſtitui. Potenti noſtra malitia à bonitate defecimus, ac deflextimus, & proptereà errantes in via, periculosè ægrotavimus; ſed potentiori pietate Dei per Altaris hoſtias ad nos ſalvandum nobis communicata, dum offerimus hoſtias; ſperamus fideliter, quòd efficaciter ſalutem recuperabimus amiſſam, & ſanitatem obtinebimus perfectam. Quando peccavimus, contra nos potentes fuimus; ſed quando à Deo ſanabimur, potentioribus miſericordia ejus, & pietate, plena fruemur ſalute. Potentia immenſa Dei ad nos ædificandum in bono, vincet potentiam malitiæ illius noſtræ, qua noſmetipſos malè tradidimus malo. O potentia hoſtiarum Altaris! quæ dum Deum nobis placant, etiam ſalutem potenti virtute nobis reſtituunt, & donant. Gratias igitur Deo agentes, laudemus ejus potentem virtutem communicatam hoſtiis Sacri Altaris, quæ & Deum nobis placatum reddunt, & perditam etiam nobis ſalutem reſtituunt.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Simon de Caſſia ait: *Suſcepit Iſrael, &c. Poſt decreta juſtitiæ, Mater miſericordiæ ad miſericordiam Dei canticum ſuum iterùm reconvertit. Pro populo ſuo hîc ſingulariter loquitur, quia Deus populum Iſraeliticum, quaſi puerum ab eo per multa erudimenta nutritum, velut miſericordiæ recordatus, cujus umquam oblivisci non potuit, nunc ſalvare dignatur, ſuſcipiens illum in humeris ejus, crucem portans pro peccatis illius.* Maldonatus dicit: *Suſcepit. Etiam hoc loco intelligo relativum: Qui, ſicut in ſuperioribus, cùm ſit perpetua deſcriptio Dei. Suſcepit, hanc vim Græcè habet, ut declaret, Deum populum ſuum jam omninò dejectum, deſertumque, quaſi porrecta, aut ſuppoſita manu ſuſtinuiſſe, erexiſſeque: ſicut David dixit Pſalm. 26. 10. Pater meus, & mater mea derelinquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Similia ſunt exempla Pſalm. 3. 6., & 17. 36., & 62. 9., & 68. 30., & 72. 24., & 117. 13., & 118. 116., & 145. 9., & 146. 6. Iſrael puerum ſuum. Iſraelem filium ſuum: ſic enim ſolebat Dominus populum illum appellare. Oſeæ n. 1. Suſcepiſſe igitur dicitur Iſrael filium ſuum Deus, quia cùm maximè abjectus, & ſub Romanorum imperio afflictus populus ille erat, Chriſtus verus Rex venit, qui eum non à Romanorum, ſed à majore diaboli tyrannide liberavit. Recordatus miſericordiæ ſuæ. Ut recordaretur miſericordiæ ſuæ, id eſt, ut oſtenderet ſe miſericordiæ ſuæ oblitum non eſſe, ſed recordari. Sicut enim numquàm verè obliviſcitur Deus, ſed ad ſimilitudinem hominum tum dicitur obliviſci, cùm ita nobiſcum agit, quaſi noſtri oblitus eſſet. Pſalm. 12. 1., & 41. 10., & 43. 24., & 73. 19. ita etiam dicitur recordari, cùm ita ſe erga nos gerit, quaſi priùs noſtri oblitus fuiſſet, poſtmodùm recordatus; id eſt, cùm nos orantes exaudit, oſtendit ſe benè nobis velle, ut 1. Reg. 1. 19. Eſther 10. 12. Pſalm. 97. 3., & Pſalm. 102. 14. Jerem. 2. 2., & Daniel. 14. 37.* Cornelius inquit: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Suſcipere in Scriptura, præſertim Pſalmis, eſt ampliſſimæ ſignificationis. Significat enim aſſumere, manum porrigere, adjuvare, amplecti, erigere, defendere, promovere, &c. Senſus ergo eſt, quaſi diceret* (nempe, Beata Virgo Maria:) *Deus populum Iſraeliticum, quem quaſi puerum, id eſt, filium, vel ſervum ſuum, tenerè diligebat, jam quaſi collapſum manu apprehendit, erexit, adjuvit, reſtituit, & omni benevolentiæ, & beneficentiæ genere proſecutus eſt. Fecit hoc Deus olim per Moyſem, Joſue, Samuelem, Davidem, Ezechiam, Joſiam, Eſdram, Zorobabel, Machabæos, &c. ſed nunc maximè id fecit*

mit-

mittendo Iſraeli Meſſiam ipſi promiſſum: hic enim in utero meo, ex me, quæ ſum Iſraelita, carnem ſuſcepit. Tunc enim planè collapſa erat Reſpublica, & Eccleſia Iſraelis, id eſt, Populi Judaici, cùm & ſceptrum ab eis ablatum eſſet, & translatum ad Herodem, & Romanos: atque Pontifices, & Sacerdotes ſuis lucris, commodiſque intenti, populi ſalutem negligerent, quare populus tunc graviter afflictus, variis tum animę, tum corporis miſeriis laborabat. Deus ergo miſit opportunè tunc Chriſtũ, ut ex his omnibus ſuum Iſraelem, id eſt, omnes fideles, tàm ex Judæis, quàm ex Gentibus, ad ſe converſos, eriperet. Unde Sanctus Auguſtinus: Suſcepit Iſrael, non quem invenit Iſrael; ſed ut faceret Iſrael, ſuſcepit, ſicut medicus ægrotum, ut ſanaret infirmum, & redimeret captivum; ut juſtificaret impium, & ſalvaret juſtum. Iſrael enim Hebraicè idem eſt, quod: Videns Deum, aut potiùs: Dominans Deo, Geneſ. 3. 28. Eſt enim hæc tertia pars hujus Cantici, quam Beata Virgo à communibus beneficiis olim Iſraeli à Deo præſtitis, redit ad proprium hoc, & peculiare Meſſiæ jam in ſe incarnati, quod omnium fuit maximum, & præſtatiſſimum. Recordatus miſericordiæ ſuæ. Cauſa enim, cur Deus miſerit Chriſtum, fuit communis Iſraelis, & totius generis humani, morti, & gehennæ ob peccata addicti, miſeria: cujus miſerens Deus miſit Chriſtum, ut ab illa nos eriperet, & Deo, cœloque reſtitueret. Unde Sanctus Leo ſerm. 1. de Jejunio decimi menſis: Cauſa, ait, reparationis noſtræ non eſt, niſi miſericordia Dei. Hujus Deus dicitur quaſi in poſtliminio recordatus, quia poſt quatuor annorum millia, quibus homines in ſua miſeria relinquens, miſericordiæ ſuæ Patribus promiſſæ videbatur oblitus, nunc ejus quaſi recordatus, illam per Chriſtum re ipſa exhibuit. Hæc enim miſericordia non eſt alia, quàm ſalus per Chriſtum allata. Vincentius Regius hæc habet: *Suſcepit Iſrael, &c. Melior expoſitio eſt, ut ſimpliciter exponamus: Suſcepit, id eſt, ſuccurrit, auxiliatus eſt, per Incarnationis Myſterium. Populum ſuum namque Deus, quem alioqui in infidelitatis barathrum labentem vidit, veluti porrecta manu ſuſtinuit, promiſſum Patribus Meſſiam exhibens. Si per Iſrael intelligas Iſraelitas ſecundùm ſpiritum, ita dicetur Chriſtus ſuſcepiſſe Iſraelem, quia ejus gratia, vel adventu futurum erat, ut veri filii Abraham Chriſtum reciperent, & ab illo ſuſciperentur in curam, & tutelam, & à peccatis liberarentur. Atque ita hæc ſuſceptio ad omnes pertinet, non Judæos modò, verumetiàm Gentes, dummodò in Chriſtum credant: quodſi fidei vitæ ſanctitatem addant, tunc perfectiùs ſuſcipientur.*

Noſter Interpres habet: Recordatus miſericordiæ ſuæ: quaſi diceret Beata Virgo: Ut recordaretur miſericordiæ ſuæ, ſeu, ut re ipſa oſtenderet ſe non oblitum miſericordiæ ſuę, quam priſcis illis Patribus promiſerat. Sic etiam in Cantico Zachariæ dicitur: Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Eſt enim utrobique infinitivus Græcus.

Pro: *Benedictus.*

SYriacus legit: *Ut luceat, &c. ut dirigat.* Perſicus: *Et lumen, quod ex alto accenſum eſt iis, qui in obſcuritate, & umbra mortis ſedent, ut in via pacis pedes noſtros confirmet.* Perſicus alter: *Ut lucem daret, &c. ut rectitudinem faciat pedibus noſtris in via pacis.* Arabicus: *Sedentibus in tenebris, ut dirigantur pedes noſtri.* Æthiopicus: *Et oſtenderet ſplendorem ſuum iis, qui, &c.* Sanctus Gregorius Niſſenus: *His, qui conſedebant.* Arias: *Apparere iis in tenebris, & umbra mortis ſedentibus, dirigere pedes noſtros.* Euthymius: *Ut appareat iis, qui in tenebris.* Theophylactus: *Ut illuceſcat iis.* Caietanus: *Illuceſce iis, qui in tenebris.* Tertullianus: *Illuminare iis, qui ſedebamus in tenebris, & in umbra mortis detinebamur.* Aliqui ex Græco: *Ad dirigendos pedes noſtros in viam proſperam.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Illuminare. Viſitavit, ut illuminaret.* Beda in eadem Gloſſa Interlineali: *Ad dirigendos. Priùs illuminantur corda, poſteà opera diriguntur.* Gloſſa Ordinaria: *Illuminare. Beda: In longa peccatorum; & ignorantiæ cæcitate depreſſis: quia excluſis errorum tenebris attulit veram cognitionis ſuæ lucem, & certum iter Patriæ Cœleſtis aperuit. Ad dirigendos. Ut per omnia greſſus noſtrorum operum, Illuminatoris noſtri gratiæ concor-*

 dent,

dent, donec ad manſionem perpetuæ pacis intremus. Gloſſa Moralis: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. Id eſt; in culpa mortali: quæ eſt umbra pœnæ inferni. Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Scilicèt, internæ, fraternæ, & ſupernæ, in qua diriguntur liberati à peccato mortali per donum gratiæ Divinæ.* Nicolaus de Lyra: *Illuminare his, qui in tenebris. Id eſt Patribus in Limbo exiſtentibus, quos Chriſtus illuminavit, quàndo poſt Paſſionem ſuam ad illos deſcendit. Et in umbra mortis. Id eſt, viventibus adhuc in hoc mundo, qui eſt quædam umbra mortis, quos illuminavit Chriſtus per ſe ipſum prædicando, & Apoſtolos per Orbem ad prædicandum mittendo, ut habetur Marci ultimo.* Eſtius: *Illuminare his, qui in tenebris. Aptiſſimè cohæret dicere: Ut illuceſceret, proximè præcedentibus, hoc ſenſu: Viſitavit nos Oriens, id eſt, Chriſtus, ex alto, ut illuceſceret his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. Verumtamen ſi quis ad Joannem referre malit, non puto repugnandum. Et quamvìs Joannes non fuerit lux illa ventura in mundum: lucerna tamen ardens, & lucens in Euangelio vocatur. Eccleſia quoque in Epiſtola Miſſæ Feſti illius, accomodat ei quod dicitur Iſai.49. Dedi te in lucem gentium.* Menochius: *Illuminare. Ut illuminaret, ad illuminandum. Illuminavit autem cæleſtem Chriſtus afferens doctrinam, & viam ſalutis oſtendens, & affluentiam ſupernaturalium donorum tribuens. Hebræi enim ſicut res omnes adverſas tenebras vocant, ita proſperas lucem appellant. Vide Iſai.8.20., & 9. 2., & 30. 26., & 60. 1., & Pſalm. 42. 3., & 96. 11. His, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. In tenebris, & umbra mortis ſedere, eſt non in magna ſolùm ignorantia, ſed etiam in miſerabili afflictarum rerum ſtatu verſari, qualis nimirum eſt ſtatus peccati. Umbra mortis. Sic ab Hebræis vocatur triſtiſſima rerum facies, ſumpta ex obſcuris, & umbroſis ſepulturis ſimilitudine, quibus nihil triſtius videri poteſt. Ad dirigendos pedes noſtros. Cæleſti illo lumine. In viam pacis. Viam pacis vocat, aut qua itur ad pacem, id eſt, ad beatam vitam, vel viam tutam, rectam, planam, ſine ullo errore, offendiculo, aut periculo. Umbra mortis pro extrema miſeria ponitur: illuminatio pro liberatione: pedes pro affectibus: via pacis pro via ducente ad pacem, & felicitatem.*

Pro: *Nunc dimittis.*

MAldonatus ait: *Lumen ad revelationem, &c. Duplices Scriptura tenebras facit, peccatorum, & ignorantiæ. Gentes in utriſque, Judæi in alteris tantùm peccatorum tenebris verſabantur. Alia ratio reddi poteſt de eo, quòd ad revelationem gentium, non Iſrael, ad gloriam verò Iſrael, non gentium, dixerit lumen Chriſtum Sanctus Simeon; ſcilicèt, quod de Judæis aliud, quod diceret habebat, Chriſtum illis gloriam allaturum. Nam, etſi Gentibus magnam etiam attulit gloriam ſaluti conjunctam, Judæis tamen præcipuam quamdam, & ſingularem attulit. Primò, quòd ex illis eſſet propagatus, ut indicat Divus Paul. Roman. 9. 45. & ut Beda, Theophylactus, & Euthymius exponunt. Deinde, quòd ſuam illis ſolis præſentiam exhibuerit, apud eos ſolos miracula fecerit. Præterea, quòd illis promiſſus venerit, & eorum impleverit prophetias, eorum ſpem confirmans non fuiſſe vanam.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

PUeri Dei nolint timere, quia cum ipſis eſt Dominus: ſi tranſierint per ignem, flamma non nocebit illis, & odor ignis non erit in eis; liberabit eos Deus de manu peſſimorum, & eruet illos de manu fortium. Ecce qualia, & quanta bona poſſumus ſperare ex eo, quòd ſuſceperit Deus Iſrael, nempe, populum Catholicum, puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Ut viſitaret nos Dominus oriens ex alto; valdè nobis proficua fuerunt viſcera Divinæ miſericordiæ, intima, ſcilicet, & magis interiora Dei benignitatis, & clementiæ. Lumen auferens velamen, fuit Chriſtus ad bonum gentium; ſiquidem revelavit eas, & ab obſcuritate infidelitatis diſcooperuit, quando clemen-

ter.

ter in eis lucem Divinæ cognitionis à tenebris erroris, & ignorantiæ diviſit. Ergo à cuſtodia matutina uſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino; quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Speret, inquam, plebs Chriſtiana a matutino (ſive principio) uſque ad noctem (ſeu finem) hujus temporalis vitæ, in Domino recordato miſericordiæ ſuæ, Iſrael puerum ſuum ſuſcipiente: quia apud Dominum miſericordia (ſiquidem viſitat nos in viſceribus ſuæ miſericordiæ, oriens ex alto per lucem ſuæ Divinæ gratiæ ad noſtrum bonum quotidie:) & copioſa eſt apud Dominum redemptio (quandoquidem Gentes copioſè, eas revelans, redemit; dum ad revelationem gentium effulſit, veluti lumen mirificum.) Quis Catholicorum non ſperabit in Domino toto vitæ ſuæ tempore, ut ad præmium ſuæ ſpei, poſſideat ipſum Deum in futura glorioſa æternitate; dum videt Deum hominem Chriſtum animas ſuſcipientem, ut alat eas per menſam Sacratiſſimæ Euchariſtiæ? quia in hoc Diviniſſimo Sacramento noſcitur, quòd apud Chriſtum eſt miſericordia (dum ſuavis ſpiritus illius, ut dulcedinem ſuam in filios demonſtraret, pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito, eſurientes replet bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes; & memoriam faciens mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dat timentibus ſe; ac memor in ſæculum teſtamenti ſui, in novo Teſtamento virtutem operum ſuorum annuntiat populo ſuo:) ac etiam eſt copioſa apud Chriſtum redemptio (cùm dux ſit in miſericordia populo, quem redemit, manna cibans illum, & per Sacram Euchariſtiam introducens eum in terram ſatis bonam, nempe, terram viventium, ſeu cœleſtem Patriam promiſſam:) ſiquidem copioſè redimit ille Redemptor, qui eos, quos redimens à tyrannica ſervitute eruit, etiam ſecum ducit, per viam alit, in ea protegit, & defendit, atque ad patriam exoptatam intromittit: Redemptor, inquam, qui Tyrannorum pretio furorem frangit oblato, revocans ab Orci faucibus multos, patriaſque abactos reddit ad oras. His omnibus copioſiùs nos redemit Chriſtus, apud quem noſcitur eſſe miſericordiam, & copioſam quoque apud eum redemptionem eſſe, quando taliter cum nobis pretio ſui Sacratiſſimi Sanguinis redemptis, agit in Sacramento Euchariſtiæ. Eum igitur benedicamus, & illi cantemus, ac devotè hanc orationem ſequentem, memores tantorum beneficiorum, dicamus poſt Communionem.

Oratio poſt Communionem.

Immortalitatis alimoniam conſecuti, quæſumus Domine, ut quod ore percepimus, pura mente ſectemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Conſecuti ſumus in Altari Sacro cibum expulſorem mortis, & conſequenter alimoniam fauſtæ immortalitatis. Cibavit nos Dominus pane vitæ, & intellectus, ac cum cœleſti pane dedit nobis intellectum, ut vivamus. Talis eſt iſte mirabilis, atque vivificus cibus, ut, dum mortem à nobis arcet, etiam nobis delicias miniſtret. Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus: itaque qui ſe ipſos Dei adjutorio ad dignè recipiendum hunc panem, regunt, delicias ſimul, & immortalitatem percipiunt. Præbet ſpirituales guſtantibus eam delicias cœleſtis hæc alimonia, quæ etiam illam ſuſcipientes donat ſempiterna vita. Felices igitur, qui Euchariſtiam Sacram in gratiæ ſtatu accipiunt, quia inter delicias hujus prandii ad immortalitatem perveniunt; ſed miſeri ſunt indignè communicantes, quibus infert (ob peſſimam illorum culpam) infauſtam mortem ipſa alimonia cœleſtis, quæ confert immortalitatem juſtis. Conſecuti ergo hodiè in Altari Sacro immortalitatis alimoniam, Deo gratias reddentes, ad ipſum accedimus orantes, & in conſpectu ejus humilem petitionem proponentes. Poſcimus, ut idem Deus det nobis immortalitatis alimoniam conſecutis, ſectari pura mente id, quod percepimus ore. Sacram ore Euchariſtiam percepi-

cepimus: & hanc pura mente ſequi hodie exoptamus, ut per Dei gratiam etiam toto vitæ noſtræ ſpatio illam ſequi cum pura mente poſſimus. Suſceptam ore Communionem ſectatur pura mente ille, qui nihil interiùs, neque exteriùs agit indignum Chriſtiano, & Catholico homine Sacram Euchariſtiam ſuſcipiente: & exiſtimans indignum Communionem Sacram percipiente, quidquid reddit conſcientiam (præſertim gravi culpa) maculatam; curat habere omnimodam cordis munditiam, & conſervare animam à quolibet peccati inquinamento liberam, & puram. Sectatur pura mente acceptam ore cœleſtem immortalitatis alimoniam ille, qui ponit ori ſuo cuſtodiam, orans Dominum (quia ore confeſſio fit ad ſalutem) quatenùs labia ipſius idem Deus aperiat, ut os ejus annuntiet laudem Divinam: rogans inſuper Divinam Maieſtatem, nè ſit unus ex illis, qui poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra, vel ex eis, qui ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant, aut comprehendatur ipſe in illa reprehenſione, & Domini querela juſtiſſima: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me*: quod quidem accideret, ſi Sacram aliquis Euchariſtiam labiis exteriùs devotè applicatis (quaſi Deum honorans) perciperet; & eodem tempore cor illius longè à Dei ſervitio, honore, & obedientia diſtaret. Pura mente ſectatur ſuſceptam ore Euchariſtiam, qui laudans Dei miſericordiam dantem vitam juſtis per immortalitatis alimoniam, & benedicens Dei ipſius juſtitiam, & judicium, quia indignè communicantibus ſupplicia æterna minatur, dicit: *Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*: & hæc dicens, pſallit, & intelligit in via immaculata, quando Dominus venit ad eum: perambulat in innocentia cordis ſui in medio domus ſuæ: & non proponit ante oculos ſuos rem injuſtam. Nam qui taliter facit bonum, & fugit malum, poſtquàm ore Comunionem accepit, habet conſcientiam mundam, & ſequens in vitæ reſiduo hanc perfectionem Chriſtianam per perſeverantiam uſque in finem in gratia recepta; ſectatur Sacram pura mente Euchariſtiam, quam jurè dicimus immortalitatis alimoniam.

CAPUT QUINQUAGESIMUM

Pro Dominica vigeſimaſecunda poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ vigeſimæſecundæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Odientes, & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

SYriacus legit: *Vel tunicam carnalem contaminatam.* Æthiopicus: *Et ſunt odio habentes eorum iniquitatem, & intuentes in tegumento ſuo maculam ſcortationis ſuæ.* Lorinus ex Græco: *Odientes & eam, quæ ex carne, maculatam tunicam.* Cornelius etiam ex Græco: *Odientes & eam à carne maculatam tunicam.* Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Odientes, & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam: Alii: Et ſunt odio habentes eorum iniquitatem, & intuentes in tegumento ſuo maculam ſcortationis ſuæ. Elegante metaphora tunicam maculatam dicit exuvias veteris Adæ, concupiſcentias, & opera carnis. Huic tunicæ maculatæ contraria eſt tunica nuptialis, hoc eſt, fides vera, quam qui habet, verè induit Dominum* Je-

Jeſum Chriſtum. Senſus ergo videtur eſſe: Odio habere debemus non ſolùm inhoneſta, & turpia carnis opera, ſed etiam veſtem à carne contaminatam, id eſt, omnem rem turpem, & carnalem, inhoneſtos, & turpes affectus. Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, quia concupiſcentiis carnis polluitur, maculatam tunicam, corpus mortale, & paſſibile, quo velatur anima.* Gloſſa Ordinaria: *Odientes, &c. Non corpus, ſed maculatum eſſe odiſſe debemus, & arguere, ut immaculatum reddamus, ut de carnali ſpirituale efficiatur. Quod quia non noſtri arbitrii poteſtate, ſed Dei gratia perficiendum eſt, rectè ſubjungitur: Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, &c.* Hugo Cardinalis: *Odientes, &c. Quaſi dicat* (Sanctus Judas:) *Corripite eos, vitium odientes, non naturam, Gloſſa: id eſt, carnem. Sed contrà Epheſ. 5. f. Nemo umquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam. Solutio. Ad Epheſios loquitur Apoſtolus non de carnis amore, ſed de uxore: & accipitur ſic cara Geneſ. cap. 2. d. Et erunt duo in carne una. Hic verò eſt ſermo de carnis corruptione, & libidine. Vel poteſt dici, quòd ad Epheſ. loquitur de carne, id eſt, natura, id eſt, creatura Dei; hic vero Judas intelligit de vitio, & improba voluntate carnis, vel concupiſcentia. Unde dicit: Maculatam. Unde Gloſſa: Non corpus, ſed maculatum eſſe odiſſe debemus, & arguere, ut immaculatum reddamus. Hæc eſt illa tunica, quam fratres Joſeph maculatam ſanguine miſerunt ad Jacob Geneſ. 37. f. Tulerunt autem tunicam ejus, & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt. Per ſanguinem peccatum abominabile, & fœtidum Deo Patri. Sed quia hoc facere non poſſumus, niſi Dei gratia auxiliante, propter hoc ſubjungit: Ei autem, &c.* Nicolaus de Lyra: *Odientes, &c. Id eſt, converſationem. Iſtud additur ex eo, quòd dixerat: Aliis autem miſeremini. Quia, licèt peccatoribus ſit compatiendum, tamen eorum vitium eſt odiendum.* Eſtius: *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Eam, quæ carnalis eſt, Græcè: Eam, quæ ex carne. Poteſtque verti hoc modo: Odientes & eam, quæ à carne maculata eſt, tunicam. Hanc vero maculatæ tunicæ metaphoram alii aliter exponunt. Quidam veterem hominem interpretantur; quem jubemur exuere cum actibus ſuis. Coloſſ. 3. Quò pertinet illud Canticor. 5. Expoliavi me tunica mea: quomodò induar illa? Vide Heſſelium in illud 1. ad Timoth. 6. Ut ſerves præceptum ſine macula. Alii ſpecialiter accipiunt de carnali, & impura Gnoſticorum converſatione; ut quam imprimìs odiendam, & fugiendam moneat Apoſtolus. Sasboldus metaphoram explicat in hunc modum: Turpitudo Gnoſticorum, inquit, non ſolùm ipſorum opera inficit, ſed & ad veſtes tranſit, eaſque maculat. Quarè non ſolùm ipſi fugiendi; ſed & tunica, qua ſunt induti, exoſa vobis, & execrabilis eſſe debet, tamquàm ab eorum carne conſpurcata. Ad hunc ſenſum invitat conjunctio: Et, id eſt: Etiam, inſuper, ut hoc ſermonis ſchemate ſignificetur non modò cavendum eſſe fidelibus à vitiorum contactu, quibus Gnoſtici ſeſe commaculabant; ſed & fugiendum quidquid illis eſſet affine, ex quo contagium metui poſſet: quomodò vitamus non ſolùm peſte laborantes, ſed & veſtes eorum.* Menochius: *Odientes & eam. Interim odientes eam. Quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. In Græco eſt: A carne maculatam. Porrò per maculatam tunicam intellige turpes, & carnales mores, & affectus, turpem vivendi modum, ſordidatam libidinibus, & vitiis converſationem. Alludit ad ritum veteris legis Levitici 15. quo veſtes lepra, ſanguine, vel ſemine pollutorum, pollutæ cenſebantur, ita, ut quicumque eas tangeret, legaliter pollueretur, & arceretur tam à templo, quam à convictu hominum. Alludit etiam ad veſtem candidam, qua recens baptizati induebantur: quaſi dicat: Cavete, nè candidam innocentiæ veſtem, quam accepiſtis in baptiſmo, impuritate, libidine, & corruptis moribus contaminetis; ſed hæc planè odite, & execramini.* Tirinus: *Odientes, &c. Sic verò cum ſeductis proximis agite, & converſamini, ut ſemper memineritis odiſſe eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Id eſt, carnales, & fœdos mores, & ſpurca ipſorum opera, quibus quaſi ſordidis indumentis anima fœdatur. Niſi enim caveatis, ipſi ſuam ſcabiem vobis affricabunt, ſuam hæreſim, & ſpurcitiem,*

vel

vel ſolo anhelitu afflabunt. Alludit ad ritum legis Moſaicæ, quo veſtes lepra, ſanguine, vel ſemine pollutorum, etiam ipſæ cenſebantur pollutæ, & inſuper quidquid illæ contingerent. Lorinus ſic loquitur: *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Hoc odium aut exigitur cum præcedente miſericordia, ut hæc ſit erga perſonam peccatorum, illud erga peccata, quod eſt odio perfecto odiſſe & eos, qui oderunt Deum: cui odio eſt impius, & impietas ejus, hoc eſt, quatenus, & quia impius eſt; aut cavetur, nè ita exhibeatur miſericordia, ut ullo pacto peccato conniveatur, peccativè ulla communicatio admittatur; nec labes ulla etiam in carne, quam libido carnalis inducat; cùm alioquin carnem ſecundùm ſe, ſive pro uxore ſumatur, ſive pro propria, qua quiſque conſtat, nemo odio habeat. Animæ tunicam Clemens Alexandrinus docet eſſe maculatam, cùm ſpiritus concupiſcentiis pollutus eſt carnalibus. OEcumenius miſericordiæ, qua quis peccatorem proſequitur, odium accedere oportere dicit, ut flagitioſa facta odio habeat, & deteſtetur etiam inquinatam ex carne ipſius tunicam, utpotè quæ ex contactu carnis ejus ſordem, & deteſtationem etiam ipſa contraxerit. Unde vis ineſt in particula: Et, ut idem valeat, ac: Etiam. Poſſet etiam indicari, abhorrendum à contactu ipſò externæ tunicæ turpiſſimorum præſertim Gnoſticorum, & ſimilium, quemadmodùm Joannes eodem balneo uti detrectavit; Samoſatenſes eumdem uſum habere calidarum balnei aquarum: pueri verò luſoriam quoque pilam, igni expiare, quæ mulam prætereuntis hæretici attigerat: qui vociferati ſunt, ſive ululaverunt, repletam ſcelere pilam exiſtimantes. Peregrinus quidam Monachus in cella volens habitare contra conſilium ſeniorum, in qua habitarat Evagrius hæreticus, poſt ſeptimanas duas, laqueo ſe ipſum ſuſpendiſſe inventus eſt. Pachomius ex fœtore teterrimo colloquentium ſecum, hæreſim eorum deprehendit: ſicut Sancti alii aliorum peccata, præſertim luxuriæ. Et conſtat ſub Eugenio Tertio in Armenorum confinio quaſdam gentes puerorum innatum fœtorem baptiſmo eluiſſe: ut omittam curatam baptiſmo Conſtantini lepram, morbos alios aliorum; formam externam in meliorem transformatam, de quibus Thomas Bozius in Eccleſiæ ſignis. Addi poteſt exemplum Ambroſii Sinſendonii Dominicani, qui adhuc infans ex deformi formoſus redditus eſt. In genere autem tunica maculata poteſt ſignificare veterem hominem, quem exuere oportet cum actibus ſuis: expoliati vetamur iterùm ea indui, ut ſervemus præceptum ſine macula, Deoque ſine hac exhibeamur, induti novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, armaturam Dei, arma lucis, id eſt, lucida, & ſplendida, Chriſtum ipſum: ut ſemper ſint candida veſtimenta noſtra, & in judicio ſtemus cum veſte nuptiali, quam in baptiſmo quiſque accepit, cùm illi dictum eſt: Accipe veſtem candidam, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, in vitam æternam: vel, ut habeas vitam æternam. Amen: prohibitus duas tunicas geſtare, id eſt, veterem, ac novam; maculatam, & mundam; quæ nequeunt coire inter ſe. Colligit ultimus poſt alios, Joſephus Vicecomes antiquitatis teſtimonia multa de veſte candida baptizatorum, indice exutæ veſtis maculæ peccatorum. Sed quod plus eſt, odium requirit Judas hujuſmodi tunicæ, ita, ut quaſi ſordium noſtrarum intinctos memoria, abominentur nos peccatorum veſtimenta noſtra; quia nobis abominationi ſunt, & horrori; quemadmodùm non peſte dumtaxat laborantes diligentiſſimè vitamus, verùm etiam veſtes eorum, & quidquid quoquomodò attigerint. Carnem noſtram, quæ animum ipſum veluti maculavit, vel nè maculet, tamquam obſitam pulvere tunicam, aut maculoſam, excutimus, confricamus, deterimus, lavamus, quaſique odio proſequentes, abominamur, tundimus, caſtigamus, mortificamus, conſcindimus, odio habemus, ut in vitam æternam cuſtodiamus. Quaſi turpitudine Gnoſticorum, ait Adamus (quod aliis etiam converit) Auctor noſter, non ſolùm opera illorum inſici, ſed & ad veſtes ipſas tranſire, eaſque maculare affirmat.* Cornelius hæc habet: *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Odientes & (Et, id eſt, etiam, vel interim) eam, quæ carnalis eſt, maculatam (Græcè; A carne maculatam) tunicam. Pendent hæc ex eo, quod præceſſit: Aliis autem miſeremini in timore.*

re. Quaſi dicat: Volo vos miſereri ſeductorum à Gnoſticis, ſed eum timore, & odio, non hæreticorum, ſed hæreſis; nè, ſcilicèt, eorum familiaritate illecti, ipſi ſuam ſcabiem vobis affricent, ac ſuam libidinem, & hæreſim anhelando afflent. Quarè moneò, ut animas eorum amando convertere ſatagatis, ſed interim odiatis eorum maculatam veſtem, & tunicam. At quænam hæc? Primò, aliqui accipiunt concupiſcentiam, quam Paulus vocat veterem hominem, cumque exui jubet cum actibus ſuis. Coloſs. 3. 9. Secundò, alii per tunicam accipiunt carnem, hæc enim eſt, quaſi veſtis animæ, hancque Gnoſtici maculabant ſuis libidinibus, juxta illud verſ. 8. Et hi carnem quidem maculant. Tertiò, alii accipiunt hipocryſin, & ſpeciem pietatis, quam exteriùs ſuis ſordibus iidem prætendebant; erant enim interiùs ſpurci, omnique libidine polluti. Quartò, & optimè, per maculatam tunicam accipe turpes, & carnales mores, & affectus (hi enim ſunt quaſi veſtis animæ, pulchra, ſi pulchri, turpis, ſi turpes,) turpem vivendi modum, ſordidatam libidinibus, & vitiis converſationem: ſordida enim opera ſunt quaſi ſordida indumenta animi. Ita Vatablus, & Clemens Alexandrinus: Maculata tunica, inquit, eſt, cùm ſpiritus concupiſcentiis pollutus eſt carnalibus. Alludit primò ad ritum veteris legis Levitici 15. quo veſtes lepra, ſanguine, vel ſemine pollutorum, pollutæ cenſebantur, ita, ut quicumque eas tangeret, legaliter pollueretur, & arceretur tam à templo, quàm à convictu hominum. Secundò ad profuſas crapulas, & libidines Gnoſticorum, quæ in veſtes ipſas defluebant, eaſque inficiebant, & maculabant, juxta illud verſ. 12. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ. Tertiò ad veſtem candidam, qua Fideles induuntur in Baptiſmo, ut moneantur candorem internum tueri, & conſervare; idcòque audiunt à Sacerdote baptizante: Accipe veſtem candidam, ſanctam, & immaculatam, quam perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen. Vide Sanctum Auguſtinum ſermon. 139. de Temp., & Sanctum Ambroſium lib. de Initiandis. Senſus ergo eſt, quaſi diceret: Videte, ô Fideles, nè agendo cum Gnoſticis veſtem candidam innocentiæ, quam in Baptiſmo accepiſtis, eorum impuritate, & libidine contaminetis, ſed illam planè oditè, & execramini. Ita de Valentiniano Imperatore legimus apud Sozomen. lib. 6. cap. 6. quòd, cùm adhuc militaret ſub Juliano Apoſtata, dum cum eo ingreſſus templum idolorum, Sacerdos roſcidis frondibus Julianum aſpergeret, guttam unam in veſtem Valentiniani incidiſſe; quarè ipſe illicò, audiente Juliano, ſe pollutum dicens, non expiatum, Sacerdotem increpuit, pugnoque percuſſit, quin & veſtis partem gutta aſperſam præcidit, & abjecit. Moraliter. Docet hic Judas, charitatem Fidelium debere eſſe prudentem, & circumſpectam, nè dùm alios volunt ſalvare, ſe ipſos perdant. Quarè qui converſantur cum peccatoribus, præſertim Confeſſarii, qui fœdiſſima ſcelera audiunt, præmuniant ſe oratione, atque odio, & execratione maculatæ tunicæ, putà, omnis vitii, & ſordis. Priùs ergo ſe ſolident Sacerdotes in caſtitate, & in virtute, ac deinde cum inceſtis, & ſceleratis agant, eoſque convertant, nè, ſi in ea debiles ſint, & infirmi, à validiore obſcœnitate, & ſcelere vincantur; perinde ac debiles, qui manum natantibus jam ſubmergendis porrigunt, ut eos extrahant, ab iis, utpote validioribus, in undas pertrahuntur, & merguntur. Hucuſque Cornelius.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

QUi diligunt Dominum, æquum eſt, ut odiant malum, & confiteantur memoriæ ſanctificationis ejus. Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt; ideò reſultat major laus, & honor Divinæ ſanctitatis, ad conſpectum majoris malitiæ hominis. Laudent igitur ſanctitatem Divinam, qui diligentes Deum, jurè odiunt malitiam humanam. Quò magis creverit in diligentibus Deum, peccati odium (ad malum directum, & circa malum verſatum,) eò in illis plùs adolebit affectus confitendi Deum, ſummum, atque infinitum bonum. Dixerat anteà Sanctus Judas: *Voſmetipſos in charitate ſervate*, exhortans nos, ut Deum amemus, ſi Dei

amorem,& dilectionem eſſe noſtram cuſtodiam, volumus: ideòque nunc dicit: *Odientes eam,quæ carnalis eſt,maculatam tunicam*. Si igitur nos volumus nolmetipſos ſervare, diligendo Deum; diligentes ipſum, odiamus malum: ut qui per dilectionem ſummi boni in charitate ſervare noſmetipſos voluerimus, etiam ſervare nos per mali odium ſatagamus. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam: ergo qui iniquitatem odit, verè animam ſuam diligit ſimul, & ſervat. Verumtamen ſic odiamus malum, ut habenti malum compatiamur, ut à malo obſeſſos, ſive poſſeſſos amemus. Qui videt hominem miſerum à dœmone illum obſidente, vel poſſidente, vexatum; in vexantem, vel poſſidentem diabolum invehitur, dum afflicto homini per verum proximi amorem compatitur. *Magnus dæmon peccatum eſt*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus: ergo qui videmus peccatorem tot dœmonibus circumplexum, quot delictis implicatum: dum hominem vexatum taliter inſpicimus, in peccata dirigamus odium noſtrum; ſunt ſiquidem dœmonia crudelia fratrem noſtrum torquentia, odio haberi meren tia; quia dum noſtrum proximum affligunt, à Deo ipſum avertunt; avertentia deſtruunt; deſtruentia damnant; ac damnantia, æterna vita illum privant, dum detrudunt in gehennam. Odiamus & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam, ſicut odit ægritudinem medicus, & corruptionem chirurgus, quorum quilibet nihil non (etiam acriter ſæviendo contra infirmitatem, & membri putredinem) faciunt, dum ægritudinem patientem, & tactum membri corruptione, diligunt. Sed heu! Quot qui noſtra compaſſione ſunt digni (utpote habentes maculatam tunicam:) quique taliter affecti, debebant verecundari, atque plangere; lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicant, nec abſcondunt! Tamen nec hos oderimus, dum exhortatur nos Sanctus Judas, ut ſimus odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam; tum, quia, ut dicit Sanctus Auguſtinus, in eo, quòd malus eſt quis eorum, utrùm uſque in finem perſeveraturus ſit ignoramus: (& plerùmque, cùm nobis videmur odiſſe inimicum, fratrem odimus, & neſcimus;) tum, quia juſtum eſt, eos à nobis duplici compaſſione affici, quos hinc effrænatè videmus vivere, & illinc inverecundè inter peccata gaudere. Hac proximi compaſſione, ex charitate vera orta, diſponemur, ut quæ à Deo in duabus orationibus ſequentibus petimus, fideliter, conſequamur efficaciter.

Oratio officii Dominicæ vigeſimæ ſecundæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

DEus refugium noſtrum, & virtus: adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

EST verè noſter Dominus Deus à nobis appellandus, ac nominandus refugium noſtrum, & virtus. Eſt ipſe id, quod vocatur, quando refugii noſtri, & noſtræ virtutis nomenclatura inſignitur. Refugium profectò eſt, ſub quo abſcondamur, & protegamur: virtus eſt, qua, & per quam ſecuri reddamur, ſtabiliamur, & firmemur. Refugium eſt nos defendens à malis: virtus nos conſtituens in bonis: refugium quidem, ad quod fugiamus, adverſitates formidantes, & mala culpæ, atque pœnæ (ad nos affligendos venire valentia ſuper nos) timentes; virtus eſt, qua lætari poſſimus, conſolationes, quas ſperamus, optantes: refugium, extra quod ſi per peccatum fuerimus, nos inveniet Divina juſtitia ad nos puniendum, & damnandum; virtus, intra quam nos fovebit Dei pietas ad nobis ſubveniendum: refugium, quò nihil auguſtius; & virtus, qua nihil melius; refugium, per quod nullo affligemur incommodo; & virtus, ob quam omni nobis expediente implebimur beneficio: refugium, cum quo non erimus pauperes (ſi pau-

paupertas temporalium nobis ſpiritualiter fuerit noxia ;) & virtus, cum qua ſemper erimus divites, adhuc in temporalibus (ſi hæc rerum mundi abundantia prævideatur à Deo nobis futura proficua ;) refugium, quo nihil jucundius ; & virtus, qua nihil umquam poſſit inveniri dulcius, & nihil excogitari ſapidius : refugium denique, per quod nobilitamur vero honore ; & virtus, cum qua numquam poterimus ſpiritualiter nocivam infamiam, decuſvè animabus pernicioſum experiri. Oramus hodie, ut Deus auctor ipſe pietatis adſit piis Eccleſiæ ſuæ precibus, quandoquidem ille eſt etiam refugium noſtrum, & virtus. Aderit profectò Eccleſiæ precibus piis Deus ipſe, qui eſt, & cognoſcitur verus auctor pietatis. Ipſe pietatis auctor dedit Eccleſiæ, ut eumdem poſſit exorare piis precibus ; quia hæ eædem piæ Eccleſiæ preces à nullo poterant provenire nobis, niſi ab auctore pietatis. A Deo bona cuncta procedunt : & ideò à Deo veniunt preces, quæ noſcuntur bonæ, quia piæ. Dedit piè precandi ſpiritum Deus ipſe, qui ſuper habitatores Jeruſalem (id eſt, ſuper filios Sanctæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, in hoc ſæculo militantis : & cœleſtis Jeruſalem, Eccleſiæ triumphantis, dilectiſſimæ, ac fidiſſimæ ſororis) effudit ſpiritum precum. Piè Eccleſiæ filii precantur, quando ad precandum ab Eccleſia edocentur. Edocet enim Eccleſia ſuis piis precibus nos ejus filios, ut nos ipſi piè petamus. Docet petere piè, quia nihil Eccleſia petit, niſi illud ſit honeſtum; nihil petit, quod non ſit coram Deo beneplacitum : ac petens ſemper Eccleſia illa, quæ ſunt bona ; quodcumque petit, ſemper petit, habens magnam conformitatem cum voluntate Divina. Si ſic & nos piè petierimus, præſtabit Deus utique, ut ea, quæ petierimus fideliter, conſequamur efficaciter.

ORATIO SECRETA.

Da, miſericors Deus : ut hæc ſalutaris oblatio, & à propriis nos reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum, &c.

EXPLICATIO.

Salutaris profectò eſt oblatio facta in Sacratiſſima Miſſa ; quia poteſt nos à propriis reatibus indeſinenter expedire (ſcilicet, nos ad remiſſionem culpæ, & pœnæ per obtentionem auxiliorum Divinæ gratiæ, ut faciamus veram pœnitentiam, diſponere,) & ab omnibus adverſis tueri. Niſi prædicta oblatio talem virtutem, ac efficaciam per Dei ordinationem habere noſceretur, eſſet fruſtraneum petere, quòd illa nos expediret indeſinenter à reatibus propriis, & quòd ab omnibus nos tueretur adverſis. Priùs petimus, quòd ſimus à reatibus noſtris expediti, & liberi ; ac poſteà depoſcimus, quòd exiſtamus à cunctis adverſis defenſi : noſcentes, quia populo Dei nulla nocebit adverſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Reatibus irretitus, quomodo non apparebit ab adverſis comprehenſus, à contrariis afflictus, & ab omni infelicitate vallatus ? Ejiciantur à nobis culparum impietates, ut non patiamur propter eas adverſitatum labores. Saltem amore carendi adverſis, abſcedamus à peccatis. Adverſa omnia nos deglutient, quando nos plenos iniquitate repererint. Ergo ab illicitis disjungamur, nè ab adverſitate voremur. Diſcerpit, & vorat quælibet magna adverſitas eum, cui dominatur iniquitas ; ſed inermis erit quævis adverſitas, & impotens ad nobis nocendum, ſi in nobis voluntaria proclivitas ad peccandum non fuerit, & culpabilis declivitas ad parendum iniquitatibus, atque delictis ceſſaverit. Integri remanebimus, & ab omnibus adverſis ſecuri, ſi ab iniquitatibus, & peccatis non fuerimus umquàm victi : & qui extiterimus à peccatis puri, adverſis neutiquam jurè timebimus eſſe obnoxii : nam nociva, & adverſa eos præcipuè cruciant, quos culpæ, & delicta inquinant. Benè poterit evenire, quòd adverſis ad noſtrum exercitium, & ad comparandum gloriæ meritum cum gratiæ augmentatione (etiamſi culpis gravibus non fuerimus innodati, ac implexi,) pateamus ; &, quòd ita adverſa ſint nobis obviam. Utique, quòd

ad prædicta bona contingant in hoc ſæculo adverſa, dolores, tribulationes, anguſtiæ, preſſuræ, & anxietates, accidit ferè ſemper Dei amicis, & eſt familiare juſtis. Veniant igitur nobis adverſa, quæ non habeant cum peccatis ſocietatem: ad nos ſine ullo culpæ comitatu properent: quia non erit inutile, aut inglorium nobis adverſa pati abſque crimine, ſicut dedecus eſt committere facinora, & perpetrare delicta, ſive peccata, ad quæ in pœnam ſequantur illa, quæ nobis fuerint adverſa. Si ob peccata patimur, agnoſcamus, quód digna factis recipimus: & tamen licet nobis petere à Deo, ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro ſui nominis gloria miſericorditer liberemur: &, ut adjuvet nos Deus ſalutaris noſter, & propitius ſit peccatis noſtris propter nomen ſuum, utque non permittat nos adverſis obrui, neque proſperis labi.

Textus Canticorum *Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.*

SIcut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat.*

SYrus legit: *Sicut locutus eſt cum Patribus noſtris*. Perſicus: *Sicut verbum elocutus eſt, &c.* Arabicus: *Juxta id, quod dixerat*. Æthiopicus: *Et ſemini ejus in æternum*. Euthymius: *Et ſemini ejus in ſæculum*. Alter Syrus: *Sicut locutus eſt cum Patribus noſtris, cum Abrahamo, & ſemine ejus in ſæculum*. Textus Hebraicus: *Sicut promiſit Patribus noſtris Abrahæ, & ſemini ejus ad perpetuitatem*. Vatablus: *Locutus eſt Patribus noſtris Abrahæ, & ſemini in ævum*. Joannes de La Haye in Concordia, & expoſitione litterali ait: *Sicut locutus eſt: Alii: Juxta id, quod dixerat. Abraham, & ſemini ejus. Illud: Abraham, eſt dativi caſus,ut patet ex Græco, & ex ſequenti, ſcilicèt: Semini; unde hæc: Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, parentheſi intercludenda; & ſenſus erit, referendo illud: Abraham, & ſemini,ad: Recordatus miſericordiæ ſuæ: Deus incarnando Chriſtum, recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, olim Abraham, & ſemini ejus ab eo promiſſæ*. Gloſſa Ordinaria ait: *Sicut locutus eſt: Memoriam Patrum, quibus hæc ſalus revelata eſt, faciens, Abraham nominatim exprimit, cui primò ipſa Incarnatio manifeſtata eſt. Et ſemini. Non tam carne genitis, quàm fidei veſtigia ſecutis: quibus adventus Salvatoris in ſæcula eſt promiſſus, quia ipſa promiſſio hæreditatis nullo fine claudetur. Nam & uſque in finem ſæculi credentes non deerunt, & beatitudinis erit gloria perennis*. Gloſſa Moralis: *Sicut locutus eſt, &c. Beda: Semini ejus dicit, non tam carne progenitis, quàm fidei ejus veſtigia ſecutis: quibus adventus Salvatoris in ſæcula eſt promiſſus*. Nicolaus de Lyra: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros. Id eſt, ad Patriarchas, & Prophetas. Abraham, & ſemini ejus. Secundùm quod dicitur Geneſ. 22. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. In ſæcula. Quia caro humana permanebit æternaliter Deitati unita*. Menochius: *Sicut locutus eſt. Quaſi dicat.* (Beata Virgo:) *Ut recordaretur miſericordiæ ſuæ, quam promiſerat Patribus noſtris, ſcilicèt, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Patres noſtros. Intelligit omnes Patriarchas, ſed illos imprimis, quibus promiſſio facta eſt, Chriſtum de eorum ſemine naſciturum, quales fuerunt Abraham, Iſaac, Jacob, & David. Abraham. Eſt dativi caſus; nam verbum Græcum, ut Latinum: Loquor, tam accuſativo, quam dativo jungi poteſt. In ſæcula. Vel ad miſericordiam refertur, quaſi dicat, locutum fuiſſe Deum, id eſt, promiſiſſe Patribus perpetuam miſericordiam; vel ad illud: Semini; quaſi dicat, promiſiſſe Abraham, & omnibus ejus poſteris, qui uſque ad finem ſæculi futuri erant. Senſus eodem redit.*

Pro:

Pro: *Benedictus*.

SImon de Caſſia ait: *Illuminare his, qui in tenebris, &c. Quibus viſceribus* (miſericordiæ Chriſti Dei noſtri,) *qua dilectione, illuminare diſpoſuit his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos etiam pedes noſtros in viam pacis. Hoc Iſaias multo prædixerat tempore: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. Corporales tenebræ illic ſunt, ubi omnis eſt privatio lucis, ejus ſiquidem abſentia regnum conſtituitur tenebrarum. Quanquàm nihil ponatur in rerum natura, tamen ſic eſt ordo loquendi, ut privatione lucis, tenebrarum poſſit eſſe cognitio. Ipſæ lucem apprehendere numquam poſſunt, quæ per privationem ſiunt. Tunc fugantur à luce, qua recedente veniunt. In tenebris verò ſedere non ſitualiter dicimus, ſitum enim ipſæ non faciunt, ſed in locis, ubi nulla eſt præſentia lucis. Sed neque de his corporalibus tenebris, ſeu de corporali luce, iſtorum Prophetarum fuit intentio, ſed de tenebris ignorantiæ, atque peccatorum, quibus animæ involvuntur. In quibus ſedebant Judæi, & populi nationum, pro eo, quòd in his poſiti erant ſedentes, velut qui corporalibus tenebris circumſcripti, cùm, quò pergant, neſciunt, etiam inviti ſedendo quieſcunt. Nec lux iſta veritas jam orta fuerat, quam ſequi poſſent, nè in tenebris ambularent. Quæ cùm exorta fuiſſet, & apparere cæpiſſet, in moribus, & in verbo clamavit, dicens: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, quam qui ſecuti ſunt, tenebras evaſerunt, tam ex Judæis, quàm ex populi nationum: Hinc etiam Jeruſalem dicebatur: Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum. Et pòſt: Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Ut Zachariæ vaticinium de illuminatione illorum, qui ſedebant in tenebris, non ſolùm ad Judæos, ſed etiam referatur ad Gentes.* Cornelius dicit: *Illuminare his, &c. Juxta Græcum, Illuminare eſt modi tam imperativi, quàm infinitivi. Unde primò: Illuminare, id eſt, illuceſce, exorere, ut novus quidam mundi ſol, tu, ò Joannes fili mi (ut ad eum loqui pergat Zacharias Pater:) ut peccatores in tenebris erroris, & peccatorum ſedentes, per fidem in Chriſtum illumines, eoſque luci veritatis, juſtitiæ, & ſalutis reſtituas, itaque eos à tyrannide dæmonis liberes. Secundò, & potiùs: Illuminare in infinitivo, id eſt, ut illuminet (Syrus: Ut luceat) ſcilicet, Chriſtus oriens ex alto. Unde Arabicus vertit: Ortus eſt ab alto ad illuminandum (illuceſcendum) ſedentibus in tenebris, & umbra mortis. Quaſi diceret: Viſitavit nos Chriſtus, quaſi Sol oriens ex alto, ut lucem veræ doctrinæ, gratiæ, juſtitiæ, & lætitiæ afferret, tum Patribus vita functis, tum peccatoribus viventibus, qui utrique ſedebant in tenebris, & umbra mortis. Nam Patres propriè ſedebant in tenebroſò Limbo inferni, quaſi in umbra mortis: myſticè autem peccatores ſedebant in tenebris, id eſt, in tenebricoſis erroribus, vitiis, & peccatis. Porrò Sanctus Chryſòſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Titus per tenebras intelligunt errores, per umbram mortis peccata; meliùs utraque per utrumque accipias; tenebræ ergo ſunt communes errores, & crimina, umbra mortis ſunt graviſſimi errores, & ſcelera.* Vincentius Regius inquit: *Illuminare. Ut Illuminaret. Hæc eſt cauſa, cur viſitarit nos. Et videtur alludere ad Iſai. cap. 9. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis: ſecutus phraſim Græcam: Illuceſcere, vel apparere. Qui ſedent, id eſt, qui habitant, & luctuoſi jacent in ſtatu peccati, & ignorantiæ, non valentes ambulare. Umbra, Quidam; In tenebris morti ſimilibus, vel quæ mortis metum incutiunt: meliùs alii, umbram mortis, dicunt, vocari caliginem magnam, qualis eſt ea, quæ mortuorum oculis circumfunditur, vel in ſepulchris tenebroſis reperitur. Sic Genebrardus in Pſalm. 22. Umbram mortis, inquit, appellat denſiſſimam umbram, & tenebras. Deinde accipiunt pro extremo vitæ diſcrimine. Idem in Pſalm. 43. Umbra mortis, inquit, eſt acerbiſſima calamitas, & ſervitus. Optimè Janſenius c. 5. Conc. in hunc locum: Umbra, inquit, mortis eſt phraſis Hebræa, qua propriè ſignificantur tenebræ ſepulchri, & inferni, quòd eas mors afferat, & inducat, ſed generatim ſæpè ſignificat denſiſſimas quaslibet tenebras:*

bras: ut autem tenebræ in Scripturis metaphoricè ſignificant nunc tribulationes, nunc ignorantiæ errores, & peccata: ita umbra mortis: & pro inferni tenebris accipitur Job 3., & 10., & pro afflictionibus, & calamitatibus Pſalm. 22., & 43. Item pro ignorantia, & peccatis Iſai. 9. hic verò ſignificat craſſam hominum ignorantiam ante adventum Chriſti. Ad dirigendos. Verè jungitur directio pedum cum lumine. Pedes. Sunt pedes affectus ipſi. Viam pacis. Cæleſtem beatitudinem, vel viam tutam ab omni periculo intelligit, vel viam juſtitiæ, cujus opus pax. Maldonatus dicit: *Illuminare his, qui in tenebris. Reddit cauſam, cur viſitavit nos oriens ex alto, nempe, ut illuminaret his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedebant. Illuminare his, & non: Hos, dixit Latinus Interpres, Græcam ſecutus phraſim: Illuceſcere his, qui ſedent, id eſt, lumen illis porrigere. Qui diſputant, utrùm illuceſcere, Græcè, & illuminare, Latinè, infinitivi hoc loco, an imperativi modi ſint, rem minimè dubiam in dubium mihi videntur revocare. Quid ſit illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ſuperiori verſu documus.*

Pro: *Nunc dimittis.*

CORnelius dicit: *Lumen ad revelationem, &c. Arabicus: Lumen, quod apparuit Gentibus. Theophylactus: Lumen ad illuſtrationem gentium obtenebratarum. Euthymius: Lumen, quod gentibus errore cæcis viſum reſtituat: revelationem enim vocat viſus reſtitutionem. Sic dicitur Pſalm. 118. verſ. 18. Revela, id eſt, illumina oculos meos. Qui enim cæcus eſt, vel ſedet in tenebris, habet quaſi velum ante oculos, quod per lumen revelatur, & aufertur, ut videre poſſit. Sic velum idololatriæ, errorum, & vitiorum, quod Gentes excæcabat, revelavit, & abſtulit Chriſtus, docens eas veram Dei fidem, & cultum, per quem ſalventur. Ipſe ergo eſt lux mundi Joan. 8. verſ. 12.* Toletus inquit: *Quidam connectunt ſententiam hanc cum verbo (paraſti) quidam cum verbo (Salutare tuum) quaſi appoſitivè dictum. Utrumque probabile, hoc verò probabilius videtur. Præterea illud (gloriam) quidam conjungunt cum illo [Lumen] ut ſit ſenſus: Lumen, quod eſt ad revelationem gentium, & ad gloriam plebis Iſrael; ut enim lumen illuſtrationem, & decorem affert, ſic Chriſtus Gentes illuſtravit, & Judæis gloriam attulit. Quidam alii accommodatiùs utrumque per appoſitionem dictum interpretantur, nempe; Viderunt oculi mei Salutare tuum, quod gentibus eſt lumen, Judæis autem eſt gloria, & honor.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hìc poſita, & ab Auctoribus explicata.

PAter fidei noſtræ Abraham ſummus obtulit holocauſtum ſuper altare pro filio. Abraham Pater noſter exultavit, ut videret diem Chriſti: vidit, & gaviſus eſt. Vidit propheticè Abraham, ac per revelationem cognovit ante tot ſæcula, quòd venturus erat Dominus, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham, & ſemini ejus. Vidit illum diem Chriſti tempore legis Gratiæ affulſurum, in quo Chriſtus illuminans adfuit, & adeſt his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedentes, egebant lumine, quod fuit paratum ad revelationem gentium. Vidit Abraham, quia quod à Deo audivit certius reputavit, quàm ſi illud corporali oculo cerneret. Vidit diem Chriſti, quia hìc piiſſimus Dominus replens corda hominum conſolatione, habuit, ut diem ſuum proprium, illud tempus, in quo ipſe, qui loquebatur adfuit, ſicut locutus eſt Abraham, faciens; illuminans ſedentibus in tenebris, & umbra mortis; &, ut lumen paratum ad revelationem gentium, reſplendens. Vidit Abraham diem Chriſti, & gaviſus eſt, quia illi erat materia gaudii, quòd Dominus ipſi promiſſa executioni mandaret: quòd ſedentibus in tenebris, & in umbra mortis illuceſceret: & quòd, ut lumen verum, populum Gentium ſimul cum plebe Hebræa illuminaret. Et, ſi Abraham gaviſus eſt videns diem Chriſti, quarè nos in hac die, quam fecit Dominus, non exultabimus, & lætabimur? Gaudentes

ergo

ergo gaudeamus in Chriſto, & exultent animæ noſtræ in Deo noſtro: quia induit nos veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit nos, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis, dum in hoc feliciſſimo tempore legis Gratiæ, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros, illuminat nobis, ut lumen verum ad noſtram illuſtrationem paratum. *Nemo* (ait Sanctus Leo Magnus) *ab hujus alacritatis participatione ſecernitur. Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio: quia Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet ſanctus, quia propinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius ſecundùm plenitudinem temporis, quam Divini conſilii inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, reconciliandam auctori ſuo naturam generis aſſumpſit humani, ut inventor mortis diabolus per ipſam, quam vicerat, vinceretur.* Hucuſque Sanctus Leo, ut aſſolet, eloquentiſſimè. Exultemus igitur Deo adjutori noſtro, jubilemus Deo Jacob: ſumamus pſalmum, & demus tympanum, pſalterium jucundum cum cithara: buccinemus in Neomænia tuba, in inſigni die ſolemnitatis noſtræ. Exultemus, ut Sacris ſolemniis juncta ſint gaudia, & ex præconiis ſonent præconia: exultemus Deo per Incarnationem, & per Euchariſtiam (quæ, juxta Sanctum Joannem Chryſoſtomum, eſt Incarnationis extenſio,) nos adjuvanti; jubilemus Deo Jacob: quia Jacob interpretatur ſupplantator, & erit Dominus in Deum illis, qui ſupplantaverint vitia, ut illa calcantes aſcendant ad bona æterna: ſumamus pſalmum per Dei laudes, demus tympanum per corporis mortificationes: ſumamus pſalterium jucundum; ut in decachordo pſalterio (quod, juxta Sanctũ Auguſtinum, ſignificat decẽ præcepta legis in decem chordis,) Deo placeamus, & in Domino letemur ob benè obſervatum decalogum: & confiteamur Domino cum cithara (hoc eſt, cum obſervantia eorum, quæ nobis jubet in ſuis præceptis Sancta Eccleſia Romana;) ut ſic quaſi filii Dei, & Eccleſię, audiamus diſciplinam patris noſtri, & non dimittamus legem matris noſtræ: ſic in inſigni die ſolemnitatis noſtræ, hoc eſt, in ſpirituali Novilunio (quia juxta Mathematicos cum Sacroboſco, Luna nova non patitur eclypſim) abſque interpoſitione terræ humanarum paſſionum, canentes tuba in Sion, in Neomænia tuba buccinabimus, ore ſonantes, ut ex abundantia cordis os loquatur (corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem,) & tubam rectè confeſſionis fidei, apprehendentes manibus operationis bonæ: & ſic cogitatio hominis confitebitur Deo, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent illi; dum ex his, quæ cogitaverimus juxta rectam fidem credentes, proceſſerint cogitationis bonæ reliquiæ in noſtra recta operatione; ut ſit feſtum Domini ipſum feſtum inſignis diei ſolemnitatis noſtræ; in quo quidem legis Gratiæ claro die Chriſti Incarnationem, & Sacratiſſimã Euchariſtiam celebrantes, gaudemus de eo, quòd Chriſtus, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros, nos illuminat homo factus, & eſt lumen ad revelationem gentium paratum, dum eſt verè Deus in Euchariſtia abſconditus. Inter hæc gaudia ſequentem orationem poſt Communionem dicamus.

Oratio poſt Communionem.

Sumpſimus, Domine, Sacri dona Myſterii, humiliter deprecantes: ut quæ in tui commemorationem nos facere præcepiſti, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

EXPLICATIO.

Sanctis Sacramentis aliti, & cibati nos, qui hodie ſumpſimus Sacri dona Myſterii, Jeſum Chriſtum Deum, & hominem, Creatorem, ac Redemptorem noſtrum benigniſſimum adimus, & eorumdem Sacramentorum effectum pio affectu ab illo poſcimus. Accedimus, noſtrum Conditorem, Salvatoremque reverentes, & illum humiliter pro bonis obtinendis ab ipſius Divina Majeſtate, deprecantes. De ejus fidimus miſericordia,

quòd

quòd nobis non negabit quidquid à viſceribus clementiæ ſuæ per nos petitum, atque efflagitatum fuerit: & humiliter deprecamur eum, cernuique illum exoramus, qui benè expediri noſtram orationem cupimus: itaque qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, non repellet plebem ſuam, nec deſpiciet petitionem ſibi fidenter, & humiliter ab ipſa plebe propoſitam. Petimus igitur, ut quæ Chriſtus idem noſter Dominus in ſui commemorationem nos facere præcepit, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium. Utinam idem verus Deus memor ſit omnis ſacrificii noſtri, & holocauſtum noſtrum pingue fiat: tribuat nobis ſecundùm cor noſtrum, & omne conſilium noſtrum confirmet ille ipſe, qui Sacrificium Miſſæ in ſui commemorationem nos facere præcepit. Sic lætabimur in ſalutari noſtro, & in nomine Dei noſtri magnificabimur nos, ſi humiles, & proſtrati, vera fide, ſpe, & amore pleni, coram ejus apparuerimus Majeſtate, & etiam eumdem Redemptorem noſtrum Chriſtum coluerimus adorationis veræ religione. Tunc implebit ipſe Dominus omnes petitiones noſtras, præcipuè verò illas, quas coram illo propoſuerimus, ut velit ſalvare, & ſalvet effectivè noſtras animas. Ad harum ſalvationem ſpectat, quòd Sacramentum, & Sacrificium à ChriſtoDeo, & homine vero fieri juſſa per nos in ſui commemorationem, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium; ut Chriſtianam induamur fortitudinem, utque non ſimus infirmi, & imbecilles, & dormiamus cum illis multis, de quibus loquitur Sanctus Paulus. Multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur, ut plangebat Sanctus Auguſtinus: nam Sacratiſſima Euchariſtia mors eſt malis, vita bonis, ut ait Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus. Memores igitur ſimus Dei, & delectati erimus, facientes in Chriſti Commemorationem, juxta ipſius præceptum, quotieſcumque fecerimus, vel obtulerimus Sanctum Miſſæ Sacricium, conficientes, & ſumētes Sanctiſſimum Sacramentum. Sed noſtri Redemptoris memorantes, meditemur nocte cum cordibus noſtris, exercitemur, & ſcopeamus ſpiritus noſtros: ac ſic Dominus non in finem miſericordiam ſuam abſcindet, nec obliviſcetur miſereri Deus. Memores ſimus operum Domini, & meditemur in omnibus operibus ſuis, qui ſcimus, Chriſtum notam feciſſe in populis virtutem ſuam, & redemiſſe in brachio ſuo populum ſuum. Si taliter egerimus, proficiet Sacramentum abundantis ſalutis, & fortitudinis, in auxilium noſtræ infirmitatis, ac noſtræ debilitatis: ut per Euchariſtiæ Sacramentum nos, qui eramus infirmi, ſimus ſani, & qui debiles, fortiſſimi. In auxilium infirmi proficiunt cibus bonus, & potus bonus, qui eum ſuſtentant, & medicinæ, quæ ſanant. In auxilium debilis proficiunt arma, quæ muniunt, domus, quæ protegit, atque baculus, qui ſuſtinet. Omnia prædicta meliorata habent (ad proficiendum in noſtræ infirmitatis auxilium) Sacri dona Myſterii, quæ oblata ſunt, & quæ ſumpſimus in magno Sanctæ Miſſæ Sacrificio; ſiquidem hæc dona proficiunt nobis infirmis, meliùs, quàm cibus, & potus, quibus noſtra corpora aluntur: meliùs nos ſaluti donant, quàm medicamina corporea pro ægrotantibus inventa, ſive confecta: nobis quoque debilibus eadem Sacri dona Myſterii proficiunt meliùs, quam arma munientia; meliùs, quàm domus protegens; meliùs, quàm baculus ſuſtinens: quia ſunt armaturæ Dei, ſunt loca refugii noſtri, & ſunt, quæ nos firmos tenent, nè hujus ſæculi impellentes tentationes nos præcipitent, & à gratiæ felici ſtatu deturbent.

CA-

CAPUT QUINQUAGESIMUMPRIMUM

Pro Dominica vigeſimatertia poſt Pentecoſten.

Proponitur Textus Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ vigeſimætertiæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti,

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARias legit: *Ac potenti cuſtodire eos, & conſtituere inculpatos.* Æthiopicus: *Puros cum gaudio.* Syriacus: *Sine lapſu, & labe in conſpectu Majeſtatis cum exultatione.* Gagnæjus: *Repræſentari autem.* Alter Syriacus: *Et verò, qui potens eſt, ut cuſtodiat vos abſque delicto, & ſine macula.* Aliqui Græci: *Immaculatos conſtituere.* Arabicus: *Etenim ſalus noſtra potens eſt, ut cuſtodiat vos ſine peccato, & ſine macula, ſeu vitio.* Alter Syriacus: *Et conſtituat vos ſine nævo.* Alter Arabicus: *Et conſtituat vos coram gloria, ſine macula.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Ei autem, qui potens eſt vos conſervare in omnibus veſtris operibus ſine peccato in præſenti, & conſtituere in futuro coram Angelis, qui contemplantur Dei gloriam, immaculatos ab omni ſorde.* Gloſſa Ordinaria: *In exultatione. Quos ſuperiùs monebat in timore Deo ſervire, dicit conſtituendos in exultatione; quia quantò magis trepidi de actibus in præſenti fuerimus, tantò ampliùs in futuro de percepta mercede lætabimur.* Hugo Cardinalis: *Ei autem, &c. Et eſt ſexta pars, in qua monet Sanctus Judas Fideles, ut in omnibus agant gratias, & quærant gloriam Dei. Unde dicit: Ei autem, qui potens eſt vos conſervare, in omni bono. Sine peccato. Dando gratiam in præſenti, qua poteſtis vobis cavere à peccato. Corinth. 15. Gratia Dei ſum id, quod ſum, ſcilicèt, liberatus à peccatis. Et conſtituere. In futuro, in anima ſimul, & corpore ſtatuere ſicut immortales. Ante conſpectum gloriæ ſuæ. Quando, ſcilicèt, gloriam ejus videbimus, & conſpiciemus. 2. ad Corinth. 3. d. Nos verò omnes, revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu. Conſervare dico Immaculatos. Ab omni macula non corporis tantùm, ſed & mentis. Beati enim immaculati in via, &c. In exultatione. Quando venientes venient cum exultatione, dicentes illud Cantic. cap. 1. a. Exultabimus, & lætabimur in te. In adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti. Id eſt, in die Judicii, ubi Dominus cum Majeſtate magna veniet, & virtute. Matth. 24 c. Unde & neceſſarium erit bonos ibi ſtabiliri, & conſolidari.* Nicolaus de Lyra: *Ei autem. Hæc eſt ultima pars, & confirmatio hujus Epiſtolæ, quam terminat Beatus Judas in Divina laude, dicens: Ei autem, qui potens eſt, &c. Scilicèt, Deo, ſine cujus gratia homo non poteſt à peccato ſurgere, nec in bono meritorio perſeverare. Et conſtituere. Vos. Ante conſpectum gloriæ ſuæ. Per apertam viſionem. Immaculatos in exultatione. Quia nullus habens maculam admittitur ad eam, Apocalypſ. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. In adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ad judicium, tunc enim dabitur electis gloria perfecta in corpore; & anima.* Eſtius: *Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato. Concluſio eſt Epiſtolæ doxologica, qua ſimul oſtendit, à quo vita ſan-*

cta, & immaculata, ad quam hactenus hortatus eſt, ejuſque perſeverantia, ſit expectanda; ſcilicèt, ab eo, qui potens eſt id totum præſtare. Quo verbo potentiam, & efficaciam gratiæ Divinæ declarat. Multi Codices non: Vos, legunt, ſed: Illos, ut referatur ad fratres ab errore revocandos. Verùm illis priùs optanda erat converſio à malo, quàm conſervatio in bono. Denique Epilogi ratio poſtulat, ut iis ipſis, ad quos ſcribit, hujuſmodi bona à Deo comprecetur. Quarè lectionem noſtrorum Codicum, quæ etiam in quibuſdam eſt Græcis, hìc præferendam, cenſeo. Et conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione. Significatur remuneratio juſtorum, quando Deus electos ſuos ſtatuet in conſpectu gloriæ ſuæ: id eſt, viſione, & participatione ſuæ gloriæ donabit, ac beatificabit. Addit autem: Immaculatos, Græcè: Irreprehenſibiles: quia nihil coinquinatum illuc intrabit. Apocal.21. Item addit: In exultatione, id eſt, cum exultatione; quia perpetuum gaudium, & exultatio excipiet eos, qui in hoc mundo triſtia multa paſſi ſunt pro Chriſto: Beati, namque, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Matth.5. In adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Hanc partem Græca non habent, nec Beda agnoſcit. Abeſt quoque in vetuſtis aliquot Latinis. Adjecit fortè quiſpiam, ad deſignandum tempus, quo futurum ſit id, quod præcedit. Menochius: *Ante conſpectum gloriæ ſuæ. Id eſt, in gloria cœleſti ſua, quam nullus culpa maculatus ingreditur. In exultatione. Cum exultatione. In adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Cùm, ſcilicet, veniet ad judicandum; tunc enim perfectè Sanctos beabit, & glorificabit etiam corpus.* Tirinus: *Porrò Deus, cujus gratia vos totos impenditis animabus proximorum è cœno eruendis, potens eſt, & (niſi opi, ſeu gratiæ ipſius deeſſe velitis) curabit vos conſervare ſine peccato, & ſine macula, ut addunt Syrus, & Arabicus. Quaſi dicat: Providebit Deus, nè maculata Gnoſticorum tunica commaculemini, &, nè dum alios ſalvare ſatagitis, vos ipſos perdatis. Denique blaſphemiis impiorum hæreticorum opponit Sanctus Judas exemplo S. Petri, & S. Pauli, magnificam doxologiam, qua ſuam ipſe Epiſtolam, nos hanc commentarii partem obſignamus.* Lorinus ſic loquitur: *Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato. Auguſtinus tradit, quòd Deus natura ſua peccare non poteſt; particeps verò Dei ab illo accipit, ut peccare non poſſit: & cuicumque creaturæ id convenit, ut peccare non poſſit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ. Quamvìs porrò conſervare poſſit Deus à veniali quoque peccato, peccati tamen voce intelligi ſolet mortale, cùm abſolutè profertur, niſi quid obſtet: quod etiam Tertullianus nominat mortem afferens, exitioſum, devoratorium ſalutis. Nec illa ſua potentia conſervandi à peccato etiam à veniali, uſum Deum conſtat, niſi cum Deipara, de qua Concilium Tridentinum hoc definivit. Ex quo ſanè probabiliſſimè colligitur, extendiſſe ſe potentiam eamdem ad præſervationem ab originali, per quod inimicus Dei quis conſtituitur. Conſervatio ſine peccato excellens Dei beneficium eſt, ut & confirmatio in gratia, atque perſeverantiæ donum, ſalva ſimul arbitrii libertate: de quo dono definit Concilium Tridentinum, vocans magnum, aliunde haberi non poſſe, niſi ab eo, qui poteſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet; & eum, qui cadit, reſtituere; & qui, niſi illius gratiæ deſimus, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Verſu quidem 21. Judas hortabatur ſe ipſos in dilectione ſervare, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti in vitam æternam. Et conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos. Rikellius interpretatur: Coram glorioſa, & adoranda præſentia ejus, ſeu coram ipſo. Nihil tamen obſtat de præſenti quoque tempore locum hunc accipere, ut conſtituere Deum ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos, idem ſit, atque id facere, ut oſtendat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam, & egent gloria ejus (quoniam inde maximè celebratur Deus, & commendatur, perducitur verò homo ad gloriam beatitudinis æternæ) eligere aliquos, ut ſint ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: & ut ſint in laudem gloriæ ſuæ in eos (ſalus enim noſtra eſt magna Dei laus, gloriaque, inquit Ambroſius.) Gloriam ſuam Chriſtus, ut ſcribit Chryſoſtomus (idem eſt de Deo) noſtram*

ſtram

ſtram dicit eſſe ſalutem: benigni enim, & clementis eſt gloria, eſſe multos, quibus detur ſalus. In exultatione. Poſſet non incommodè exultatio hîc ſumi, quam immaculati paulò antè nominati, ſive juſti, adhuc viventes in dono percipiunt, læti ſemper, gaudenteſque, jugi quaſi quodam convivio fruentes, ob conſcientiæ bonæ teſtimonium, & certam ſpem beatitudinis. In adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Adventus hic eſt ad judicium, ad quod veniet Dominus cum majeſtate magna, & virtute, cum Angelis ſuis, & majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum, cum illuſtratione, in nubibus cœli. Quamquam per adventum Domini, diemque poſſit intelligi vitæ cujuslibet hominis terminus; in quo anima ejus, niſi quid obſtet, recipiet ſtatim coronam juſtitiæ, quæ beatitudo eſſentialis eſt, reſervata in diem judicii beatitudine corporis. Diligit adventum Domini is, qui probo animo eſt, innocente, nullius mali conſcio, inquit Theodoretus, qui ejus gaudet præſentia, dignaque facit iſto gaudio; opes omnes, ſi opus ſit, atque ipſam animam, ponens, ut bonis fruatur æternis, ut ait Chryſoſtomus: qui eum, ut Auguſtinus docet, cum ſinceritate fidei, firmitate ſpei, ardore charitatis, expectat: interim de die hujus vitæ ſuo noviſſimo formidans; quia in quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, nè imparatum eum inveniat Domini adventus; quoniam imparatum inveniet ille dies, quem imparatum inveniet vitæ ſuæ hujus ultimus dies. In poteſtate tua eſt, ait idem Auguſtinus, quomodò expectes venturum Chriſtum. Ideo differt venire; ut, cùm venerit, non te damnet. Adventus ipſius durus eſt duris; mitis eſt piis. Vide ergo modò tu quis ſis; ſi durus, licet tibi miteſcere; ſi mitis, jam gaude venturum. Chriſtianus enim es? Ita, inquis. Credo, quod oras, & dicis: Adveniat regnum tuum. Optas, ut veniat, quem times nè veniat? Corrige te, ut non ores contra te. Sicut, inquit Hieronymus, impietas, magni Dei reformidat Adventum; ita ſecura de opere ſuo, & de fide, pietas præſtolatur. Denique diligit adventum illum, qui ſervat mandatum Dei ſine macula, uſque ad illum, ſive uſque ad mortem, ſive uſque ad generale judicium. Cornelius hæc habet: Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato. Doxologia magnifica obſignat Sanctus Judas Epiſtolam, ait OEcumenius, toto cordis affectu celebrando Dei attributa, & magnificentiam oſtenſam in Chriſto. Doxologia hæc tacitum continet votum, & precem, ut, ſcilicet, Deus fideles ſine peccato conſervet, & immaculatos ſiſtat Chriſto glorioſè venienti ad judicium, ut ab eo gloria donati exultent, eumque laudent in omnia ſæcula. Porrò doxologiam hanc opponit blaſphemiis, & hæreſibus Simonis, & Gnoſticorum. Simon enim dicebat, ſe eſſe Deum, & Redemptorem, non Chriſtum· ſua gratia, non Chriſti, nos ſalvari. Gnoſtici negabant peccatorum turpidinem, punitionem, & judicium univerſale. Hæc ergo in doxologia hac profitetur Sanctus Judas, Deumque celebrat, ut ſolum Salvatorem, ſolum Glorificatorem, ſolum potentem, ſolum mirabilium patratorem, ſolum dominantem, ſolum magnificum, ſolum glorioſum, ſolum æternum. Nota. Tò: Qui potens eſt, non tantùm ſignificat, Deum poſſe, ſed & velle nos conſervare ſine peccato, adeòque conſervaturum, niſi nos ei, ejuſque opi, & gratiæ deſimus. Hinc diſcimus, neminem ſine Dei gratia, poſſe vitare omnia peccata, & vivere ſine peccato, etiam gravi, & mortifero: per ejus autem opem ordinariam poſſe nos omnia mortalia vitare, non tamen omnia venialia ad longum tempus, niſi ex ſpeciali ejus privilegio. Et conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos. Conſpectum gloriæ vocat primò præſentiam Dei glorioſi, in qua omnes in hac vita conſiſtimus, juxta illud Eliæ: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum ſto, 3. Reg. 18. 15. quaſi dicat (Sanctus Judas:) Ut in oculis Dei ſitis, & ambuletis immaculati. Ita Dionyſ. Unde Clemens Alexandrinus exponit: Coram Angelis, quaſi vidente Deo, & ſanctis Angelis. Secundò, & planius. Conſpectum gloriæ vocat gloriam Dei, qua glorioſus apparet, conſpicit, & conſpicitur à beatis in viſione beatifica; huic enim nemo ſiſtetur, niſi planè purus, & immaculatus. In exultatione. Tum, quia exultat ſancta conſcientia in hac vita, eò, quòd nullius mali ſibi ſit conſcia, juxta illud Pſalm. 31. 11.

Lætamini in Domino, & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde; tum potiùs, quia exultant beati in cœlo, juxta illud: Exultabunt Sancti in gloria, Pſalm. 149. 5. Gaudium, & exultationem obtinebunt, Iſai. 35. 10. Porrò exultatio eſt gaudii exceſſus cum quadam cordis, corporiſque ſubſultatione. Præclarè Sanctus Auguſtinus in illud Pſalm. 148. Laudate Dominum de cœlis: Etſi corpus noſtrum, ait, adhuc in Babylonia tenetur, cor noſtrum ad Jeruſalem præmittatur. Laudet ergo tota creatura Dominum, quia hoc ibi facturi ſumus, quod hìc præmeditamur. Cœleſtia tranquilla ſunt, ibi ſemper gaudium, nulla mors, nulla moleſtia, ſemper laudant Deum beati. Nos adhuc in imo ſumus, ſed, cùm cogitamus, quomodò illic laudetur Deus, cor ibi habeamus, & non ſine cauſa audiamus: Surſum corda. Levemus cor ſurſum, nè putreſcat in terra: quoniam placet nobis quod ibi agunt Angeli. Laudate ergo eum in excelſis. In adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Adventum ſecundum Chriſti intelligit, puta glorioſum ad judicium, quo omnes Sanctos beabit, & glorificabit, juxta illud 2. ad Theſſalonicenſ. 1. 10. Cùm venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt. Hinc Sanctus Franciſcus in explicatione Orationis Dominicæ illud: Adveniat regnum tuum ſic explicat: Adveniat regnum tuum, ut regnes in nobis per gratiam tuam; & facias nos venire ad regnum tuum, ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

CONſervatio eſt continuata productio; ideòque qui non eſt potens ad producendum, nec etiam eſt potens ad conſervandum. Dei eſt ſolius nos conſervare, quia ejus tantùm eſt nos creare, & condere, dareque creaturis ſuis viſibilibus, vel inviſibilibus primum eſſe, ex nihilo eas faciens, quia eſt Creator Omnipotens. Quis niſi Auctor gratiæ Deus noſter poteſt nos conſervare ſine peccato, & operari in nobis, quamvis cooperantibus nobis, perſeverantiam in bono? Quia ſolus Deus eſt gratię Auctor Divinę, ſolus ipſe eſt Auctor finalis perſeverantiæ. Qui perſeverantiæ (ſicut & gratiæ) eſt Auctor, & donator, eſt qui unicè poteſt nos immaculatos conſtituere in exultatione in Adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Ille immaculatus (id eſt, ſaltem culpa gravi non maculatus) Tribunali Chriſti ſiſtitur in morte, cui finalis perſeverantiæ conceditur donum, & qui à Deo per merita ipſius Chriſti Domini hoc magnũ conſequitur beneficium. Ergo, ſicut nos non poſſumus viribus naturæ nos in gratia conſtituere, nec in illa finaliter perſeverare (ſicut nemo poteſt creare, vel conſervare ſeipſũ;) ità ſimiliter non poſſumus noſtris viribus conſtituere noſmetipſos ante Tribunal Jeſu-Chriſti in judicio particulari, & finali immaculatos. Quos igitur Deus potens immaculatos in Adventu Chriſti ad judicandum conſtituet, ſignum eſt, quòd eis gratiam finalis perſeverantiæ conceſſerit, & donaverit; quia neutiquam poſſent immaculati ante Divinum Tribunal apparere, niſi anteà (conſervati ſine gravi ſaltem peccato) eſſent dotati dono perſeverantiæ mirifico. Ergo beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; quos Deus ſingulariter in ſpe conſtituerit per donum perſeverantiæ, ut ſint immaculati cum eo, & obſervent ſe ab iniquitate ſua. His retribuet Dominus ſecundùm juſtitiam eorum, & ſecundùm puritatem manuum illorum in conſpectu oculorum ejus: & ſic cum ſancto ſancti erunt, & cum viro innocente innocentes erunt; percipientes quidem, ut immaculati, fructus juſtitiæ, quia conſecuti fuerunt à Deo dona gratuita gratię, & perſeverantiæ. Utinam igitur per gratiam, & perſeverantiam conſervans nos Deus ſine peccato, ponat immaculatam viam noſtram, & ſuper excelſa virtutum ſtatuat nos, perficiens pedes noſtros tamquàm cervorum: quia virtutum montes excelſi cervis, illis utique, qui conſervati à Deo ſine peccato (nam quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderant animæ illorum ad Deum) invenientur pſallentes, & intelligentes in via immaculata, quando Deus veniet ad

eos judicandos, & ſalvandos; quoniam ambulans in via immaculata hic Deo miniſtrat, & ubi Chriſtus eſt (qui Deus judex eſt,) erunt etiam miniſtri illius, ſtantes in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri; & plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt: germinabunt profectò ſicut lilium, & florebunt in æternum ante Dominum. Faxit Deus, ut fiat cor noſtrum immaculatum in juſtificationibus illius, ut non confundamur; & ut aſcendamus ad populum accinctum noſtrum; quia non habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus; in quam non intrabit aliquid coinquinatum. His intenti cum timore, & tremore noſtram ſalutem operemur, Deo dante, adjuvantes noſmetipſos, nè in vacuum gratiam Dei recipiamus: & affectibus timoris, & ſpei has duas Orationes ſequentes Deo noſtro præſentemus.

Oratio Officii Dominicæ vigeſimætertiæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

A*Bſolve, quæſumus Domine, tuorum delicta populorum: ut à peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.*

EXPLICATIO.

LAudent omnes gentes Dominum, & collaudent eum omnes populi Eccleſiæ Catholicę Dei ipſius, de qua idem dixit: *Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*; ſicque audita eſt vox magna de throno dicens: *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*. Multi populi unus populus ſunt in Catholica Eccleſia, quia unus Deus, una fides, unum baptiſma; cùm etiam multi unum corpus ſimus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Hodie oramus Deum, ut orantibus in loco iſto dimittat peccata populi ſui Deus, dum petimus eum, ut abſolvat ſuorum delicta populorum. Poſcimus igitur, ut Deus populi ſui inſtitutor, & rector, peccata, quibus impugnatur, expellat, ut ſemper ſibi placitus, & ſuo munimine ſit ſecurus. Dicimus ergo alloquentes Deum: *Abſolve quæſumus Domine, tuorum delicta populorum*. Qui plures optamus, & flagitamus fore abſolutos, multos homines populorum, ſive populi Dei (ubi verè ſunt multi juſti, & veri Dei ipſius amici) eſſe, credimus, peccatorum catenis ligatos, & vinculis delictorum compeditos. Hos omnes vinctos in mendicitate, & ferro, ſolvi, atque abſolvi à Deo, & Domino noſtro, humiliter deprecamur. Nos ipſi, qui hæc petimus, addimus: *Ut à peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur*. Ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus: &, ut quos conſcientię reatus accuſat, miſeratio Dei pietatis clementer abſolvat, Deo graviter peccaſſe confitemur: & quia Dei eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixit ſe malle pœnitentiam peccatorum, quàm mortem; quia etiam proprium eſt Deo miſereri ſemper, & parcere; eum oramus, ut vivificet nos famulos ſuos; &, ut qui non derelinquit devios, aſſumat correptos. Quando à Deo depoſcimus, ut abſolvat ſuorum delicta populorum, expetimus, nè ſit à nobis famulis ſuis clementiæ ejus longinqua miſeratio; ac, ut ſanet, noſtraque remittat peccata, ut nullis iniquitatibus ab illo ſeparati, ei ſemper valeamus adhærere: &, quòd præſtet nobis famulis ſuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, à cujus integritate deviavimus peccando, amiſſorum reddamur innoxii veniam conſequendo. Oramus inſuper Dominum noſtrum, ut moveant pietatem illius famulorum ſuorum lachrymoſa ſuſpiria, & noſtris medeatur vulneribus: utque ipſe nobis jacentibus manum porrigat ſalutarem, nè Eccleſia ſua aliqua ſui corporis portione vaſtetur; nè grex ſuus detrimentum ſuſtineat; nè de familiæ ipſius Domini noſtri damno inimicus exultet; nè renatos lavacro ſalutari mors ſe-

ſecunda poſſideat. Noſtro itaque Domino ſupplices preces cum fletu cordis effundimus, ut ipſe parcat confitentibus: ut ſic in hac mortalitate peccata noſtra, illo adjuvante, defleamus, quatenùs in tremendo Judicii die ſententiam æternæ damnationis evadamus, & neſciamus quòd terret in tenebris, quòd ſtridet in flammis; atque ab erroribus ad iter reverſi juſtitiæ, nequaquam vulneribus fauciemur; ſed integrum ſit nobis, atque perfectum quod gratia contulit, & quod miſericordia reformavit. Si omnia dicta erga ſubſtantiam, & modum noſtræ veræ pœnitentiæ ritè, & affectuosè fecerimus, & hic jam expreſſa obtinuerimus, cognoſcetur (ſaltem in futuro, quando cuncta cordium ſecreta proferentur ad lucem,) quòd Dei benignitate liberati ſumus à peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus. Nexibus nos noſtrarum iniquitatum involvimur, nè liberè ad Deum volemus, imò & nè iter, vel paulatim deambulando, faciamus. Sic avicula aucupum laqueis irretita impeditur, ut nec ad ſuperna volet, nec per terram ambulare poſſit. Sed ille, qui dixit de Lazaro: *Solvite eum, & ſinite abire*, poteſt quoslibet ligatos ſolvere: &, ſi abſolverit ſuorum delicta populorum, laqueus conteretur, & nos liberati erimus, ad ambulandum per virtutes, & ad volandum etiam per delicias cœleſtes. Sed quando fuerimus taliter à peccatorum noſtrorum liberati nexibus, utpote à vinculis noſtræ pravitatis expediti, dicemus jurè, adjutorium noſtrum fuiſſe in nomine Domini pro ſua benignitate.

ORATIO SECRETA.

Pro noſtræ ſervitutis augmento ſacrificium tibi, Domine, laudis offerimus: ut quod immeritis contuliſti, propitius exequaris. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Dum ſacrificium laudis Deo offerimus, nolumus quidem noſtram ſervitutem minuere, imò deſideramus in dies augere ſervitutem tanti Domini. Appetimus naturaliter libertatem: ideo quotidie optare nos fas eſt Dei noſtri ſervitutem; quia ille eſt verè liberior, qui eſt, & noſcitur ſervituti Dei applicatior, & addictior. Servire Deo regnare eſt: ergo Domino ſerviamus fideliter, ut per hoc adipiſcamur in libertate perfecta regnare ſimul fauſtè, & æternaliter. Ob hoc ſaltem bonum comparandum, in Altari pro noſtrę ſervitutis augmēto Sacrificium laudis Deo noſtro littemus, ut per idem ſacrificium, noſtram ſervitutem (imò per eamdem ſervitutem meliorem libertatem) augeamus. Aucta iſta nos jucundabit ſervitus, quæ facit Domino ſervientes, reges, beatos, & liberos. Non renuamus illa ſacrificia libare, per quæ conceditur nobis poſſe noſtram ſervitutem augere; quia carebimus ſervitutis felicis augmento, ſi abſtinuerimus nos à ſalubri Dei Altaris beneficio. Multiplicentur ſacrificii laudis oblationes, ut veniat nobis augmentum adeò fauſtæ ſervitutis. Inhæreamus ſacrificio proficuo, per quod creſcere poſſumus in noſtræ ſervitutis ad obſequium Dei augmento. Aſcendamus deſcendentes, & nos ſub potenti manu Dei humiliantes: quia ille plùs cognoſcitur in gloriæ veræ altitudine adultus, qui videtur in ſervitute Dei augmentatus; ſiquidem per hanc eſt ad honorem ampliorem, & uberiorem evectus; ampliùs attingens faſtigium elevationis, quò magis tetigerit augmentum Dominicæ ſervitutis. Petimus hodie, ut Deus exequatur propitius quod immeritis nobis voluit conferre benevolus. Non meremur profectò celſitudinem ſervitutis Dei, ſicut non meremur Sacrificium, quod offerimus, & Sacramenta, quæ accipimus; ſed ſicut hæc, etiam Dei ſervitutem habemus per Dei largitatem nobis talia concedentem. Ille ſine nobis, & ſine noſtris meritis, ad veram fidem, & ut eſſemus Eccleſiæ filii, nos vocans per gratiam ſuam; præſtitit nobis, quòd ei ſerviamus, ob ſuam miſericordiam. Exequatur ergo, ut petimus, Deus noſter propitius nobis (per Sacrificium in ſuo obſequio, & noſtra ſervitute auctis) quo voluit concedere clemens, pius, & miſeri-

cors

cors nobis, quamvìs adeò immeritis: ut laudemus illum in æternum ob beneficium, quod nobis conceſſit, immeritis ſuam ſervitutem ad noſtram veram exaltationem conferens: & ob cœleſtem favorem, quem expectamus, cùm in præmium ſervitutis noſtræ, nobis executus fuerit ſuam glorificationem propitius: & ut nos, qui ob ſuam clementiam in ſua ſervitute fuerimus (licèt immeriti) aucti, ob gloriam nobis [gratioſè aliquomodò, quia ultra merita, quamvìs ad præmianda merita] conceſſam, ſimus verè læti in perpetuæ Dei ipſius fruitionis æternitate.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

SImon de Caſſia ait: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham. Quibus facturus talia repromiſit. Et ſemini ejus uſque in finem ſæculi. Quod ſalutare diſpoſuit. Ecce complevit Maria Canticum ſuum, plenum laude, actionibuſque gratiarum, Dei miſericordiam, & juſtitiam plenè demonſtrans.* Barradas dicit: *Sicut locutus eſt, &c. Primus ſenſus eſt: Suſcepit Deus populum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros, videlicèt, ad Abraham, & ſemen ejus, id eſt, Iſaacum, Jacobum, & Prophetas, in ſæcula permanſuros. Locutus autem dicitur Deus cum Abrahamo, & ſemine ejus, id eſt, Patriarchis, & Prophetis, de miſericordia per Chriſti Incarnationem mundo exhibenda. Secundus: Suſcepit populum ſuum, memor miſericordiæ (ſicut locutus eſt ad Patres noſtros,) miſericordiæ, inquam, Abrahamo, & ſemini ejus exhibendæ in ſæcula. Etenim Meſſiæ miſericordia, ac redemptio ſæcula omnia complectitur. Similis verborum ordo ille eſt Pſalm. 103. Juſtitia illius in filios filiorum, iis, qui ſervant teſtamentum ejus: hoc eſt, juſtitia illius in filios filiorum exhibenda iis, qui ſervant pactum ejus. Tertius: Anxilium populo tulit Deus recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut locutus eſt, hoc eſt, ſicut promiſit Patribus noſtris Abrahamo, & ſemini ejus, duraturo in ſæcula. Nam ſemen ſpirituale Abraham in ſæcula permanebit. Adde & quartum ſenſum hujuſmodi: Suſcepit populum, ſicut locutus eſt ad Patres, & recordatus in ſæcula omnia miſericordiæ ſuæ. Nam propter Chriſti Incarnationem numquam obliviſcetur mundi miſereri Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Parit diverſas has interpretationes vox (In ſæcula;) poteſt enim conjungi, vel cum ſemine Abrahæ; vel cum recordatione Dei; vel cum miſericordia, ut eſt explicatum. Recordari autem dicitur Deus metaphoricè. Nulla enim in illum oblivio cadit. Quomodò autem hoc loco Iſraelis nomen ſit accipiendum, docet his verbis Euthymius: Dubitavit aliquis, quomodò auxiliatus ſit Deus Iſraelitico populo? Chriſtianis enim potiùs auxiliatus eſt, quàm Judæis. Cui reſpondemus, quòd vetus Iſrael, antiquus eſt populus; novus Iſrael novus populus, id eſt, Chriſtianus, pro illo inductus; qui ex omni gente conſiſtit. Hunc ergo Iſraelem intellige. Quòd, ſi etiam veterem intelligis, ita quoque ſermo conſtabit; propter illum enim potiſſimùm incarnatus eſt; deinde & ab eis Matrem elegit, ac cognatus illorum nuncupatus eſt. Hæc Euthymius.* Hucuſque Barradas. Sylveira inquit: *Sicut locutus eſt, &c. Declarat (Beata Virgo Dei Genetrix Maria) recordationem miſericordiæ in eo, quòd adimplevit de adventu Meſſiæ id, quod multò anteà locutus erat, ſeu promiſerat Judæorum parentibus Abraham, Iſaac, Jacob, David. Expreſſit autem Abraham, quia ei primùm Chriſtus promiſſus fuerat. Et ſemini ejus. Loquitur de poſteritate non carnali, ſed ſpirituali ſecundùm fidem. Roman. 9. n. 8. Non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Et hoc in ſæculum, ſeu in perpetuum promiſit. Quomodò hic textus conſtruendus eſt?*

eſt? Circa conſtructionem hujus textus eſt tota difficultas, cùm dicat: Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, & commutato caſu, addat: Abraham, & ſemini ejus. Ideò Salmeron, & alii Recentiores connectunt hanc ultimam ſententiam cum ſuperiore, & legunt: Recordatus miſericordiæ ſuæ Abrahæ, & ſemini ejus in ſæcula. Ut ait Salmeron, omnia verba tam Græca, quàm Latina, & Hebraica præter conſuetum caſum permittunt dativum ad ſignificandam gloriam, vel utilitatem. Pſalm. 97. n. 3. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael. Ita hìc dicitur: Recordatus miſericordiæ ſuæ ipſi Abramo, & ejus ſemini. Cum hac expoſitione pugnat, quòd omnia exemplaria Græca, Hebraica, Syriaca habent in eodem caſu concordatos Patres cum Abraham, & ſemine ejus. Unde dicendum putò, quòd ſæpè in Scriptura ea, quæ pertinent ad eumdem caſum, non ponuntur in illo, ut notant Hugo, & Pater Franciſcus de Mendoza 1. Reg. cap. 9. verſ. 20. in expoſitione num. 3. ubi ait Samuel ad Saul: Et cujus erunt optima quæque Iſrael? Nonnè tibi, & omni domui patris tui. Ubi interrogatio, & reſponſio non cohærent in eodem caſu; nam interrogatio fit per caſum gignendi: Cujus erunt; & reſponſio per caſum dandi: Nonne tibi; quod præcipuè fit per caſum dandi, ratione utilitatis; acſi dicat: Locutus eſt, ſeu promiſit ad Patres noſtros in commodum Abrahæ, ac ſeminis ejus. Hæc Sylveira. Maldonatus dicit: *Sicut locutus eſt, &c. Quaſi dicat: Ut recordaretur miſericordiæ ſuæ, quam promiſerat Patribus noſtris, ſcilicèt, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Patres intelligit omnes Patriarchas, ſed illos in primis, quibus Dei promiſſio de naſcituro ex ſemine ipſorum Chriſto facta fuerat, quales fuerunt Abraham, Iſaac, Jacob, & David. Sed ſolum nominavit Abraham, quia illi primùm Chriſtus promiſſus fuerat, & quia ipſe omnium credentium futurus erat pater. Illud: In ſæcula, vel ad miſericordiam refertur, quaſi dicat, locutum fuiſſe Deum, id eſt, promiſiſſe Patribus perpetuam miſericordiam: vel ad ſemen, quaſi dicat, promiſiſſe Abrahamo, & omnibus ejus poſteris, qui uſque ad finem ſæculi futuri erant. Senſus eodem redit.* Toletus ait: *Sicut locutus eſt; &c. Antiquam, & perfectam miſericordiæ hujus recordationem declarat, quaſi diceret: Multò antè locutus erat, & promiſerat Deus Patribus Judæorum hanc ſuſceptionem carnis, quam quidem, ſicut promiſerat, implevit. Locutus idem ſignificat, ac promiſit. Recordatus ergo eſt, ſicut locutus fuit, id eſt, fecit, ſicut promiſerat. Poſſumus etiam illud (ſicut) interpretari loco relativi, nempe: Recordatus miſericordiæ, quam locutus eſt, & promiſit ad Patres noſtros. Hi autem Patres ſunt Abraham, Iſaac, Jacob, & David, quibus promiſſio facta eſt de venturo Chriſto ex eorum genere. Communes Patres hos, Eliſabeth, & Beata Virgo habebant; ideò noſtros appellat. Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Hæc particula non præcedentibus connectitur, ſed illis: Recordatus miſericordiæ ſuæ, quæ, ſcilicèt, facta eſt Abrahamo, & poſteritati ejus in ſæcula, ſeu in perpetuum. Hæc enim miſericordia in utilitatem ceſſit ipſius Abrahæ, & poſteritatis ejus, non ſolùm præcedentis, ſed futuræ uſque in ſæculum, & in mundi finem. Verbi enim Incarnatio non tantùm præcedentibus fidelibus, ſed futuris uſque in ſæculum attulit benedictionem. Semen appellat poſteritatem Abrahæ, quam ut ſignificet comprehendere futuram in finem, addidit: In ſæcula. Hanc autem poſteritatem non carnalem illam, ſed ſpiritualem, quæ ſecundùm fidem eſt, intelligere oportet, juxta illud Roman.* 8. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen, non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. His verbis Beata Virgo fructum Adventus, & miſericordiæ hujus explicuit.* Hugo Victorinus inquit: *Sicut locutus eſt, &c. Miſericors in promittendo, verax in exhibendo: quia ſine debito promiſit: & ſine dolo exhibuit. Sicut locutus eſt Patribus noſtris, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Explicitus eſt Commentarius ſuper Magnificat.*

Pro: *Benedictus.*

Barradas ait: *Illuminare his, &c. Id eſt, ut illuceſcat his, qui in hoc caliginoſo orbe vivunt, ſedentque, & habitant in tenebris, & umbra mortis. Quo in ſtatu mundus*

dus ſine Chriſto fuerit, docet Zacharias. Quod ſine ſole, id fuit ſine Chriſto. Sol mundi ſpiritualis Chriſtus eſt. Sedebant olim antiqui illi Patres in tenebris, nondum exorto ſole, & in umbra mortis ipſius Chriſti. Quid enim erant omnes illæ victimæ, illa ſanguinis tam frequens in templo effuſio, illi ritus ſacri; niſi mortis Chriſti umbra, in qua populus ille ſedebat mortem expectans Domini? Cùm hæc Zacharias canebat, in Oriente Sol erat: Viſitavit, inquit, nos Oriens, jam radios ſpargere per nubem Virginei ventris incæperat, cùm Joannem illuminavit. At in Occidente, id eſt, in morte multò clariorem effudit lucem. Sol in Occidente lumen aufert, noſter Sol in Occidente maximum ſplendorem effudit. In umbra hujus Occidentis, & mortis, antiqui illi ſedebant; ideòque ad Occidentem fundebant preces. Sancta enim Sanctorum, versùs quæ Deum precabantur, & ritè adorabant, in Occidentali templi parte erant. Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Illuminavit nos Sol ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, id eſt, ut rectis greſſibus, per viam pacis, hoc eſt, pacificam, hoſtibuſque liberam, & ſolis radiis illuminatam, in cælum tendamus. Per denſiſſimas tenebras, via non apparet; orto ſole, fit conſpicua: recto tunc itinere, quò volunt, pergunt viatores. Iſai. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Ambulabat populus in tenebris, non recto gradiebatur itinere, lux orta eſt, quæ hominum pedes, greſſuſque direxit. Sylveira dicit: *Illuminare, &c. Proſequitur Zacharias metaphoram, quam incæpit, dicens, Chriſtum ortum eſſe ex alto, tamquam ſolem, cujus natura, & munus eſt eos illuminare, qui in tenebris ſunt: quaſi hoc probans Chriſtum Dominum verum Deum, quia ſolus ille, qui erat Oriens ex altitudine Divinitatis, poterat reſpicere, & illuminare miſeros ſedentes in tenebris. Deinde oſtendens Chriſti, qui in natura erat velut ſol, munus eſſe, non deſpicere, ut illuminaret infimos, & abjectos. Illuminare bis, variè legitur; à quibuſdam in imperativo, tamquam ſit oratio deprecativa: O Sol Oriens illuceſce. Sed ad hoc non eſt fundamentum in Græco. Alii in conjunctivo, ut illuceſcat, vel appareat. Propriè tamen in Græco eſt: Illuminare: & ita noſter Interpres ſecutus. Et ideò dixit: Illuminare, non eos, ſed his, caſum dictionis Græcæ ſecutus. In tenebris. Id eſt, in ignorantia lucis rerum Divinarum. Et umbra mortis. Divus Gregorius, & Divus Bernardus intelligunt de miſerabili ſtatu peccati, cùm quis latet ab amoris Divini notitia. Sicut umbra reſultat ex corpore, ita mors ex peccato. Poſſunt etiam per umbram mortis accipi occaſiones peccati, quia ipſas immediatè concomitatur peccatum. Per ſedentes ergo tam Judæi, quam Gentiles ſunt interpretandi, quia, licet notitiam veri Dei haberent, multis tamen erroribus erant implicati, nec intelligentiam legis obtinebant, nec Prophetas de adventu Chriſti penetrabant: Gentiles vero, quia omninò erant deſtituti notitia veri Dei, & ſalutis. Ad dirigendos pedes noſtros, id eſt, noſtros affectus, Pſalm. 79. n. 3. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. In viam pacis; in viam ſalutis, & beatitudinis, Pſalm. 13. n. 3. Iſai. 59. n. 8. Dicitur via, quia communis eſt omnibus volentibus per illam ambulare; & pacis, quia ibi eſt vera pax, & unitas.*

Pro: *Nunc dimittis.*

CORnelius ait: *Lumen ad revelationem, &c. Chriſtus eſt lux mundi. Joann. 8. v. 12. Alludit ad oraculum Iſaiæ, qui ante ſeptingentos annos id ipſum vaticinatus erat cap. 42. v. 26. dicens: Dedi te (O Chriſte) in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris, &c. Rurſum cap. 49. v. 6. Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Denique cap. 60. v. 3. Ambulabunt gentes in lumine tuo. Hac de cauſa in Miſſa, præſertim in Feſto Purificationis, candelas benedicimus, accendimus, & geſtamus, primò, ut profiteamur, Chriſtum eſſe lumen ad revelationem gentium; ſecundò, precamur, ut ipſe nobis ſuam lucem gratiæ in hac vita, & lætitiæ, & gloriæ in altera vita communicet; qua de cauſa moribundis hæ candelæ accenſæ in manus dantur. Vide Amalarium, Duran-*

dum, & cæteros, qui de Officiis Eccleſiaſticis ſcripſere. Toletus dicit: *Lumen ad revelationem, &c. Advertendum eſt, Chriſtum lumen attuliſſe Gentibus, & Judæis: omnes enim lumen adventus, & Evangelium receperunt, & illuminati ſunt. Ideo Chriſtus dicitur lux mundi, Joan.8. Ego ſum lux mundi: & Joan.3. Lux venit in mundum. De Judæis etiam dictum eſt Iſai.6. Surge, illuminare Jeruſalem. Quia verò Gentes ante Chriſti adventum erant ſine fide, erroribus, atque ignoratione Dei obſcuratæ; Judæi autem veri Dei agnitionem, & venturi Chriſti fidem habebant, idcircò Gentes illuminatæ dicuntur. Sicuti è contrà, Chriſtus gloriam attulit Gentibus, & honorem; tamen, quia hoc peculiari beneficio Judæos proſecutus eſt, quòd carnem de eorum genere ſumpſit, dicitur gloria eorum eſſe.*

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

QUi dat omnibus affluenter, & locutus eſt ad Patres noſtros Abraham, & ſemini ejus in ſæcula; affluenter dedit quod illis promiſit: ac illuminans his, qui in tenebris, & umbra mortis ſedebant, affluenter dedit eis Divinam cognitionem: utque lumen paratum ad revelationem gentium, affluenter dedit nobis ſplendorem mirificum. Ergo confiteamur Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus: dicant nunc qui timent Dominum: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Confitebimur Deo, quoniam exaudivit nos, & factus eſt nobis in ſalutem, promiſſa implens, illuminationem impertiens, & veri luminis coruſcationes omnibus liberaliter diſtribuens.* Operatus eſt igitur Rex noſter ſalutem in medio terræ, dum promiſſa Abrahæ, & ſemini ejus implens, è cœlo venit, & orbem inhabitavit: dum ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, & ſalvationis, illuminavit his, qui ſedebant in tenebris, & umbra mortis: & dum lumen fuit ad revelationem gentium, glorificans ſimul Iſrael populum ſuum. In medio terræ operatur etiam ſalutem Rex noſter, quando in Euchariſtia intra terrena accidentia panis, & vini latet: quia inde ſalvat, ſicut promiſit; nam per Divinum Sacramentum benè acceptum, manet homo in Chriſto ſecurus, & Chriſtus in homine glorificatus: inde operatur ſalutem, illuminans nos ad nos dirigendos; dum qui manducat eum, ipſe vivet propter illum: inde etiam ſalvos nos facit revelans ſe nobis, ut lumen ad capiendam Patriam vitæ æternæ valdè proficuum; nam qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Quia igitur qui Sacram Communionem accipit debita cum præparatione, in Chriſto manet, & hic Dominus in illo; Regi Domino promiſſa ſolventi, & nobis ſalutem operanti, reddamus tributum obſequii: illi ipſi, qui nos illuminans, & dirigens, ſalutem donat, quilibet noſtrûm debitum amorem tribuat: & quia idem Dominus, dum illuminat, & dirigit, nos in ſua vita Divina ſtabilit, & firmat; nemo ſit, qui tanto Domino promptiſſimè non obediat: ac, quoniam demùm promiſſa nobis implens, nos immortales per Divinam eſcam facit, dum etiam nos illuſtrat, & glorificat Dominus, qui regnabit in æternum, & ultrà; omni Divinam Euchariſtiam proſequamur reverentia, ob accepta dona gratias agentes, hymni tributum ſolventes, & illius gratiam, & amicitiam ſuper omnia appretiantes. Horum memores, ad Dei laudem dicamus Orationem ſequentem poſt Communionem.

Oratio poſt Communionem.

QUæſumus, Omnipotens Deus, ut quos Divina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubjacere periculis. Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

TRibuit profectò nobis Deus in Sacroſancta Miſſa, Divina participatione gaudere. Quomodo nō gaudere poterimus, Di-

Divina participatione donati? Qualiter lætitia magna non replebimur, quando tali, ac tanto dono Divino ditamur? Noſcimur verè divites, cùm non cernimur Divinæ participationis expertes. Immenſè diteſcimus (quantùm in hac vita poſſumus) quando Divina Miſſæ participatione abundamus. Quis de paupertate jam impoſterùm emittet querelam, ſi acceperit talium chariſmatum redundantiam? Inopes conquerantur illi, qui tantis beneficiis non affluunt, & talibus numquàm bonis perfunduntur. O benedicta ſit Divina bonitas, nobis largiens tot, ac tam magnas divitias! Sed heu! Poſſumus in mari hujus ſæculi naufragantes pati periculum, antequàm navem animæ, & conſcientiæ, pretioſis mercibus onuſtam, ad vitæ æternæ deducamus portum: poſſibile eſt nos vitiis locum dare, dum vivimus, & propterea in culpam, & æternam pœnam ſubmergi, ac omnia merita vitæ æternæ, quæ labore maximo comparaverimus (cum Dei adjutorio benè operantes,) amittere. Timere itaque debemus ſubjacere periculis humanis, etiam quando in hac vita nobis tribuerit Dominus Deus noſter lætos eſſe de magno bono participationis Divinæ. Non ſumus confirmati in gratia, quamvis per Dei gratiam, & miſericordiam, habeamus ſanctificantem, & gratos facientem gratiam, (quod quidem ita eſſe neſcimus:) & ideo non ſumus ſecuri de noſtra perſeverantia in bono, nec de habenda gratia finali, quæ eſt maximum Dei donum, quod ſine meritis datur, & quod non eſt omnibus hominibus conceſſum, vel concedendum: nam, cùm hæc etiam perſeverantia, & finalis gratia (ſicut etiam gratia prima) non cadat ſub merito; Deus pro libito ſuo quos vult ditat hoc magno ſuæ pietatis, & miſericordiæ inter omnia, ac præ omnibus beneficio. Ut nobis ipſe Deus illud velit donare, ab eo petimus, quòd non ſinat nos humanis periculis ſubjacere. Qui navigant mare, enarrent pericula ejus. Pericula quidem ſunt in terra: pericula in mari hujus ſæculi: & ideò dixit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *O quot perire in iſto Euripo animæ!* Circumdamur itaque periculis in terra noſtri terreni cordis, & in hujus ſæculi mari, ut ait Sanctus Auguſtinus, *circumſtantibus agitamur procellis*. *Non poteſt meritum Regni cœleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate preſſus, emergendi non habet facultatem*, ut docet Sanctus Ambroſius. Ergo, ut feliciter perveniamus per bonam mortem ad gloriæ portum, & de plena victoria valeamus gloriari, Deus non ſinat nos periculis humanis in hoc mundo ſubjacere.

CAP. QUINQUAGESIMUMSECUNDUM, ET ULTIMUM.

Pro Dominica vigeſimaquarta poſt Pentecoſten, & ultima earum, & anni.

Proponitur Textus Epiſtolæ S. Judæ Thaddæi Apoſtoli ante explicationem Orationum primæ, & ſecretæ Miſſæ hujus Dominicæ vigeſimæquartæ, & ultimæ poſt Pentecoſten. Qui quidem Textus eſt hic:

Soli Deo Salvatori noſtro, per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, gloria, & magnificentia, imperium, & poteſtas ante omne ſęculum, & nunc, & in omnia ſęcula ſæculorum. Amen.

Explicatio litteralis, & moralis horum verborum ex Auctoribus.

ARabicus legit: *Robur, & auctoritas, imperium, honor*. Syriacus: *Gloria, potentia, & dominatio in omnes æternitates*. Æthiopicus: *Et hic eſt ſolus Deus Servator noſter Jeſus-Chriſtus, cui, &c. virtus, & poteſtas coram univerſa creatione mundi, cum Patre ejus optimo, miſeratore, & Spiritu Sancto vivificatore in omni futuro ſæculo. Amen, & Amen.* Arias: *Soli ſapienti*. Cornelius: *Claritas*. Alter Arabicus: *Per manus Domini noſtri Jeſu-Chriſti*. Alter Syriacus: *Solus Deus liberator noſter per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, ante majeſtatem in gaudio, gloria, &c.* Gloſſa Interlinealis ſic explicat: *Soli Deo Salvatori noſtro, qui ſolus eſt Creator, & Salvator, mittendo Filium, per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, imputetur gloria, magnificentia, &c.* Gloſſa Ordinaria: *Gloria, magnificentia: Si habetis gloriam pure fidei, & conſcientiæ, & magnificentiam in operatione, & imperium ſuper infirmitatem, vel ſuper dæmones, & poteſtatem reſiſtendi vitiis, vel tortoribus, Deo, non vobis imputate, qui ante tempora, in præſenti, & poſt omnia tempora eſt glorioſus in eſſentia, magnificus in operibus, imperans tam volentibus, quàm nolentibus, & potens, cui nihil reſiſtit*. Hugo Cardinalis: *Soli Deo Salvatori noſtro per Jeſum-Chriſtum, per quem omnia operatur Pater, ut artifex per ſuam ſapientiam. Gloria: Ipſi, inquam, eſt gloria in ſe. Magnificentia in operatione. Imperium, in regimine omnium, ut omnis voluntas ejus fiat. Et poteſtas, cui nihil reſiſtit. Ante omnia ſæcula, id eſt, ante mundi conſtitutionem. Et nunc, id eſt, toto mundi hujus tempore. Et in omnia ſæcula ſæculorum, quæ futura ſunt poſt mundi finem in æternitatem. Amen. Confirmatio eſt omnium prædictorum, quaſi dicat: Nihil cadet, vel deficiet ab eis, quæ prædiximus. Amen enim dicitur ab A. quod eſt: ſine, & men. quod eſt: defectus. Et in illa cæleſti Patria nullus erit deficiens, nullus fatigatus, nullus dormitans, nullus tardus*. Nicolaus de Lyra: *Soli Deo Salvatori noſtro. Ipſe enim ſolus poteſt nos ſalvare æterna ſalute. Per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum. Nam humanitas Chriſti eſt humanæ ſalutis inſtrumentum, Divinitati conjunctum, ut frequenter dictum eſt ſuprà. Gloria. In quantum apparet dignus omni laude. Eſt enim gloria clara cum laude notitia. Magnificentia, Ex diffuſione ſuæ bonitatis ſuper omnia. Imperium, Ex obedientia totius creaturæ ad ipſum. Et poteſtas, In punitione malorum, & præmiatione bonorum. Ante omnia ſæcula. Licèt enim prædicti actus circa creaturas, ſint temporales, tamen virtus Divina, quæ talia facit, eſt & æterna. Amen*. Eſtius: *Soli Deo Salvatori noſtro.*

noſtro. Salvatoris nomen toti Trinitati convenit. Per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum. Si quis benè perpendat, inveniet, totam hanc doxologiam adſcribi Chriſto Domino, ut hinc habeamus apertum Divinitatis ejus teſtimonium. Gloria, & magnificentia, &c. Subauditur: Eſt, non: Sit. Menochius: *Gloria. Scilicet, ſit, ſeu agnoſcatur quam habet, atque ita in ſequentibus intellige; nec enim per Chriſtum habet illa, ſed habere agnoſcitur. Magnificentia. Syrus: Potentia. Juxta Græcum, id eſt, majeſtas, magnitudo, magnificentia, decus, amplitudo, dignitas. Imperium. Græcè ſignificat etiam robur, & potentiam. Et poteſtas. Syrus: Dominatio. Poteſtas eſt, quaſi executio imperii, exequitur efficaciter quidquid voluntas Dei imperat. Ante omne ſæculum. Scilicet, conſtitit, & conſtat, & ſemper illi debetur, optoque, ut ab omnibus agnoſcatur, & celebretur.* Titinus: *Soli Trino, & Uni Deo Salvatori noſtro, per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, gloria, & magnificentia, ſeu maximorum operum patratio, maxima perſonæ majeſtas, imperium, & poteſtas, quæ illi affuere ante omne ſæculum, eadem, & jam nunc ab omni creatura in cælo, & in terra ei adſcribantur, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Fiat, Fiat.* Lorinus ſic loquitur: *Soli Deo Salvatori noſtro, Inſeritur Græcè ſapientis epithetum: Soli ſapienti Deo. Senſus verò idem eſt de ſapiente ſolo Deo, quemadmodum præterea, cùm Pater appellatur ſolus Deus, ſolus beatus, potens, Rex Regum, Dominus dominantium, ſoluſque habens immortalitatem, &c. Videlicèt, per ſe, ex propriis, eſſentialiter, ſive per eſſentiam, independenter, ſuaptè natura, ſeu ex natura, & per naturam, abſque participatione, à ſe ipſo, non aliunde, aut ab alio, abſolutè, ſimpliciter, indefinitè, ac infinitè, immutabiliter, tum ab intrinſeco, tunc ab extrinſeco, omnibus modis Deus ſcientiarum Dominus eſt: hic eſt Deus noſter: hic adinvenit omnem viam diſciplinæ; hic docet hominem ſcientiam. Indigens ſapientia poſtulare à Deo debet à quo omnis ſapientia eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum: præter eum non eſt alius doctor veritatis, undecumque, & ubicumque claruerit, inquit Auguſtinus. Salvatoris autem nomen tribuitur nunc Deo, vel Patri, vel ſecundùm omnes Perſonas, quia mox diſtincta mentio ſit de Jeſu-Chriſto, quemadmodùm aliquando alibi: & in veteri teſtamento ſic ſumitur aliquoties, licèt nonnulla ejuſdem teſtimonia de Chriſto exponantur. Sed in Teſtamento novo longè ſæpiùs, & ex communi uſu loquendi Scriptorum Eccleſiaſticorum, atque omnium etiam fidelium, audito iſto nomine, Chriſtus intelligi ſolet. Solum autem Salvatorem, vel Deum, vel Chriſtum, qui etiam Deus eſt, debemus intelligere ad eum modum, quem pauló antè dicebamus de attributo ſapientiæ, ſimilibuſque aliis, cùm licèt Deus dicat, quòd non eſt Deus abſque ſe Salvator, dicatur tamen dediſſe, daturuſvè Salvatores. Hoc loco Interlinealis, Thomas Anglicus, Rikelius Salvatorem exponunt Patrem, qui mittendo Filium, ſalvaſſe peculiariter cenſeatur, propterque principalem auctoritatem, & efficientiam, creationem tum gratiæ, tum gloriæ. Hoc ultimo modo loquitur Rikelius, docens præterea de Trinitate tota declarari poſſe. Anglicus verò, ſi de Patre intelligamus, non excludi Perſonas alias, quia cum Patre ſunt unus Deus. Nomini Jeſu proprio, quod Salvatorem ſignificat, caniturque ab Eccleſia ſalutis Auctor, ſubeſt propria magìs ratio; quoniam Sanguinis ſui pretio ſalvavit nos, & ad hoc ipſum venit, ut ſalvaret, qui perierant: data nobis eſt victoria per ipſum, quam ſalutis vocabulo Scripturæ nominant. A natura propria habet noſter Jeſus, ut ſit Salvator, inquit Bernardus: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica natura. Qua de re plura Serarius noſter, obſervans, reverentiæ cauſa, neminem apud Chriſtianos appellari hoc nomine Jeſu: quamvìs nonnemo vocetur Joſue, ut frater Birgittæ. Adde, plures nomine Salvatoris, & Soteris, aut etiam Salutaris, quæ habent eamdem ſignificationem. In ipſo nomine: Salus, annotatur à Valerio Epiſcopo, ut Auguſtinus teſtatur, Trinitas; quia Punica lingua tria valet ſalus, ſicut Hebræa (cui eſt affinis Punica) Scelos. Quod nonnihil favet explicantibus hîc Salvatorem de Trinitate. Nihil porrò hinc habent hæretici adverſus invocationem Sanctorum: & quominus liceat eos adhibere*

ſalu-

ſalutis noſtræ adjutores, & quaſi ſecundarios Salvatores, atque mediatores, & in eodem ſenſu appellare, & ſalutare Beatam Virginem, & alios Sanctos, ut ſalutem, ſpemvè noſtram. Antè autem attributo Sapientis jungitur Salvatoris; quoniam ſcientia Sanctorum, & ſalutis eadem eſt, ac jure quodam noſtro petimus dirigi in veritate, & doceri à Deo, quia eſt Deus Salvator noſter: vanaque eſt ſalus hominis, cùm ſit omnis homo mendax. Per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum. Senſus eſt, non quòd ſit gloria Deo liberatori noſtro per Jeſum-Chriſtum; ſed quòd per hunc beneficia nobis Deus conferre poſſit, & velit, quæ hìc recenſentur; aut, quòd Deus ſit ſolus Salvator, ſed tamen per Jeſum-Chriſtum, qui ut Mediator, eſt ſimul Deus, & homo, ratione ſecundi differens à Deo, ratione primi ſolus etiam, & unus Deus cum Patre, immò & cùm Spiritu Sancto, cùm Trinitas ſit unus Deus. Acquiſivit Deus Eccleſiam ſanguine ſuo, id eſt, Chriſtus; qui, ut homo, ſanguine conſtabat; ut Deus, pretium infinitum ſanguini præſtabat, ut aliàs docuimus. Hoc ſanè veriſſimum; ſed verba prædicta exhibent aliam etiam ſententiam, ut Deo potenti dicta beneficia conferre, quique Salvator ſolus eſt, ſit gloria cum reliquis, quæ ſequuntur, per Jeſum Chriſtum. Eccleſia quidem in Canone affirmat, quòd per Chriſtum, cum Chriſto, & in Chriſto eſt Deo Patri, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor, & gloria. Circa dicta Canonis verba Joannes Stephanus Durantus obſervat ex Baſilio, & Ambroſio, tribui Filio gloriam cum Patre, ob eamdem naturæ majeſtatem, ac dignitatis excellentiam; cùm conſideramus, quæ bona Chriſtus in nos contulerit, aut quomodò nos ipſos ad Patrem adduxerit, Deoque nos aſſeruerit, confiteri nos, hoc beneficium per ipſum, & in ipſo peractum eſſe in nobis: ut altera particula (cum quo) propria ſit glorificantium: altera (per quem) ſit propria gratias agentium: item, quòd cum Patre, & in Patre ſemper ſit Filius, illud per diſtinctionem indiſſociabilem Trinitatis æternæ; hoc per Divinam unitatem naturæ. Affert adhuc ex Severiano, & Floro, dici (Per ipſum) tamquàm verum Mediatorem Dei, & hominum: (cum ipſo) tamquàm æquali: (in ipſo,) tamquàm verè conſubſtantiali: quòdque omnis honor, & gloria eſt Deo Patri per Filium, & cum Filio, & in Filio, in unitate Spiritus Sancti, qui ex Patre, Filioque procedens, unitatem Deitatis poſſidet. In prima Petrus Epiſtola: Ut in omnibus, ait, honorificetur Deus per Jeſum-Chriſtum: in Epiſtola Pauli ad Colloſſenſes: Gratias agentes Deo, & Patri per ipſum. Abutebantur Ariani hoc modo dicendi: Gloria Deo, ſive Patri, per Jeſum-Chriſtum, ut probarent, hunc eſſe minorem Patre: nec pronutiabant: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; ſed: Gloria Patri per Filium, in Spiritu Sancto: vel: Gloria Patri in Filio, & Spiritu Sancto. Juxta ſenſum autem pravum Arianorum, cùm Deuterius Conſtantinopolitanus Epiſcopus eorum fautor, baptizant quemdam, cui nomen Barbas, protuliſſet: Baptizetur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto, Baptiſmalis fontis aqua mox exaruit. Gloria. Optat Judas, ut in Deo eſſe cognoſcatur hoc attributum, cum ſequentibus, per Chriſtum, hoc eſt, per illius tum doctrinam, tum gratiam. Baſilius ſcribit, nihil aliud eſſe gloriam, quàm commemorationem mirabilium, quæ alicui inſunt, ac in primis Deo, de quo agit, & cui per ſe debetur uni gloria, & quam ſibimet reſervavit: & quæ à juſtis ſuper omnia Deo datur, tum in terra, tum in cælo; atque hìc quidem cum pane triticeo illi comparantur, ut Birgitta revelatum ſibi narrat, dum ægrè ferunt, quòd non habeat Deus honorem à creatura ſua, de quo dolore Deus, & omnis exercitus cæli gaudet: deteriorem panem communitatis, ait eſſe illorum, qui turbantur de adverſis, quod multis tamen poteſt valere ad obtinendum cælum: panem canum eorum, qui dolent, quòd non valent mala facere, quæ vellent, quales præcipuè ſunt damnati. Ipſimet beatitudini nomen inditum eſt gloriæ, quia Beati dicunt Deo gloriam, & gloriam regni ejus dicunt: & in ſæcula ſæculorum laudant eum. Glorificabit Deus, qui glorificaverint hìc eum: & profectò illos magìs, qui ea in re majus adhibuerint ſtudium, & curam. Ex quo argumentari licet de noſtri Patriarchæ Ignatii gloria apud Deum, cùm ſemper, & in omni planè re

Dei

Dei gloriam haberet præ oculis, & à ſuis quàm diligentiſſimè procurari præceperit. Nihil ille in verbis, & in ſcriptis frequentius habuit, quàm majorem gloriam Dei, nec aptius ipſius Imagini adſcribi Epigraphe potuit, quàm: Ad majorem gloriam Dei. Et magnificentia. Factivam magnorum operum Cajetanus interpretatur. Sonat enim magnificentia magnarum rerum effectionem. Appollinarius exponit eximium decus; gloriamvè. Pro virtute particulari magnificentiam ſumptam Doctor Angelicus ait, in operandis magnis verſari, præſertim verò in ſumptibus, & quia hi ſunt maximè honorabiles, qui pertinent ad Divina Sacrificia, teſte Philoſopho, circa hos maximè ſtudere magnificum, & ideò in Pſalmo 95. magnificentiam conjungi ſanctitati; quia præcipuè ejus effectus ad religionem, ſive ad ſanctitatem ordinatur. Quem locum Pſalmi meritò Eccleſia Laurentio Martyri adaptat, qui theſauros Eccleſiaſticos diſtribuit in pauperes, tamquàm in quaſdam vivas Dei hoſtias. Et imperium. Involuit vox imperii auctoritatem, dominatum, dignitatem, jus, poteſtatem, juriſdictionem. Et poteſtas. Poteſt hæc referri ad vires, quibus nequeat reſiſti, & per quas imperata executioni mandari curentur. Id nulli perfectiùs convenit, quàm Deo, & Chriſto, qui ſuſcitatus datam ſibi ab illo dixit omnem poteſtatem. Ante omne ſæculum. Quo pacto deſcribitur æternitas quaſi ſecundum partem priorem, ſive anteriorem. Totum hujus mundi curſum rectè interpretantur Hugo, Thomaſque Anglicus, quod etiam ſæpiùs in Teſtamento novo pro toto tempore Legis Euangelicæ, ſive gratiæ accipitur, præſertim apud Paulum. Petrus autem idem nunc cum die comparat æternitatis. Quamvìs de univerſo tempore, quodumquam fuit, eritvè, ac fluit, eadem comparatio poſſit intelligi. Cujus rei meditatio, cogitatioque dierum antiquorum, & annorum æternorum ſuggerit tum contemptum temporalium cunctarum rerum, cum æternæ beatitudinis deſiderio, tum patientiam cum ſpe in adverſitatibus, timoremque ſempiterni ſupplicii; quoniam momentanea, leviſque eſt præſentis vitæ tribulatio, quamlibèt longa, & gravis videatur. Et in omnia ſæcula ſæculorum. Quatenùs dicitur æternitas participata, plures quoque cenſeri poſſunt æternitates, pluraque ſæcula. Amen. Romanus docet, quia hæc Hebræa vox in ore Salvatoris adeò frequens fuit, Spiritui Sancto placuiſſe, ut in Eccleſia Dei retineretur: tamen, cùm pronuntiatur in Sacrificio Miſſæ Oratio Dominica, ipſi Sacerdoti prolationem ejus reſervaſſe, quoniam, cùm Dei, & hominum ſit Interpres, Deum exoratum eſſe, populo reſpondet: cùm in aliis precationibus à Miniſtro profertur, conſenſum modò, deſideriumque ſignificari. Quòd autem Sacerdos cum voce ſubmiſſa id reſpondet, poteſt inſinuari Deum exorari, quamvìs ignoremus; & ſperari à Sacerdote, non certò ſciri, exauditas preces eſſe. Hæc, & alia plurima Lorinus affert. Cornelius habet ſequentia: Soli Deo Salvatori noſtro. Salvatoris nomen nunc Jeſu-Chriſto: Jeſus enim idem eſt, quod Salvator: nunc Deo Patri, vel potius toti Sanctæ Trinitati tribuitur. Hæc enim nos ſalvat per Chriſtum. Ita hìc Deus, puta tota Sancta Trinitas vocatur Salvator noſter, juxta illud 1. ad Timoth. 4.10. Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè autem fidelium. Per Jeſum-Chriſtum. Per Chriſti enim nativitatem, prædicationem, miracula, paſſionem, mortem, reſurrectionem, &c. innotuit, imò toto orbe celebrata eſt Dei gloria, magnificentia, imperium, & poteſtas, juxta illud Chriſti: Pater, clarifica nomen tuum: & facta eſt vox de cælo: Et clarificavi, & iterùm clarificabo. Joan. 12. 28. Gloria. Angeli, & beati omnes accinunt Deo gloriam. Apoc. 4. v. 11. cap. 5. 12. cap. 19. 7. Idem imitantur ſancti in hac vita. Unde Sanctus Ignatius Fundator Societatis noſtræ hoc habuit, nobiſque impreſſit elogium: Ad majorem Dei gloriam. Optat ergo Sanctus Judas Deo gloriam, ut, ſcilicèt, omnes Angeli, omneſque creaturæ cùm, ut ſummam majeſtatem celebrent, prædicent, laudent, & glorificent. Et Magnificentia. Magnificentia autem eſt magnorum operum patratio: item magnum perſonæ decus, ſplendor, ornatus, majeſtas. Utroque modo Deus eſt magnificentiſſimus. Et imperium. Jam Sanctus Judas, & Sancti, ex ſummo Dei amore, & reverentia, optant Deo magnificentiam, & imperium, quaſi congratulando ei,

gau-

gaudendo, & deſiderando, ut in eo ſemper illa perſeverent: rurſum, ut ab Angelis, & hominibus illa agnoſcantur, colantur, & celebrentur. Vide dicta Habacuc 2. ad illud verſ. 20. Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus omnis terra. Et poteſtas. Syrus: Dominatio. Arabicus: Potentia. Cui, ſcilicet, nemo reſiſtere valet. Poteſtas eſt quaſi executio imperii: exequitur enim efficaciter quidquid voluntas Dei imperat. Ante omne ſæculum. Quaſi diceret: Quæ illi ante omnia ſæcula debentur, eadem ei & nunc, puta in præſenti vita, à Fidelibus, & in omnia ſæcula à Beatis in cœlo reddantur. Et in omnia ſæcula ſæculorum. Syrus: Et in omnes ipſas æternitates. Licèt enim una ſit Dei æternitas, tamen hæc infinitas ævorum Angelicorum, & temporum humanorum æternitates, etiam quas mens effingere poteſt, ambit, complectitur, & tranſcendit. Amen. Id eſt. Fiat, fiat, ut vertunt Septuaginta. Juſti enim nunc, id eſt, in hac vita glorificant Deum, Beati verò in cœlo glorificabunt Deum per omnem æternitatem, juxta illud Pſalmi 85. 5. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ubi præclarè Sanctus Auguſtinus: Noli, ait, timere, nè non poſſis ſemper laudare, quem poteris ſemper amare: ſi ceſſabis à laude, ceſſabis ab amore: ab amore ceſſare non poteris. Denique Boetius lib. 3. de Conſolatione, metro 9. ita Deo, quaſi principio, & fini omnium, concinit, & jubilat:

Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus idem.

Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. O ſumma veritas, vera Charitas, chara Æternitas, Deus meus, & omnia, fac nos te ſapere, tibi vivere, tibi mori, te frui, per æterna ſæculorum ſæcula. Amen. Hucuſque Cornelius à Lapide, qui his concludit ſuum Commentarium in Epiſtolam Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis in verba prædicta.

DEo noſtro ſit jucunda, decoraque laudatio: jucunda, ut introeamus in conſpectu ejus in exultatione, atria ejus in hymnis (jubilante Deo omni terra, ſerviente Domino in lætitia:) decoraque laudatio; nam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ſed in ore illius, cui gloria Libani data eſt, decor Carmeli, & Saron (nempe, animæ Deo ſervientis, & in gratiæ ſtatu verſantis; quæ, ut decora ſit ejus laudatio, & ut Dominus præſtet decori ſuo virtutem, curat circumdare ſibi decorem; & quòd fortitudo, & decor ſint indumentum ejus, dum diligit decorem domus Dei, ſciens, quòd Deum decet hymnus in Sion, & illi reddetur votum in Jeruſalem; quia Dominus regnavit, decorem indutus eſt; & ex Sion ſpecies decoris ejus, qui confeſſionem, & decorem induit, amictus lumine ſicut veſtimento.) Talis anima accipit regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: atque amicitia Dei decorata eſt: & concupiſcet Rex decorem ſuum, quia ipſe eſt Dominus Deus ejus. Huic Domino Deo noſtro vult Sanctus Judas Apoſtolus in fine ſuæ Epiſtolæ, quòd ſit decora, & ſimul jucunda laudatio (quia bonum eſt confiteri Domino:) dum dicit: *Soli Deo Salvatori noſtro, per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, gloria, & magnificentia, imperium, & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſeculorum. Amen.* Optima quidem verba Sanctus Thaddæus pronuntiat, ac ſuis optimis dictis & ad Dei laudem provocat, & rationes, ob quas Dominus laudari debet, inſinuat. Dicit: *Soli Deo*: quia non eſt alius Deus præter eum: & non eſt ſecundùm opera ejus: ipſe ſolus Altiſſimus in omni terra. Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? Ipſe eſt Deus, qui facit mirabilia. Ait: *Deo Salvatori noſtro*: nè obliviſcamur Dei Salvatoris noſtri: quia Urbs fortitudinis noſtræ Sion Salvator: ponetur in ea murus, & antemurale. Sanctus Iſrael Salvator noſter. & non eſt abſque illo Salvator. Deus ſalvavit de neceſſi-

ceſſitatibus animas noſtras: ſalvavit nos à deſcendentibus in lacum: ſalvavit nos de manu odientium, & de manu inimici redemit nos. Dicit Sanctus Judas: *Per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum*: quia, ſi protector noſter aſpicit Deus, ideò eſt, quia reſpicit in faciem Chriſti ſui: quia gratia, & veritas per Jeſum-Chriſtum facta eſt: ideòque qui in Chriſto Jeſu per Euangelium geniti ſumus, debemus curare, ut omne quodcumque facimus in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti faciamus, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum. Ait denique Sanctus Thaddæus: *Gloria, magnificentia, imperium, & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* Dicit: *Gloria*: ut illi gratias agamus propter magnam gloriam ſuam, qui dignus eſt accipere honorem, & gloriam: qui eſt gloria noſtra, & exaltans caput noſtrum: qui eſt Rex gloriæ, utpote Dominus virtutum: & ideò debemus afferre Domino gloriam nomini ejus: in templo ejus omnes dicere gloriam: & dare gloriam laudi ejus, dum gloriam ejus laudamus. Dicit: *Magnificentia*: ut demus magnificentiam Deo noſtro, prout magnificentia ſua regia dignum eſt: ut cantemus Domino, quoniam magnificè fecit: exultet, & laudet habitatio Sion: quia magnus in medio ſui Sanctus Iſrael. Elevata eſt magnificentia ſua ſuper cœlos: & ideò admirabile eſt nomen ſuum in univerſa terra: confeſſionem, & magnificentiam gloriç ſanctitatis ſuæ loquamur. Dicit: *Imperium*: nè adverſemur imperio Domini, ſed cuſtodiamus, qui dedit imperium Regi ſuo, & ſublimavit cornu Chriſti ſui. Afferamus Domino gloriam, & imperium, ut ipſe det imperium pueris ſuis, & ſalvos faciat filios ancillarum ejus; ut faciat nobiſcum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt nos, & confundantur: quoniam ipſe Dominus adjuvit nos, & conſolatus eſt nos. Dicit: *Et poteſtas*: ſemel locutus eſt Deus, duo hæc audivimus, quia poteſtas Dei eſt, & ipſi Domino miſericordia: & ille reddet unicuique juxta opera ſua: poteſtas, & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Numquid eſt numerus militum ejus? & ſuper quem non ſurget lumen illius? Ipſe dominatur poteſtati maris: motum autem fluctuum ejus ille mitigat. In manu Dei poteſtas. Non eſt noſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Ille non eſt ſub poteſtate conſtitutus: & non eſt poteſtas, niſi à Deo. Dicit denique Sanctus Judas: *Ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* His verbis, quæ comprehendunt omne tempus, præteritum, præſens, & futurum, inſinuat Sanctus Judas Thaddæus, ſe deſiderare (& nos idem optare debemus,) quòd per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum ſit Gloria Salvatori noſtro ſoli Deo, nempe, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Huic Dei glorificationi nos inhiantes, & vacantes, devotè dicamus duas Orationes ſequentes.

Oratio Officii Dominicæ vigeſimæquartæ, & ultimæ poſt Pentecoſten, quæ eſt prima in Miſſa illius.

Excita, quæſumus Domine, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propenſiùs exequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Quamvis omnium Fidelium filiorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ (& ideò verorum Catholicorum, verèque Dei fidelium) mentes ſint benè inſtructæ, & firmæ erga Dei Fidei vera dogmata, & Catholicas aſſertiones; tamen multorum (quia peccatores ſunt, & maximè ſi in ſtatu infelici peccati mortalis degunt) dormiunt, immò & mortuæ ſunt voluntates. Proptereà hodie Deum exoramus, dicentes: *Excita, quæſumus Domine, tuorum fidelium voluntates*: ac ſi dicamus: *Domine, fac, ut Credentes omnes à ſomno peccati ſurgant, & omnes reſurgentes à morte culpæ, vita charita-*

ritatis, gratiæ, & bonæ op. rationis vivant: fac, ut qui veram habent fidem, etiam fidem viviam per tuam v ram dilectionem habeant. Quia multi hanc nõ curant habere, ideò inter nos multi ſunt infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: habent nomen, quòd vivant, & mortui ſunt: utinam verum non ſit, quod mortui ſunt, & non reviviſcent; pereunt, & non invenientur. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, ait Sanctus Paulus: cujus verba ſunt etiam iſta: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Sed ad hanc excitationem à peccati ſomno, & has fidelium peccatorum ſpirituales reſurrectiones, opus eſt, ut excitet Deus ſuorum fidelium voluntates. Excitet igitur, nè illi miſeri peccatores ſoporem morti, velut Siſara, conſocient: nè ſint ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum Deus non eſt memor ampliùs, & ipſi de manu ejus repulſi ſunt, in æternum damnati: nè demum ſint decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam Dominus diſrumpet illos inflatos ſine voce, & uſque ad ſupremum deſolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum. Nè igitur aliqui peccatores (quamvis Catholici fideles) ob defectum bonæ operationis tot incurrant damna, & magnas verè tribulationes; utinam excitet Dominus horum peccatorum (aliàs Catholicorum, & ſuorum fidelium,) voluntates. Sic à Deo moti, & excitati, per ſuum fideles liberum arbitrium, gratiæ cooperantes, multa opera bona facere poterunt, immò &, ut ſperatur, facient: quæ quidem bona opera eorum veram comitentur, & aſſocient fidem; ut perſeverando in gratia volent ad Deum, & ad felicitatem perennem, quaſi per duas alas, per fidem, & charitatem. Sic Divini operis fructum propenſiùs exequentur; quia, cùm Divini operis (nempe, noſtræ redemptionis, reparationis, & juſtificationis) fructus ſit noſtra æterna ſalus, procedens principaliter à Dei operatione (nam, quando exivit Deus homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperum, hoc eſt, uſque ad finem ſanctiſſimæ vitæ ſuæ, hic Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ:) tunc propenſiùs fideles, quorum Deus excitaverit voluntates, erunt Divini operis fructum exequentes: nam cum metu, & tremore ſuam ſalutem operabuntur, ut majori ſtudio quotidie attendant ſuæ æternæ ſalvationi: majori anxietate contendent intrare per anguſtam portam, cùm arcta ſit via, quæ ducit ad vitam: quia omnis, qui in agone contendit, ad omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam: ac ſic etiam fideles à Deo excitati, ut à peccato ſe expediant, magis ſatagent, ut per bona opera certam ſuam vocationem, & electionem faciant. Sic demum Divini operis fructum propenſiùs dum executi fuerint, pietatis Dei remedia majora percipient, quia ad gloriæ æternæ gaudia (quæ ſuperant gaudia omnia hujus vitæ) gaudentes de Dei miſericordia, pervenient.

ORATIO SECRETA.

PRopitius eſto, Domine, ſupplicationibus noſtris: & populi tui oblationibus, precibuſque ſuſceptis, omnium noſtrûm ad te corda converte, ut à terrenis cupiditatibus liberati, ad cœleſtia deſideria tranſeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

HOdiè exoratur à nobis noſter Deus, & Dominus, ut eſſe dignetur noſtris ſupplicationibus propitius. Quid nobis proderit deprecari, niſi Deus intenderit voci orationis noſtræ? Sit igitur Deus noſter ſupplicationibus noſtris propitius, ut ab eo obtinere poſſimus ea, quę anxiè depoſcimus. Ab iſto magno Domino, jam noſtris ſupplicationibus propitio, quærimus, ut convertat ad ſe corda omnium noſtrûm, ſuſceptis noſtris oblationibus, ſuſceptis etiam & precibus. Noſtris malis offendimus clementiam Divinam, dum fuerunt noſtra corda à tam bono Deo aver-

averſa (hæc mala operante vel noſtra fragilitate, vel operante ignorantia, vel operante malitia;) quia niſi fragiles, ignorantes, vel peſſimi fuiſſemus, non fuiſſent perverſa, & averſa à Deo noſtra corda,ad mala, quæ fecimus, perpetranda, ſive ad bona, quæ agere tenebamur, omittenda.) Sed qui fuimus potentes ad avertendum noſtra à Deo corda,non ſumus ſufficientes ſine adjutorio gratiæ ad convertendum ad Deum corda ipſa. Si converterit nos Dominus, convertemur. Utinam convertat nos Deus ſalutaris noſter, & avertat iram ſuam à nobis, qui peccavimus, impiè egimus, & receſſimus. Recedentes à Domino in terra ſcribentur: nè faciamus iterùm, unde in terra ſcribamur, nè tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, ſimus. Convertat Dominus ad ſe corda omnium noſtrùm per gratiam, cùm anteà nos averterimus ab ipſo Deo corda noſtra, & quidem malè, per culpam. Corda noſtra Deus tangat, ut ea tangens, illa ipſa & dirigat, & convertat. Convertat ea, illa erigens: & eriget quod quilibet noſtrùm peſſimè evertit dejiciens. Ut igitur non ampliùs ſimus nos à nobis dejecti, ad Deum ſtatim convertamur toto corde. Extruat gratia reparatrix quod labefactavit multoties culpa deſtructrix. Per converſa à Deo (nobis cooperantibus) corda, erigemur, liberi à terrenis cupiditatibus, ad cœleſtia deſideria. Liberati à rebus ſæculi, in altum per cœleſtia deſideria ſcandemus nos, qui per pondus terrenarum cupiditatum ad ima viliter dejecti ſumus.

Textus Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Explicatio horum verborum ex Auctoribus.

Pro: *Magnificat*.

Cornelius ait: *Sicut locutus eſt, &c. Significat ergo Virgo, miſericordiam hanc, id eſt, ſalutem allatam per Chriſtum, à Deo ab olim fuiſſe promiſſam Patribus, ut Adæ, Abrahæ, Davidi, & cæteris. Quaſi dicat: Hæc Chriſti Incarnatio non eſt res fortuita, ſed ab æterno à Deo ad ſalutem Iſraelis, totiuſque mundi, magno conſilio proviſa, & decreta, ac in tempore ab origine mundi Patriarchis omnibus promiſſa: quarè ipſi eamdem avidiſſimè deſiderarunt, & ardentiſſimis ſuſpiriis à Deo poſtularunt, ſed non obtinuerunt: quia Deus huic tempori, & ætati tantum donum reſervare, & exhibere decrevit. Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Quaſi dicat: Deus incarnando Chriſtum, recordatus eſt miſericordiæ ſuæ olim ab eo Abrahæ, & ſemini, id eſt, poſteris ejus Iſraelitis promiſſæ. Abrahæ meminit, tum quia hic fuit primus Patriarcha Iſraelitis, tum quia hic fide excelluit, idèòque à Deo nuncupatus eſt Pater credentium. Semen, puta fideles tam ex Gentibus, quam ex Judæis in Chriſtum credentes: hi enim fidem Abrahæ, quaſi Patris credentium, imitantur. In ſæcula. Quaſi diceret: Recordatus eſt Deus miſericordiæ ſuæ, id eſt, ſalutis dandæ per Chriſtum, eamque voluit durare non centum, vel mille annos, ſed in ſæcula ſæculorum, id eſt, in æternum.* Vincentius Regius dicit: *Sicut locutus eſt, &c. Quaſi dicat Beata Virgo: Ideò recordatus, quia promiſerat multò antè. Vel ſecundò, aliter: Recordatus, ut promiſerat, ut ſit ſenſus: Fecit, ſicut pollicitus erat. Vel certè tertiò. (Sicut) vim habet relativi (quam:) & his duobus poſterioribus modis, non redditur propriè ratio, dum dicitur: Sicut locutus eſt, præcedentis partis: ergo rectè conſtat ſine parentheſi totus ſenſus.*

Pro: *Benedictus*.

Simon de Caſſia ait: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, &c. Quòd verò umbram mortis adjun-*

 git,

git, in quamdam ſecretiorem conſiderationem immittit. Eſt enim mors, & eſſe dicitur umbra mortis: &, ut à corporalibus ad ſpiritualia tranſeamus, in his differendi ſumamus exordium. Mors eſt privatio vitæ, aut ſeparatio animæ vitalis à corpore vitam habente: quæ à mordendo nomen accepit, aut quia nimis mordet, aut quia morſum ſolùm facit in parte, non enim in toto compoſito mors poteſt habere dominium. Non de animalibus ratione carentibus, ſed de hominibus loquimur, in quibus mors, virtute præcedentis doloris, corpori ſenſum adimit, unde anima ipſa recedit, in qua mors non poteſt ampliùs deſævire, ut illi ſenſum adimat, & ad nihilum redigat. Proinde mors in parte mordet; in morſum totum vendicare non poteſt. Umbra verò mortis eſt ſomnus, ſive dormitio, quæ propriè dicitur morsis imago. Eſt etiam umbra mortis, omnis infirmitas, qua pervalidè corpus opprimitur, quando extaſis, aut ſenſuum alienatio invaleſcit. Nam, ſicut umbra, prout in corporibus agitur, eſt aer carens ſole, ſic, cùm in hominibus dicitur, eſt quædam vita ſine uſu rationis, & ſenſuum corporis. Sic in ſpiritualibus reperimus mortem, & umbram mortis. Mors ſpiritualis animæ, cùm peccando ſeparatur à Deo, qui eſt omnium vita, & cùm æternè in inferno detruditur. Umbra verò hujuſce mortis eſt carentia veræ cognitionis, carentia veritatis, & fidei, & lucis æternæ. Fit umbra in aere ab objecto corpore luci, quo remoto, aeris pars illa clareſcit. Sic aliquid fit in animabus hominum, quod ſupernæ, atque internæ luci objicitur, unde illa umbra mortis generatur. Sed removeri, dum vivitur, poteſt, quouſque detrudantur animæ in infernum; omne, quod luci opponitur, ut umbra generetur. Hinc Zacharias differendo fatur: Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Claret de corporali luce, ac corporalibus tenebris non præloqui Zachariam, ſed de ſpiritualibus, ut tenebris hujuſmodi jam depulſis, umbra mortis objecta, pedes noſtri, affectus pariter, & intellectus, pacis dirigantur in viam, illius, ſcilicet, quam mundus ignorat, qua carens, aliis conferre non poteſt; ſed in illam, quæ ſuperat omnem ſenſum, quam proximus Paſſioni ſuis diſcipulis Chriſtus dereliquit. Maldonatus dicit: Illuminare, &c. Quid ſit in tenebris, & in umbra mortis ſedere, ex contrario intelligi poteſt, non in magna ſolùm ignorantia, ſed etiam in miſerabili afflictarum rerum ſtatu verſari, qualis peccati ſtatus, nimirum eſt, ut Gregorius lib. 4. Moral. cap. 17. In umbra mortis ſedere, eſt à Divini amoris notitia in oblivione lateſcere. Sedere autem hoc loco pro habitare ponitur ex Hebræorum idiomate: aut ſumitur pro jacere, Threnor. 1. v. 1. Quomodò ſedet ſola Civitas, id eſt, quomodò deſolata jacet? Ad dirigendos, &c. Rectè conjungit hæc duo, illuminare, & pedes dirigere; propterea enim uti ſolemus lumine, ut pedes dirigamus, id eſt, nè offendamus in via: maximè, cùm de tenebris, & umbra mortis loqueretur: ſolemus enim noctu incedentes, nè impingamus, aut à via aberremus, præferre facem. Similis eſt illa ſententia Pſalm. 118. v. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Viam pacis vocat, aut qua itur ad pacem, id eſt, ad beatam vitam: aut viam pacis vocat viam tutam, rectam, planam, ſine ullo errore, ſine ullo offendiculo, ſine ullo periculo, ut alludatur ad Prophetiam Iſai. cap. 40. 3. 4. Parate viam Domini, &c. Cornelius inquit: Illuminare, &c. Nota primò; propriè umbra mortis ſunt tenebræ, & locus horridus: unde hìc dicitur Baptiſtæ: Illuminare, &c. Ut, ſcilicèt, illumines peccatores ſedentes in tenebris peccati, & juſtos ſedentes in tenebroſo Limbo Patrum. Nota ſecundò: per hanc umbram mortis, ſive per has tenebras ſignificatur triſtiſſima rerum facies; nihil enim triſtius umbroſis mortuorum ſepulchris, ſicut è contrario lux, quia gratiſſima eſt, ſymbolum eſt felicitatis. Rurſum: umbra mortis ſignificat proxima pericula, indeque angores mortis. Deus eſt vita, & lux, quæ longiſſimè abeſt ab umbra mortis. Quartò: umbra mortis eſt Dei, & ſalutis ignorantia. Hinc peccatum mortale eſt umbra mortis. Ad dirigendos pedes noſtros, &c. ut, ſcilicèt, Chriſtus ſuæ fidei, & gratiæ luce dirigat nos in viam juſtitiæ: hæc enim eſt via pacis; juſtitia enim eſt via, & medium ad conſequendum pacem, & tranquillitatem animæ, item pacem cum Deo, & hominibus in hac vita, ac pacem beatifica-

tum

tam in cælo. Hinc Chriſtus ab Iſai.cap.9.6. vocatur Princeps pacis, & Pater futuri ſæculi; ſubditque: Et pacis non erit finis. Nam, ut canit David Pſ. 71. 7. Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna, id eſt in æternum. Toletus ſic loquitur: *Illuminare, &c. Accomodatè ſatis connectitur verbum hoc præcedenti. Viſitavit nos Chriſtus oriens, ut illuceſcat, & lumen afferat iis, qui ſedent in tenebris, & in umbra mortis. Per tenebras ignorationem, per umbram mortis, peccata ſignificat. Utrumque autem commune Gentibus, & Judæis erat. Venit ergo Chriſtus, ut his, & illis lumen juſtitiæ ſuæ communicaret. Ad dirigendos pedes noſtros, &c. Appoſitè connectuntur verba hæc verbo præcedenti, illuminandi: ſolemus enim uti lumine, nè offendamus in via, aut nè aberremus ab ea. Venit ergo Chriſtus, ut illuminaret nos, ut in via pacis ambularemus, & pedes noſtri nec offenderent, nec aberrarent, ſed in eam dirigerentur. Via pacis eſt, per quam conſequimur veram pacem, quæ cum Deo eſt, ſolutis inimicitiis peccati, & conſequimur æternam requiem, mortis vinculis ruptis, & inimicorum impugnationibus ablatis. Utramque pacem nobis Chriſtus exhibuit; in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam. Epheſ.2. Ipſe eſt pax noſtra, &c. Via conſequendi hanc pacem Euangelium eſt, quo vera fides, & Chriſti agnitio, Dei dilectio, & charitas, mandatorum ejus obedientia, Sacramenta, & Sacrificium, quibus hanc pacem aſſequimur, continentur. In hanc viam pedes noſtros aberrantes convertit Chriſtus, & in ea direxit, & dirigit, ut ad pacem perfectam perveniamus. Qui ergo ſedebant in mortis umbra, & in tenebris, illuſtrati per Chriſtum verum Orientem, viam ſalutis, ac pacis agnoverunt, perambulaverunt, & ad pacem conſequendam pervenerunt. Dicitur etiam Euangelium via pacis, quia commune eſt Judæo, & Gentili, & illorum diviſionibus, ac differentiis reſectis, per fidem in unum populum ſunt convocati, ut loco citato ad Epheſ.2. docuit Paulus.*

Pro: *Nunc dimittis.*

CORnelius dicit: *&c. Quaſi dicat Simeon: Chriſtus, ſicut eſt lux Gentium cæcarum, ſic eſt & gloria Iſraelis, id eſt, Judæorum. Viceverſa fuit Chriſtus gloria quoque Gentium, & lux Iſraelis; quia Gentibus magnum decus, Iſraelitis magnam rerum Divinarum cognitionem attulit: tamen Gentibus potius dicitur lumen attuliſſe, quia hæ erant in tenebris infidelitatis; gloriam verò Iſraelitis fidelibus: idque primò, quia ex eorum gente, utpote Patribus eorum promiſſus, carnem aſſumpſit; hic enim eſt magnus honor, de quo gloriari poſſunt Judæi, quod, ſcilicèt, Chriſtus ſit eorum contribulis, conſanguineus, adeòque Judæus: ſecundò, quia Chriſtus in Judæa vixit, & mortuus eſt, vixit autem cum magna doctrinæ, ſanctitatis, & miraculorum gloria: tertiò, quia in Judæa primò Eccleſiam ſuam fundavit, primi enim credentes fuerunt Judæi, qui deinde Gentes ſibi aggregarunt: quartò, quia in Judæa à morte reſurrexit, & glorioſè in cælum aſcendit, inde miſit Spiritum Sanctum cum dono omnium linguarum: quintò, quia Apoſtolos omnes elegit ex Judæis, qui omnes Gentes ad Chriſtum converterunt: ſextò, quia Judæos in ſe credentes magnis virtutibus, donis, & gratiis cumulavit, eoſque eximios Sanctos, Doctores, & Martyres effecit. Alludit, imò citat oraculum Iſaiæ, qui prædixit cap. 46. v. 13. Dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam meam. & cap.60. 1. Gloria Domini ſuper te orta eſt, & v.2. Gloria ejus in te videbitur capite 62. v.2. Videbunt gentes juſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum. Hæbr. & Septuag. Gloriam tuam.* Toletus ſic loquitur: *Titus Boſtrenus adjungit cauſam, cur dicatur Chriſtus gloria Iſrael, nempe, quia multos ex genere Iſrael in cæleſtem gloriam evexit. Hoc tamen non videtur accomodatè dici; nam commune eſt cum Gentibus, imò plures ex his ad ſe traxit, & ſalvavit; reliquiæ enim Iſrael ſalvæ factæ ſunt, ut dicitur Roman.11. Simeon autem, quod Judæis particulare fuit, ſignificare voluit, hoc eſt autem, quòd de eorum Patribus eſt Chriſtus ſecundum carnem, ut dicitur Roman.9. De hac*

illuminatione plura diximus ſuprà in explicatione illorum verborum (Illuminare his, qui in tenebris, &c.) Illud autem : (Ad revelationem) idem ſignificat, quaſi dictum eſſet: Lumen, quod patefaciendum erat Gentibus, eiſque illuceſcere debebat, ut à tenebris eriperentur.

Reflexio moralis, ſeu doctrinalis ſuper verba trium Canticorum hic poſita, & ab Auctoribus explicata.

MEminit Beatiſſima Virgo Dei Genitrix Maria Domina noſtra, ejus mirabilis Dei dignationis, & clementiæ, qua noſter Creator, & Dominus ad Patres noſtros eſt locutus; & loquens, ac illis Redemptorem Chriſtum promittens, ipſe debitorem ſe fecit, ac, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum (id eſt, per ſuam ſapientiam, ob quam non poteſt falli, & per ſuam veracitatem, ob quam non poteſt fallere;) verbo; & promiſſione ſua voluntariè ſe ligavit, dum promiſit, & fideliſſimè, quod promiſerat, implevit, quando miſit Chriſtum illuminare, ſeu, ut illuminaret his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes noſtros in viã pacis, ſicut aſſerit Sanctus Zacharias: miſitque eumdem Chriſtum Dominum, ut lumen paratum ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael, ſecundùm id, quod affirmat Sanctus Simeon. O mira Dei miſericordia! Sed proh dolor! O peſſima hominum ingratitudo, & malitia! Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Ille, qui locutus eſt ad Patres noſtros, &, ſicut locutus eſt, fecit; ille, qui venit dirigens pedes noſtros in viam pacis; ille qui ad nos acceſſit, ut verum lumen, dans nobis lucem, & offerens glorificationem: ille eſt locutus, convocans cœlum, & terram ad malorum vindictam, ut docet Rupertus, & dixit: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me*. (Alia Verſio: *Defecerunt à me*; alia: *Conjuraverunt in me*.) *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit: & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorsùm.* Utinam ſoli Judæi cæci, qui non receperunt Chriſtum, fuiſſent comprehenſi in his verbis (quæ protulit Sanctus Iſaias,) tum quod culpam, tum etiam, quoad comminationem, & pœnam! Sed, cùm ſecundùm Sanctum Auguſtinum, in populò Chriſtiano raro jam inveniantur, qui lingua blaſphement Chriſtum, ſed multi qui vita; poſſumus jurè timere ſupplicium, ſi toto corde non odio habuerimus peccatum, &, ſi qui per Dei miſericordiam habemus fidem, non iſti adjunxerimus dignum Chriſtianis, vivendi morem. Quid proderit, quòd nos ſuſceperit Deus recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros; ſi nos (qui debemus exaltare Dominum, quoniam ſuſcepit nos;) peccantes, ut ait Sanctus Paulus, conculcaverimus Filium Dei? Quæ utilitas venit nobis ex eo, quòd Dominus illuminans nos, direxerit pedes noſtros in viam pacis, dirigens greſſus noſtros, & immittens in os noſtrum canticum novum, carmen Deo noſtro, ita, ut videant multi, & timeant, & ſperent in Domino; quaſi dicentes: *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*; loco iſtorum incraſſati nos dilecti recalcitraverimus: incraſſati, impinguati, dilatati, dereliquerimus Deum factorem noſtrum, & receſſerimus à Deo ſalutari noſtro; maximè quando eo, qui pinguis eſt, pane Chriſti nos cibavit in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Quid demum nobis proficiet, quòd (cùm Chriſtus ſit lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael,) hoc exortum ſit lumen rectis; ſi nos, nolentes eſſe recti (& ideò ad tenebras inferni damnati,) ſine fructu planxerimus æternaliter, dicentes: *Juſtitiæ lumen non luxit nobis*. Eja ergo diligamus lumen ſapientiæ, cùm nobis Deus providens diſpoſuerit, quòd nobis ſapientia illius faceret in cœlis, ut oriretur lumen indefi-

deficiens. Intelligamus, ubi ſit lumen oculorum, & pax; ut in lumine Dei videamus lumen, ambulantes in lumine Domini. Qui timent Dominum, juſtitias quaſi lumen accendent, quia lumen à lumine Chriſto Domino accipiunt; & ſic placebunt coram Deo in lumine viventium. Utinam iſtud lumen conſequamur. Ut Deus concedat nobis hoc lumen, devotè orationem ſequentem dicamus poſt Communionem.

Oratio poſt Communionem.

Concede nobis, quæſumus Domine, ut per hæc ſacramenta, quæ ſumpſimus, quidquid in noſtra mente vitioſum eſt, ipſorum medicationis dono curetur. Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Filium tuum, &c.

EXPLICATIO.

Sumpſimus, ut cœleſtia medicamina, Sancta Altaris Dei Sacramenta. Ea quidem inſtituit Deus pro noſtro munimine, atque etiam pro noſtro opportuno, efficaci, ac ſalubri medicamine: ut qui per illa reddimur fortiter muniti, per ipſa quoque conſtituamur feliciſſimè ſanati. Eſt profectò noſtra mens fragilis, & debilis: eſt quoque periculosè ægra, & ideò morti peccati obnoxia. Appropinquamus quotidie ad portas mortis per noſtras animorum frequentes infirmitates; ſed per Sacramenta, quæ ſumpſimus, ſperamus liberari à periculis infirmitatis cujuſvis, &, quòd quidquid in nobis eſt vitioſum, dono medicationis eorumdem Sacramentorum curabitur. Vitioſum eſt in mente noſtra, quòd ſenſus, & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Vitium eſt mentium noſtrarum, quòd à bonis abhorremus, quando ad malum inclinamur; terrenis inhiamus, dum cœleſtium obliviſcimur. Contra hæc vitia habet virtutem donum medicationis Sanctorum Sacramentorum Altaris: itaque qui Sacramenta ſumpſimus, à quoquo vitioſo, quod in mente noſtra eſt, ſanari poſſe, confidimus: & effectivè ſanandos per efficaciam ipſorum Sacramentorum, quæ accepimus, ſperamus. Donum medicationis ipſorum Deus nobis diſtribuit, qui vult omnes ſalvos fieri, & neminem vult perire. Medicatio Sacramentorum curat illud vitioſum, quod mentes, aut animas noſtras gravat. Curat expurgans, quia, cùm Euchariſtia Sacra ſit pignus gloriæ, à mentibus noſtris expungit mala deſideria ſæculi: cùm ſit frumentum electorum, & vinum germinans virgines, expellit concupiſcentiam carnis: cùmque etiam ſit puriſſimus Angelorum panis, relegat immundas cogitationes: & quia etiam Sacramentum iſtud Divinum eſt panis vitæ, & intellectus; propterea eſt cibus, & alimonia immortalitatis æternæ, explodens illam ſuperbiam vitæ, qua quidem ſuperbia ambitioſi tument, ac velut potentes de ſede deponuntur, quando humiles exaltantur: & denique, quia iſte cibus Euchariſticus cœleſtis eſt, per quem Deus homo Chriſtus Dominus pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito eſurientes replet bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes; concupiſcentiam oculorum ab animabus illum recipientibus evacuat, tollens inde avaritiam, nè volentes divites fieri, incidant in tentationem, & in laqueum diaboli. Ergo, quando mundus in maligno poſitus eſt, nempe, in malo igne luxuriæ, avaritiæ, & ſuperbiæ: nam omne, quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcientia oculorum, & ſuperbia vitæ; hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fidei noſtra, & vincit fides per myſterium Fides, quod eſt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: & quamvis verum ſit, quòd vitium pro natura inolevit: tamen quidquid in noſtra mente vitioſum eſt, curabit Pater cœleſtis per donum medicationis Sanctorum Sacramentorum Altaris (ut hodie ab eodem Patre Æterno petimus,) ſi nos benè uti voluerimus his Sacramentis, quæ ſumpſimus. Hoc debet eſſe ſemper noſtrum deſiderium. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum. His pro explicatione præſentis orationis, prælibatis, pro finiendo hoc libro ſequentibus utor Magni Caſſiodori verbis: *Jam tempus eſt ad Dominum*

num corda convertere, ad quem magìs debet omnis intentio tendere, & laboris terminus pervenire. Tu, Domine, verus Doctor, & præſtitor; advocatus, & Judex: largitor, & monitor; terribilis, & clemens; corripiens, & conſolator: qui cæcis mentibus donas aſpectum: qui facis infirmis poſſibile quod præcipis: qui ſic pius es, ut aſſiduè rogari velis: ſic munificus, ut neminem deſperare patiaris, dona quod, te præſtante, benè quærimus: & illa maximè, quæ noſtra infirmitate neſcimus. Quod ex tuo diximus, ſuſcipe; quod ex nobis ignoranter protulimus, parce: & perduc nos ad illam contemplationem, ubi jam non poſſimus errare. Dona facere, quæ, te inſpirante, loqui præſumpſi: dona compleri, quæ alios obſervare commonui: ut qui præſtitiſti pium ſermonem, probabilem quoque conferas tuis famulis actionem. Libera nos, amator hominum, ab illo periculo: nè, ſicut dicit Apoſtolus, dum aliis prædico, ipſe reprobus inveniar. Qualiter infirmi ſumus, tu veraciter noſti: quali hoſte deprimamur, agnoſcis. Te quærit certamen impar: te expetit mortalis infirmitas; quia Majeſtatis tuæ gloria eſt, ſi leo rugiens ab infirma ove ſuperetur: ſi ſpiritus violentiſſimus à debiliſſima carne vincatur, ille qui de cælo cecidit, & hic, te pugnante, ſubdetur: ut, ſi poteſtatem ipſius ad tempus tua permiſſione patimur, nequaquam ejus inſatiabilibus faucibus ſorbeamur. Fac illum triſtem de humana lætitia, qui de offenſione noſtra ſemper exultat. Hucuſque ſunt Caſſiodori verba, quibus finem imponit ſuæ mirabili Pſalmorum Explicationi.

Finis totius Operis.

LAus ſit Sanctiſſimæ Trinitati in Unitate; & Unitati in Trinitate; Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Laus Sacratiſſimæ Humanitati Domini noſtri Jeſu-Chriſti, in cujus honorem diriguntur ab Eccleſia Sancta Romana quinquaginta duæ anni cujuslibet Dominicæ, quarum Orationibus explicandis incubui: laus Beatiſſimæ, & glorioſiſſimæ, ſemperque Virgini Mariæ Dei-Genitrici, in cujus honorem Canticum ipſius *Magnificat* in hoc Opere explicare curavi, & in cujus Sanctiſſimi Nominis Feſtivitate Opus iſtud omnino abſolvi, quod anno præterito incæpi in die Apparitionis Sanctæ Agnetis Virginis, & Martyris, noſtri Ordinis Patronæ: cui quidem Chriſti Sponſæ dixit Sanctus Maximus Epiſcopus: *Tibi, ò Agnes, Mariæ veſtigia proſequenti participatio æternæ remunerationis apparuit*: laus omnium Sanctorum Univerſitati, & præcipuè Sancto Apoſtolo Judæ Thaddæo, ob ſuam Epiſtolam verè appellatam Catholicam, & Canonicam, qua Fideles Catholicos in omnibus erudivit, & quam ego hic exponere non aſſecutus ſum, ſed intendi: laus Sancto Zachariæ Prophetæ, & Sacerdoti, Patri Sancti Joannis Baptiſtæ, ob celeberrimum Canticum ſuum *Benedictus*: & laus Sancto etiam ſeni Prophetæ Simeoni, qui velut cygnus cecinit *Nunc dimittis*, morti proximus, ex quo magnam conſolationem habemus: laus Sancto Euſebio Samoſateno Epiſcopo, & Martyri, & Sancto Aloyſio Gonzagæ; in quorum die natali per Dei miſericordiam lucem hujus mundi vidi; & laus denique Sanctis Patriarchis meis Joanni de Matta, & Felici de Valois Fundatoribus meæ Redemptricis Religionis Sanctiſſimæ Trinitatis.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Opere, nempe, *Dominicali Expoſitivo*, continentur.

A

AMicitiæ malæ, ſive pravæ ſocietatis damna. Pag. 89. 398. 399., & 400.
Amor erga Deum. Pag. 44. 262. 263. 270., *& paſſim ferè in toto hoc volumine.*
Animæ renovatio. Pag. 120. 190., & 251.
Avarorum miſeriæ. Pag. 137. 146., & 176.

B

BEnignitatis Dei largitas. Pagina 26. 27. 48. 52. 56. 57. 70. 71. 74. 235. 246. 254. 267. 272. 273. 301. 368. 371. 392. 393. 395., *& paſſim in toto hoc Opere.*
Bona opera facere neceſſarium eſt ad æternam ſalutem in Catholico adulto. Pag. 8. 11. 12. 19. 20. 24. 25. 44. 45. 72. 74. 169. 170. 171. 194. 195. 196. 286. 287. 335. 393. 397. 398. 426., & 430.

C

CAtholicorum felicitas, & obligatio. Pag. 16. 20. 43. 178. 302. 337. 338. 339. 348. 429., *& paſſim, in hoc libro.*
Chriſtianiſmi excellentia, profeſſio, & obligationes. Pag. 11. 19. 20. 240. 242. 243. 264. 265. 266. 267. 278. 279. 313. 401., *& paſſim per totum librum.*
Charitas Chriſtiana. Pag. 298. 308. 380. 390. 391. 392. 402., *& paſſim per totum Opus.*
Chriſti humilitas. Pag. 154. 161. 162. 163. 177. 178., *& pluribus aliis.*
Chriſti Domini noſtri potentia, & miſericordia. Pag. 49. 50. 51. 55. 56. 65. 66. 68. 69. 75. 396. 397. 405. 406. 407., *& paſſim per totus Opus.*
Communicantium indignè pravitas, & punitio. Pag. 55. 56. 260., & 398.
Communionis Sacramentalis utilitas, & ad eam præparatio. Pag. 260. 267. 276. 277. 290. 294. 295. 306. 318., *& alibi paſſim, maximè in Explicatione Canticorum, & Orationum.*
Confeſſio Sacramentalis. Pag. 4., *& paſſim, maximè in Explicatione Canticorum, & Orationum.*
Conſtantia. Pag. 72. 212., *& pluribus aliis paſſim.*

D

DEſideria bona. Pag. 37. 40. 216., *& paſſim, maximè in Explicatione Canticorum, & Orationum.*
Devotionis officia, & perfectio. Pag. 21. 22. 28. 35. 204. 207. 211. 392., & 343.
Deus omnia nobis eſt. Pag. 199. 203. 207., & 220.

E

ECcleſiæ Catholicæ excellentia. Pag. 16. 114. 235. 247. 248. 279. 300. 332. 338. 339. 340., *& paſſim alibi ferè per totum librum.*
Eleemoſyna. Pag. 175., & 176.
Epiſcopi Officium, & obligatio. Pag. 36. 40. 46. 47. 60. 61. 62. 63. 64. 175. 176., *& paſſim, maximè in Explicatione Epiſtolæ S. Judæ Thaddæi.*

Eu-

Euchariſtiæ Sacramenti utilitas, & ad ejus receptionem præparatio. Pag. 17. 18. 30. 55. 75. 85. 111. 142. 147. 151. 159. 174. 178. 238. 252. 431., & *paſſim in Explicatione Canticorum, & Orationum poſt Communionem.*

F

Fides Catholica. Pag. 38. 39. 300. 301. 323. 335. 337. 338. 339. 429., & *paſſim per totum Opus.*
Fiducia in Deo. Pag. 244. 271. 358. 364. 365. 366., & *paſſim in Explicatione Orationum.*

G

Gloriæ æternæ magnitudo. Pag. 262. 263. 285. 286. 316. 317. 425., & *multis aliis paſſim.*
Gratia Dei. Pag. 14. 20. 21. 26. 27. 32. 33. 34. 64. 65. 70. 71. 426., & *paſſim per totum librum.*
Gratitudo. Pag. 29. 37. 51. 52. 59. 60. 216. 217. 224. 239. 344. 345. 371. 372., & *paſſim, maximè in Explicatione Canticorum, & Orationum.*
Gulæ perverſitas, & damna. Pag. 161. 168. 169., & *alibi, maximè in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.*

H

Hæreticorum audacia, & perditio. Pag. 46. 53. 54. 76. 77. 202. 210. 300. 330. 398. 399. 400., & *paſſim in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.*
Humilitatis excellentia, & utilitas. Pagina 101. 102. 110. 124. 125. 127. 131. 304. 327. 341., & 344.

I

Sancti Jacobi Minoris, Apoſtoli laudes. Pag. 11.
Jejunii utilitas. Pag. 114., & 115.
Inferni horribile ſupplicium. Pag. 46. 47. 75. 76. 77. 78. 79. 86. 87. 88. 89. 136. 217. 218. 219., & *paſſim in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ, & Cantici Magnificat.*
Ingratitudinis punitio. Pagina 65. 70., & 430.
Sancti Judæ Thaddæi laudes. Pagina 11., & 12.
Judicii Dei terribilitas. Pag. 236. 237. 246. 253. 254., & 411.

L

Laudum Dei excellentia, utilitas, & modus. Pag. 7. 8. 9. 15. 16. 22. 23. 24. 28. 29. 30. 42. 58. 74. 107. 142. 234. 235. 346. 347. 420. 421. 422. 423. 424. 425., & *paſſim in Explicatione Canticorum, & Orationum.*
Liberalitatis Dei abundantia. Pag. 244. 247. 340. 352. 365. 366. 375. 379., & *alibi per totum Opus.*
Linguæ iniquæ conditio. Pag. 113. 261. 262., & *paſſim in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.* Vide *verbum: Murmurationis malignitas.*

M

Mariæ Sanctiſſimæ Virginis Genitricis Dei excellentiæ, & virtutes. Pag. 14. 15. 16. 42. 43. 49. 50. 59. 65. 66. 73. 150. 158. 166. 182. 295., & *paſſim in Explicatione Cantici Magnificat.*
Meditationis utilitas. Pag. 79., & 80.
Miſericordia Dei magna, & mirabilis. Pag. 31. 32. 34. 56. 57. 64. 65. 147. 186. 199. 246. 247. 283. 369. 370. 377. 378. 386. 387. 388. 402. 403. 413. 414. 415. 416., & *paſſim per totum Opus.*
Miſſarum auditionis utilitas. Pag. 5., & 6.
Miſſæ oblationis efficacia, & virtus. Pagina 81., & *paſſim in Explicatione Orationum ſecretarum, & earum, quæ poſt Communionem in Miſſa dicuntur pro qualibet anni Dominica.*
Mortis memoria. Pag. 8. 15. 23. 29., & 44.
Mundi vanitas. Pag. 16. 36. 41. 135. 138. 247. 255. 315. 316. 362., & *paſſim in Explica-*

plicatione Cantici Magnificat, & Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.
Murmurationis malignitas, & damna. Pag. 268. 269., & 270.

N

NAtivitatis Chriſti Domini Feſtivitas præparatione debita debet expectari, & celebrari. Pagina 9. 11., & 12.
Novatorum,& aliorum Hæreticorum perverſitas. Pag. 46. 53. 54. 76.77. 300. 330. 398. 399. 400., *& paſſim in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli.*

O

OBlationis Miſſarum, & Hoſtiarum Altaris utilitas. Pag.81., *& paſſim in Explicatione Orationum ſecretarum,& earum, quæ in Dominicis poſt Communionem dicuntur.*
Omiſſionis culpabilis pericula, & damna. Pag. 40.60.61.62. 63.64. 382., & 383. Vide: *Epiſcopi Officium, & obligatio.* Item: *Parrochorum obligationes.*
Orationis vis, & efficacia. Pag. 20. 21. 346., & 347.

P

PAcis veræ adquiſitio, excellentia, & utilitas. Pag. 32. 33. 48. 383.384. 395. 428., & 429.
Parrochorum obligationes. Pag. 39. 40. 46. 47. 60. 61. 62.63. 64. 383. 384., & 395.
Sancti Pauli Apoſtoli laudes. Pag.97., & 98.
Peccati pericula, & damna. Pag. 5. 37. 41. 47. 64. 67.68. 70. 128. 130. 153. 363. 401. 413. 414. 428., & 430.
Peccatorum punitio, & ſupplicia. Pag.78. 79. 436., *& paſſim, maximè in Explicatione Cantici Magnificat, & Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.*
Perſeverantia in bono. Pag.412., *& paſſim in toto Opere.* Vide: *Gratia. Gratitudo.*
Petitionum noſtrarum directio, modus, & qualitates. Pag.40. 41. 271.293. 402. 408.,*& paſſim in Explicatione Orationum.*
Pœnitentiæ utilitas. Pag.67. 68. 97. 185. 257. 301. 381., *& paſſim in toto Opere.*

Q

QUadrageſimalis obſervationis utilitas. Pag. 114., & 115.

R

REincidentiæ in peccatum damna, & pericula. Pag.102. 141.228.229.277. 278., *& alibi, maximè in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.*

S

SCandalizantium proximos malignitas, & ſupplicium. Pag. 47. 48. 106. 398. 399. 400. 401., *& alibi, maximè in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.*
Serviendi Deo obligatio, & ei ſervientium præmia. Pag.12. 80. 131. 132. 134. 242. 264. 265. 309. 310. 371. 414. 415., *& paſſim in toto Opere.*
Spei Theologalis Virtus. Pag. 244. 271. 358. 364. 365. 366., *& paſſim in Explicatione Orationum.*
Spiritus Sancti benignitas, & miſericordia. Pag.221.224. 225. 141. 331. 346. 347. 348., *& alibi multoties.* Vide verba: *Benignitas, Liberalitas, & Miſericordia Dei.*
Superborum malitia, infelicitas, & ſupplicia. Pag. 123. 184. 185. 285. 310. 311. 312. 320., *& paſſim, maximè in Explicatione Cantici Magnificat, & Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi.*

T

Timoris Dei utilitas, & præmium. Pag. 16. 17. 238. 249. 254. 258. 259. 264. 266. 272., & 302.

Triſagii Sacri pronuntiandi, ſive recitandi uſus proficuus. Pag. 241.

V

Viſitationis Dei effectus, & utilitates. Pag. 20. 21. 27. 43. 44. 50. 51. 58. 59. 66. 67. 73. 74. 396. 397., *& paſſim in Explicatione Orationum poſt Communionem: ſed maximè in Explicatione Canticorum* : Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.

Z

Zelus ſalutis animarum. Pag. 61. 62. 63. 64. 380. 381. 382. 383., *& multoties alibi: maximè in Explicatione Epiſtolæ Sancti Judæ Thaddæi Apoſtoli*.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google